


116
A
97

B 157

RICHARDI BENTLEII
OPVSCVLA PHILOLOGICA
DISSERTATIONEM
IN PHALARIDIS EPISTOLAS
ET
EPISTOLAM
AD IOANNEM MILLIVM
COMPLECTENTIA.

LIPSIAE
SVMTV E. B. SCHWICKERTI.
MDCCLXXXI.

PRAEFATIO.

En tibi, Lector beneuole, Richardi Bentleii Opuſcula Philologica, digna profecto, ſi qua alia, quae typis denuo excuderentur. Prodierunt illa primum in Anglia, ſummo doctorum in illa regione virorum plauſu et ſtudio excepta. Hinc in noſtratium etiam notitiam peruenerunt, neque tamen ab omnibus, quorum haec ſemper in numerato habere multum intererat, legi et intelligi poterant. Nam, quod attinet ad Phalarideam diſſertationem, quae pri-

tanquam Sophocleos protulit, Οὗτοσὶ μὲν, ait, ἤδη καὶ παρακεκινδυνευμένος ἐπὶ τῆς σκηνῆς τὴν ἀλήθειαν τοῖς θεαταῖς παρεισήγαμεν. Ergo et Clementis iudicio in capitis venisset discrimen, quicunque eos olim in scenam detulisset. Ii alibi citantur hoc exemplo:

Θνητοὶ δὲ πουλυκερδείᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων
Η χρυσοτεύκτων ἢ 'λεφαντίνων τύπους.

Quam ob rem, quia nullus iam locus est censurae nostrae in πολλὸν et χαλκέων, alia afferam argumenta oportet, cur subditicii sint. Multis sane nominibus non placet illud πουλυκερδείᾳ. Nam quid, obsecro, facit πουλυ in tragoediae diverbio? est enim ex dialecto Ionica. Neque vero δεια spondaeus in sede quarta ferri potest contra morem consuetudinemque Tragicorum. Theocritus: Καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν. Neque porro πουλυκερδεία de auaritia possis accipere cum interprete Clementis: verum ea sententia nimium quidem inepta atque inficeta, quasi si prudentia siue astutia homines in errorem inciderint. Πολυκέρδεια enim est πολυϊδρεια· vt Vlysses Homericus:

Οὐκ ἔα εἰπέμεναι, πολυϊδρείῃσι νόοιο,
Αλλ' ὁ μὲν ἦν ἄλοχον πολυκερδείῃσιν ἄνωγε.

Sed et alia fertur scriptura nihilo melior: Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι· Mihi quidem, saluo aliorum iudicio; nos multi mortales; parum ornate dici videtur pro elegantia Αττικῆς μελίττης. Sed vtcunque de ea re visum fuerit eruditis: rogatos eos velim, qui luculenter Graece sciunt, vtrum καρδίᾳ πλανώμενοι domesticus sit sincerusque sermo Graecus, an potius peregrinus et πονηροῦ κόμματος? Nimirum suo se indicio prodidit Iudaeus iste sorex. Neque enim Hellenismus est, verum Hebraismus purus putus ex S. S. tralatus atque expressus. Psalm. XCIV. (et Epist. ad Hebraeos) Αεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ· καὶ αὐτοὶ οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου. Esaias XXI. Η καρδία μου πλανᾶται Imo enimuero negamus ista, Η χρυσοτεύκτων ἢ 'λεφαντίνων τύπους, ab homine Graeco nedum a Sophocle proficisci posse. Τύπος hoc in loco est ipsa statua, αὐτὸ τὸ ἄγαλμα, οὐκ εἶδος τοῦ ἀγάλματος, vt apud Isocratem in fine Euagorae: τοὺς μὲν τύπους ἀναγκαῖον παρὰ τούτοις εἶναι παρ' οἷς ἂν σταθῶσι. Dicerent vero Graeci: Η χρυσοτεύκτους ἢ 'λεφαντίνους τύπους Θεῶν, non χρυσο-

Ll

τεύκτων. velut εἰκόνας dicunt χαλκᾶς Ὀλυμπιονικῶν, non χαλκῶν. Artemidorus: χάλκεαι γὰρ εἰκόνες τῶν ἐλευθέρων ἀνατίθενται. Ita passim et vulgo, vt quidem testimoniis vti putidissimum foret. Neque vero aliter Latini. Lucretius: si non aurea sunt iuuenum simulachra per aedes, non: aureorum. Plinius XXXIV, 7. Lignea potius aut fictilia deorum simulachra. Iuuenalis: Effigies sacri nitet aurea cercopitheci. Horatius: Quid referam, quo pacto in imagine cerea Largior arserit ignis. Itaque τύπους ἐλεφαντίνων θεῶν nihil minus est quam Graeca oratio: ea tamen vtitur Sibylla lib. III. ξυλίνων θεῶν εἴδωλα dicens pro ξύλινα.

Οἵτινες οὐκ ἀπάτῃσι κεναῖς, οὐδ' ἔργ' ἀνθρώπων,
Χρύσεα καὶ χάλκεια, καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος,
Καὶ ξυλίνων λιθίνων τε θεῶν εἴδωλα καμόντων,
Πήλινα, μιλτόχριστα, ζωγραφίας τυποειδεῖς,
Τιμῶσιν, ὅσα κέν τε βροτοὶ κενεόφρονι βουλῇ.

Eadem habet Protrepticus Clementis. Quis porro inficiabitur in eodem doctos esse ludo, subiectorem hunc Oraculorum, et commentitium illum Hecataeum? Quod si vicero de versibus falso Sophocli attributis; etiam illud euidentissime constabit, quod olim Philo Herennius et patrum memoria Ios. Scaliger suspicati sunt: nempe librum illum de Iudaeis, qui sub Hecataei nomine ferebatur, a Iudaeo quodam Hellenista fuisse confictum: velut Aristeam illum pari facinore, quem suppositium esse conuincant post eundem Scaligerum alii bene multi, in quibus omnium doctissime et copiosissime Humfredus Hodius, cui multum olim debebit Historia Ecclesiastica.

Ep. p. 480. Ευηρότατον) Suidas in Lexico: Ευηρότατον τὸ καλὴν ἔχον γῆν, τὸ κάλλιστον τῆς γῆς. Εὐήροτον τὸ καλῶς ἠροτριωμένον. Vides eum vtrumque vocabulum agnoscere, εὐηρότατον quidem comparatiuum, absolutum vero εὐήροτον· Quid igitur fiet? An supplex ad Hesychium adeam, pacem eius oratum et peccati veniam? Imo enim satis ostendunt ea verba et mendi vetustatem, et emendationis meae praestantiam. Quippe, nisi ego plane desipio, sic in comparatione dicendum esset, Εὐήροτον, εὐηροτώτερον, εὐηροτώτατον. Quod si reponere velis εὐηροτώτατον apud Suidam: iam ea vox inuerso ordine post Εὐήροτον collocanda esset. Ergo quocunque te vertas, hallucinatio Suidae est, qui sine dubio male confinxit ex Hesychianis, vel ex illis, vnde sua transtulit Hesychius.

Ibidem. Αντιvι, ἀντιδιενέγμεθα) Liquido possis deierare, Hesychium scripsisse ἄντινι, id enim series literarum efflagitat;

tleianae diſſertationis editione hoc effectum eſt, vt omnibus, quibus eam lectitare in votis erat, eius fieri poſſet copia. Plures enim, qui his litteris operam dant, res anguſta domi libro huic emendo pecuniolam ſuam impendere prohibet. Optandum igitur videbatur, vt Lennepiana Bentleiani huius ſcripti verſio ſalubriori pretio emi, et ſic omnibus, quos eius cognoſcendi tangeret cupiditas, innoteſcere poſſet. Quam ob cauſam nouam illius editionem adornare viſum eſt, eo quidem conſilio, vt verſio Lennepii κατὰ λέξιν exprimeretur, nulla illius mutatione facta. Cum enim e diligenti comparatione inter diſſertationem illam Anglice ſcriptam et verſionem eius inſtituta ſatis appareret, Lennepium vbique ſenſum Bentleii recte aſſequutum eſſe: maluimus in hac Lennepii verſione, hic illic impuri ſermonis maculis paulum offuſcata, acquieſcere, quam mutationibus eam interpolare et, quod eſt in prouerbio, alienas vineas caedere. In his enim magis orationis perſpicuitatem, quam elegantiam et venuſtatem ſpectandam eſſe, res ipſa declarat. Et *omnino*, vt verbis vtar Viri Docti in Bibliotheca Critica hac de re iudicium ferentis *, ***multum proderit quibusuis accuratae doctrinae ſtudioſis, cognouiſſe, quomodo in vna difficillima critices parte, quae eſt in detegenda ſpu-***

chardi Bentleii diſſertatio de Phalaridis, Themiſtoclis, Socratis, Euripidis, aliorumque epiſtolis et de fabulis Aeſopi. Nec non eiusdem reſponſio, qua diſſertationem de epiſtolis Phalaridis vindicat a cenſura Caroli Boyle. Omnia ex Anglico in Latinum ſermonem conuertit Ioannes Daniel a Lennep. Groningae apud Iac. Bolt.

* Vol. I. Part. II. p. 67.

riorum librorum fraude, verſatus ſit is, qui principem inter criticos obtinet locum. Alterum, quod hic denuo typis deſcribi placuit, epiſtola eſt Bentleii ad Ioannem Millium, quae primum prodiit editioni Oxonienſi Ioannis Malalae annexa. * Haec quoque cum extra Angliam nunquam ſeparatim edita eſſet, a perpaucis legi poterat, digna tamen, virorum doctiſſimorum iudicio, quae ab omnibus, qui Criticam a ianua ſalutaſſe non contenti ad adyta eius penetrare vellent, diligenter euolueretur. Spes igitur eſt fore, vt ex huius etiam epiſtolae repetita editione nonnulla ad rempublicam litterariam redundet vtilitas. Atque haec quidem ſufficere poterant, praefationis loco dicta, niſi pauca de lite illa, quae nobis peperit Bentleii diſſertationem Phalarideam, addere non alienum a conſilio noſtro viſum eſſet. ** Tantis enim animorum motibus

* Fuit haec epiſtola primum opus, quod Bentleius in lucem edidit. Libri inſcriptio haec eſt: *Ioannis Antiocheni cognomento Malalae hiſtoria chronica e MS. Cod. Bibliothecae Bodleianae nunc primum edita, cum interp. et notis Chilmeadi — Accedit epiſtola Richardi Bentleii ad Cl. V. Io. Millium, S. T. P. cum indice ſcriptorum, qui ibi emendantur. 8uo. Oxonii, e theatro Sheldoniano.* 1691. Eadem epiſtola ſeorſum bis recuſa eſt in Anglia, vna cum emendationibus in Menandri et Philemonis reliquias, quas Bentleius perſonatus nomine Phileleutheri Lipſienſis edidit. Prima editio horum libellorum coniunctim editorum facta eſt anno 1710, altera a. 1713. Ad hanc alteram expreſſa eſt noſtra editio.

** Quae hic ſtrictim tantum de controuerſia illa narrata leguntur, latius expoſita et teſtimoniis ſcriptorum, qui illo tempore floruerunt, confirmata ſunt in ſplendidiſſima illa Biographia Britannica, (cuius volumen ſecundum anno ſuperiore prodiit Londini,) Vol. II. p. 225 et 243. Eandem litem

in Anglia disceptatum est, an genuinae essent epistolae Phalaridis, vt controuersia illa omnium tum in orbe erudito animos moueret, et nunc quoque commemoratione aliqua non indigna videatur. Huc accedit, quod, nisi ortu et progressu huius controuersiae probe perspecto ad Bentleiana scripta accesieris, saepe, quo ea tendant, non intelligas, et, quem pungant dicteriorum aculei, dubius haereas. Accinxerat se Boyleus, nobilis et genere et eruditione iuuenis, qui tum Oxonii in Collegio Christi degeret, Aldrichio auctore, qui Logices etiam Compendium in vsum Boylei ediderat, ad nouam Phalaridis editionem procurandam: et, cum cognouisset, delitescere in bibliotheca Regia MS. harum epistolarum codicem, Bennetum, librarium Londinensem, rogarat, vt sibi a Bentleio, cui paulo ante Bibliothecarii regii prouincia imposita erat, copiam huius MS. impetraret. Bentleius tergiversari primum, et aegre, quod saepius efflagitatum erat, concedere. Sextiduo post, cum in conferendo illo Codice et excerpendo parum adhuc operae impensum esset, ecce subito Bentleius, iter parans Londino, maxima ope contendere a Benneto, vt codex ille statim redderetur; multum etiam stomachari, cum moris nectendis rem procrastinari intelligeret, et, vt fit, Boyleum ipsum, qui multa minando parum extricaret, paulo seuerius perstringere. Neque tamen multum hoc tulit Boyleus. Ipse enim, hanc

breuiter et concinne enarrat examen menstruum librorum, *Critical Review*, mense Ianuar. 1777.

et illud ἀντιδι ex correctore natum esse, qui κακῷ κακὸν Ἰάσατο. Scriptura a prima manu fuit in hunc modum; Ἀντιηιέγμεθα, ἠναντιώμεθα. Hesychius autem, qui, vt videtur, non leuiter tum lippiebat, sic legit et scripsit: Ἀντινινέγμεθα. νι et η paulum oppido inter se differunt, et facillima sane erratio est. Nihil hac coniectura probabilius dici potest. Ἀντιηνέγμεθα ab ἀντιφέρομαι, ἠναντιώμεθα. Ipse Hesych. Ἀντιφέρεται, ἐναντιοῦται et Ἀντιφέρεσθαι ἐναντιοῦσθαι, et Suidas: Ἀντιφέρονται, ἐναντιοῦνται. Sed Ἀντιδιαφέρομαι nusquam lego.

Ep. p. 491. Πέπλους τε νῆσαι λινοπλυνεῖς τ᾽ ἐπενδύτας) vox ea bifariam accipi potest. Aut νῆσαι erit ὑφῆναι· quemadmodum πέπλοι ἐΰνητοι ab Homero vocantur, Ἐνθ᾽ ἐνὶ πέπλοι Λεπτοὶ ἐΰνητοι βεβλήατο, ἔργα γυναικῶν, qui a Sophocle εὐϋφεῖς vocantur in Trachiniis: Ὅπως φέρεις μοι τόνδε γ᾽ εὐϋφῆ πέπλον. Aut erit νῆσαι, σωρεῦσαι, accumulare vestem, in arcis reponere, vt mos erat antiquorum. Homerus:

Ὡς φάτ᾽ ὁ ὑψόροφον θάλαμον κατεβήσατο πατρὸς
Εὐρὺν, ὅθι νητὸς χρυσὸς καὶ χαλκὸς ἔκειτο
Ἐσθής τ᾽ ἐν χηλοῖσιν, ἅλις τ᾽ εὐῶδες ἔλαιον

Et alibi:

— Ἑλένη δὲ παρίστατο φωριαμοῖσιν
Ἐνθ᾽ ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, οὓς κάμεν αὐτή.

Possis etiam, vt magis quidem apposite ad nomen Tragoediae Πλυντρίας, νίψαι reponere; Lauato etc.

Πέπλους τε νίψαι λινοπλυνεῖς τ᾽ ἐπενδύτας.

Ep. p. 503. v. 3 adde: Idem Hesychius: Κυδρὸς, ἔνδοξος, καὶ τὰ ὅμοια, γαυριῶν, πεποιθῶν εὐρύτιδις συγκοπὸν δὲ τοῦ κύδρος Καλλίστρατος πεποιθώς. Nunquam quicquam vidi inquinatius, lege γαυριῶν, πεποιθὼς, Ἴων Εὐρυτίδαις· συγκοπῇ δὲ τοῦ ρ κῦδος. Καλλίστρατος. verbum enim nouissimum πέποιθὼς est emendatio τοῦ πεποιθῶν. Vide Ep. p. 480. 481. 485. Et Callistratus quidem κῦδος a κυδρὸς deducit συγκοπῇ τοῦ ρ. alii vicissim κυδρὸς a κῦδος deriuant ἐπενθέσει τοῦ ρ. Etym. magn. Κῦδος, κυδότερος, κυδότατος, πλεονασμῷ δὲ τοῦ ρ γίνεται κυδρός.

Ep. p. 520. v. 42. adde: Martianus Capella lib. 3. cap. de Analogia: Aeneas, Pythagoras, Lycas faciunt Aeneae, Pythagorae, Lycae. Quando nostra ratione nomina, quae genitiuo in E exeunt, nominatiuo A finiuntur: vt Catilinae Catilina. Sed haec Graeca sunt, ideo in Nominatiuo S literam retinent.

Quaedam tamen perdunt S literam in Nominatiuo, vt Nicaea, Medaea. Ergo in his nominatiuis consuetudo seruanda est. Vbi legendum est; Nicia et Demea. Vide Ep. p. 522.

Ep. p. 415. Sed nusquam alibi tam frequens earum vocalium inter se permutatio est, quam in 2 Codd. MS. longe antiquissimis, Alexandrino vno in Bibliotheca Regia, qui integra exhibet Biblia et epistolas S. Clementis ad Corinthios: Cantabrigiensi autem altero, mutilo quidem et decurtato; quippe qui Acta duntaxat habeat et Euangelistas: verum idem e regione ostentat Interpretationem veterem Latinam ad verbum de Graeco expressam, dignissimam sane quae ex obliuione atque tenebris tandem aliquando in lucem edatur. Seruantur etiam Oxonii Acta Apostolorum, vetustate quidem pari, sed versione multum diuersa, et in Gallia denique Epistolae S. Pauli; qui Codex et antiquitate et Latina Versione atque adeo scripturae et voluminis forma Cantabrigiensi nostro simillimus est et germanissimus. Atque haec quidem talia exemplaria, cum aliis omnibus vbiuis gentium, quod sciamus, longe longeque et dignitate et tempore antecedant, neque quidquam hodie superfit simile aut secundum, cum tineis (proh dolor) atque muribus luctantur, et vtut iis incendia pepercerint, ipso senio intra annos paucos non dubie peritura sunt. Tu vero, Milli doctissime, qui omnium mortalium maxime in eo studio versatus es, non patieris hanc laudem tibi praeripi; sed maturabis veneranda illa pignora et monumenta vetustatis a situ et interitu vindicare. Scimus enim te horum omnium editionem instituere, quae vna pagina et in vno conspectu Codicem Alex. qui familiam ducet, et Cantabrigiensem cum versione sua, atque vbi hic deficit, Oxoniensem deinceps atque Gallicum repraesentet: quae singulas literas atque apices exemplarium, etiam vbi a librariis peccatum est, accurate et religiose subsequatur. Nihil illi purpurae assuetur discolor aut diuersum; nullae interpunctiones, nullae notae accentuum, quorum omnium hodie ratio praepostera est atque peruersa: adeo vt qui tuam Editionem sibi comparauerit, ipsa illa propemodum Archetypa versare manibus atque oculis vsurpare videatur. Ea res olim, vt certum est augurium, et Britanniae nostrae splendori erit, et Ecclesiae praesidio: tuos vero vtique labores amplissimis praemiis atque immortali gloria compensabit. Macte ista pietate et diligentia esto. In te omnes ora atque oculos conuertimus, te vnum in hoc curriculum vocamus: ipsi codices celerem tuam opem implorant et flagitant: quid cessas per

ridis et Aesopi scriptis, quae Guilielmus Temple tum vetustissima tum venustissima antiquitatis monumenta esse affirmaret, cupide occasionem illam de Phalaride et nupero eius editore copiosius disserendi amplexus est. Scripsit igitur dissertationem de epistolis Themistoclis, Socratis, Euripidis, Phalaridis, et fabulis Aesopi, quae triennio fere post Phalaridis editionem a Boyleo adornatam primum prodiit A. MDCXCVII. alteri Wottoniani libri editioni annexa. * Atque huic quidem dissertationi, vbi omnes illas epistolas et Aesopi etiam fabulas spurias esse gravissimis argumentis euincit, animi iniuria accepta exulcerati et irarum in Boyleum pleni manifesta vbique impressit vestigia. Nec tulit offensam denuo lacessitus Boyleus, cuius responsio anno post (A. MDCXCVIII.) iam in lucem prodiit. ** Quam quidem Boylei censuram excepit Bentleius altera editione Dissertationis de Phalaridis epistolis, vbi singulis capitibus attexuit vberrimam sententiae suae interpretationem, et tela Boylei, haud raro per se iam satis obtusa et fere plumbea, mordacibus dicteriis hebetauit et infregit, adiecta etiam praefatione

* In tertia Wottoniani libri editione, a. 1705. et sequentibus, deest illa Bentleianae dissertationis pars, quae ad Phalarin pertinet, quippe quam iam separatim cum responsione aduersus Boylei Censuram ediderat Bentleius.

** Inscriptio huius responsionis haec est: *Dr. Bentley's dissertation on the epistles of Phalaris and the fables of Aesop examined by the Honourable Charles Boyle, Esqu.* Hic liber vulgo tunc nomine, *Boyle against Bentley*, notus erat. Altera huius responsionis editio prodiit Londini, 1742.

ſatis longa, qua ipſe callide cauſae ſuae patronum agit. * In hac editione omiſſa ſunt, quae in diſſertatione ad calcem Wottoniani libri adiecta de epiſtolis Themiſtoclis, Socratis, Euripidis et fabulis Aeſopi diſputarat Bentleius. Nam cum amicus Boylei, cui nomen Iohn Friend, ea quae de commentitiis fabulis Aeſopi tradiderat Bentleius, acriter perſtrinxiſſet libello, cui titulus, *Examination of Dr. Bentley's diſſertation upon Aeſop:* conſtituerat Bentleius, diſſertationem ſuam de Aeſopo ſingulari commentatione retractare. A quo conſilio aliis negotiis eum auocatum eſſe, dolebunt omnes, qui ingenium eius et in criticis εὐςοχίαν perſpectam habent, et doluit nuper doctiſſimus Anglus, Thomas Tyrwhittus. ** Caeterum, controuerſia

* Haec Bentleii reſponſio, breuiori titulo, *Bentley againſt Boyle*, tunc celebrata, ſic inſcripta eſt: *A diſſertation upon the epiſtles of Phalaris with an Anſwer to the Objections of the Honourable Charles Boyle, Eſq. London.* 1699. Caeterum notandum eſt, hanc Bentleii reſponſionem, cum in ipſa Anglia rara eſſe inciperet, nuper Londini recuſam eſſe hoc titulo: *A diſſertation upon the epiſtles of Phalaris — with ſeveral valuable Notes and Obſervations, either collected from, or communicated by Biſhops Warburton and Lowth, Mr. Upton, Mr. W. Clarke, Mr. Dr. Salter, Dr. Owen, and Mr. Toup, London.* 1777. *by Mr. Bowyer and Nichols.* Sed, ne cui fraudem faciat inſcriptio tam praeclaris doctiſſimorum virorum nominibus exſplendeſcens, monendum eſt, obſeruationes illas, quarum exiguus modo eſt numerus, tantum non omnes occupari in eo, vt controuerſiae illius, cuius memoria nondum apud Anglos oblitterata eſt, hiſtoriam illuſtrent. Plurimae ſunt Salteri, quae omnes ad litis illius rationem explicandam faciunt. Has igitur obſeruationes, quae ad res ipſas a Bentleio tractatas non pertinent, in hac editione, ne moles libri augeretur, commode omitti poſſe cenſuimus.

** In diſſertatione *de Babrio, fabularum Aeſopearum*

illa Bentleium inter et Boyleum agitata, pluribus eo tempore occasionem dedit dicacitatis suae exercendae, et famosis in Bentleium libellis editis nomen eius proscindendi. * Licet enim Bentleius eruditionis copia et argumentorum pondere in hac controuersia longe superior esset Boyleo: plerique tamen, partium studio abrepti, et Boylei, iuuenis illustri loco nati et iam tum magna auctoritate pollentis, fauore occoecati, ab huius partibus steterunt. Huc accedit, quod Bentleius, feruidioris vir ingenii, cui bilis facile intumesceret, multorum inimicitias sibi contraxerat, qui passim apud alios inuidiam illi conflarent, et nomini eius inhumanitatis macu-

scriptore (Londin. 1776.) p. 25. „Dolendum est, magnum Bentleium dissertationem suam de „Aesopo, eo modo, quo illam „de Phalaride, non retractaſſe. Multa, quae hodie obscura sunt in hac materia, „sine dubio illustria fecisset singularis illa, qua in his litteris pollebat, eruditio et sagacitas. Sed ille, aduersarios „dissertatione secunda Phalaridea, velut fulmine, prostrauisse contentus, a pugna „impari indignabundus recessit. „

* Huc inprimis pertinet libellus, hoc titulo sesquipedali notatus: *A short account of Dr. Bentley's Humanity and Justice to those authors, who have written before him, with an honest vindication of Thomas Stanley, Esq.; and his notes on Callimachus. To which are added some other observations on that Poet in a Letter to the Honourable Charles Boyle, Esq.; with a Postscript, in relation to Dr. Bentley's late book against him. To which is added an Appendix, by the Bookseller, wherein the Doctor's misrepresentations of all the matters of fact, wherein he is concerned, in his late book about Phalaris's Epistles, are modestly considered, with a Letter from the Honourable Charles Boyle on that Subject*, 8uo. 1698. Alia scripta contra Bentleium percenset Salterus in notis ad nuperam Phalarideae dissertationis editionem Londinensem p. 309.

lam inurere conarentur. * Hactenus de controversia illa summorum virorum nominibus nobilitata. Quod superest, valde optamus, Lector, vt hanc symbolam ad verae critices studium excitandum et promouendum collatam, eo, quo data est, animo, hoc est, bono, accipias. Vale, et lege! Lipsiae, in mercatu vernali, MDCCLXXXI.

* Bentleium Aristarchi austeri et superciliosi nomine vulgo male audiisse, e Swiftii etiam et Popii scriptis apparet. vid. Swift Battle of Books p. 256. et Pope, Dunciad. B. IV. (Vol. II. p. 186.)

DISSERTATIO

DE

PHALARIDIS, THEMISTOCLIS, SOCRATIS, EVRIPIDIS, ALIORVMQVE

EPISTOLIS,

ET

FABVLIS AESOPI.

A

Gulielmus Temple

in Essay upon Ancient et Modern Learning, p. 58.

Forsitan et hoc affirmari possit, quod multum adiuuat causam veterum: libros, qui ad nos peruenerunt, antiquissimos quosque esse in genere suo praestantissimos. In libris prosaicis, quorum auctores nos profanos vocare solemus, antiquissimi, qui quidem in notitiam meam peruenerunt, sunt Aesopi fabulae, et epistolae Phalaridis, quorum vterque eadem fere aetate, tempore Cyri et Pythagorae, vixerunt. De priore omnes aetates amice consentiunt, eum in illo genere, in quo elaborauit, ad summum escendisse fastigium, quippe quem omnes inde ab eo tempore fabularum scriptores imitatione expresserint. Nec Phalaridis epistolas ingenii acumine et insitae suauitatis lenociniis vlli alii in hoc genere libro postponendas esse, censeo. Non ignoro equidem, fuisse inter eruditos, (eos certe, qui Criticorum nomine se venditantes, eruditionis speciem prae se ferunt) qui genuinum esse hunc librum, negarent, in quibus Politianus cum aliis quibusdam eum a Luciano scriptum esse, affirmarunt; sed ego parum in arte pictorum diiudicanda versatum esse puto eum, qui veram hanc esse manum artificis, inficiatur. In his enim epistolis vbique tanta perturbationum animi per multifarios vitae casus et imperii vicissitudines depingitur varietas; tanta eminet in cogitando libertas, et in verbis audacia; tanta in amicos humanitas, et inimicorum contemtus; tam manifesta honoris viris eruditis et bonis habiti deprehenduntur signa; tam expressa denique animi rerum vsu callidi et mortem non expauescentis, sed ad ferocitatem et vltionis crudelitatem propensi exstant vestigia, vt non nisi ab eo, cuius animus ipse his rebus affectus fuerit, proficisci potuerint. Lucianum autem nec scribere ea, quae Phalaris, nec agere potuisse puto. Omnia enim Luciani scripta ingenium auctoris redolent vmbraticum et sopistarum argutiis exercitatum; sed Phalaridis epistolae animum hominis tyrannidi et imperando assuetum.

DOCTISSIMO VIRO,

GVLIELMO WOTTON

S. P. D.

RICHARDVS BENTLEIVS.

Memini equidem, Vir Doctiſſime, cum de verbis *Gulielmi Temple* (quae hic appoſui) diſſereremus, forte fortuna me dixiſſe: Mihi, ſalua tanta auctoritate, et merito tam acerbam cenſuram metuenti licet, demonſtratu facillimum videri; *Epiſtolas Phalaridis* adulterinas eſſe, nec quidquam, quod ipſe *Aeſopus* compoſuerit, ſupereſſe. Quam animi mei fortuitam declarationem tu, pro antiqua illa noſtra amicitia, ita interpretatus es, quaſi, me rationes meas, literis conſignatas, ad te miſſurum, vt nouae Editioni operis tui adderentur, promiſiſſem: illo animo, credo, quod non leue inde momentum controuerſiae, in qua verſabaris, acceſſurum, exiſtimares. Nam, ſi ſemel conſtiterit, ſcripta iſta, ab aduerſario tuo tanto opere elata, ſuppoſita eſſe, nec valde antiqua: eum, eiusque ſectatores ipſos confitentes habebis; fuiſſe inter ſcriptores poſteriores, qui ſui generis nonnullos veterum ſuperarent: aliorum vero, qui ingenium et ſtilum horum ſcriptorum parui modo faciunt, duplex praeiudicium erit aduerſus eum; neque veram aetatem, nec vera pretia cognouiſſe auctorum ſuorum. Atque iſto, niſi fallor, animo me obſtringere conabaris, vt praeſenti negotio manum admouerem. Liceat vero mihi libere profiteri, ita me ſcribere, vt qui ſim a veſtra controuerſia alieniſſimus; quam neque meam facio, neque dirimere ſuſtineo. Materia profecto tam eſt ſubtilis, tam mixti diffuſique generis, vt aleam prauae comparationis, aut inuidiam bonae tecum experiri no-

lim: ſed vſu, quem poſſim facere vtrorumque, et veterum et recentiorum, optimo ſim contentus.

Quosdam veterum ſcriptorum optimos in ſuo genere eſſe, cum iisdem et inuentionis, et perfectionis gloria debeatur, iam ipſorum veterum nonnulli a) obſeruarunt. Verum auctores, quorum ingenii iſtuc tribuerunt teſtimonium, fuerunt *Homerus* et *Archilochus*, ille heroici, hic epodi, et trochaici carminis pater. At *Phalarin* et *Aeſopum*, vt nunc eos habemus, tanquam duo praecipua et inimitabilia exemplaria qui eligat, ſingularis plane indolis, et iudicii criticus ſit, oportet.

Fuit olim praecipua prouincia criticorum, qua inprimis ſe commendabant, vt non tantum de omni genere ſcriptorum iudicarent, variasque monſtrarent virtutes et vitia; ſed etiam vnumquodque eorum proprio auctori aſſignarent. Nec vero multum eos otii habuiſſe, ex illis, quae nobis ſuperſunt, reliquiis facile apparet. Ars enim libros adulterandi et fingendi, qui ſplendidiſſima quaeuis auctorum nomina mentiuntur, tam eſt antiqua, vt cum ipſis literis nata videatur. Inprimis autem tum ea viguit, quando reges b) *Pergami* et *Alexandriae* inter mutua intercedebat aemulatio magnificentiae et amplitudinis bibliothecae, et, ſi quod opus erat, quod celebris alicuius ſcriptoris nomen gereret, magno id aere emebant. Quo factum, vt ſcriptores et librarii eorum temporum inuitarentur ad mercium ſuarum pretia, cum eas viris magni nominis et famae attribuerent, augenda; ſupprimenda vera nomina, quae minoris conſtitiſſent. Nec hodie ſolum, ſed tum etiam e re auctoris fuit, qui panis lucrandi gratia ſcribebat, et quaeſtum faciebat labori-

a) *Dio Chryſoſt.* Orat. XXXIII. p. 397.

b) *Galen.* in *Hippocr.* de Natura Hominis Comm. II. p. 17. ed. *Baſil.*

bus fuis, vt fuo nomine celato, perfonam indueret excellentioris alicuius veteris fcriptoris; quo nominis et exiftimationis, quam fcriptis fuis fibi comparare poffet, interitu, vitam melius fuftentaret ipfe. Quod vero tum lucri inprimis caufa, id dein gloriae et iactationis factum, tanquam exercitium ftili, et ingenii oftentatio. Atque hoc inprimis quidem fophiftarum fuit; in quorum fcholis penfa imperari folebant, Ἠθοποιιῶν compofitiones, declamationes, et epiftolae fub nomine et perfona herois alicuius, imperatorisue magni aut philofophi; *Τίνας ἂν εἴποι λόγους, quid* Achilles, Medea, *aut* Alexander *pro variis rerum rationibus dixerit.* Ita educatum, inftitutumque *Ouidium* epiftolas amatorias fcripfiffe fub nomine *Penelopes*, aliorumque, conftat. Verum quidem eft, vt prodierint fub proprio eius nomine, quod effent *Latine* et carmine confcriptae; neque adeo color vllus, nulla caufa, qua vera exemplaria matronarum Graecarum viderentur: Attamen quidam fophiftarum *Graecorum* tam profperum exitum habuerunt, vt huius generis fcripta a nonnullis lectoribus vera opera haberi viderent illorum, quos exprimere conarentur. Oblectamentum, hercle, gaudiumque fummum, cum teftimonium peritiae eorum in imitando non minus amplum effet, quam, quod aues dederunt pictori, cum vuas eius roftro impeterent. Vnus eorum *c*), fateor, ingenue confeffus eft, fe refponfa ad *Brutum* finxiffe. at plerique aliam viam ingreffi, proprio nomine celato, fua, tanquam vera aliorum exempla ediderunt; cum tacitam iftam fuperbiam fraudulentamque voluptatem, fecum licet intermorituram, honeftae commendationi peritiae fuae in imitando apud pofteritatem praeferrent. Atque, vt libere dicam, plerique tam facile hac via fibi imponi patiuntur, vt nimia fit ad decipiendos

c) Μιθριδάτης Praef. Epift. *Bruti.*

eos inuitatio. Quam, amabo, putidum commentum, Oracula *Sibyllina*, quae nunc exſtant, et Hiſtoria *Ariſteae Septuaginta Interpr.* quae etiam doctiſſimorum virorum cenſuram effugerunt. Quin etiam his temporibus eius generis quidam conatus fuerunt, qui exitum non omnino infelicem haberent. Nam etſi *Annius Viterbienſis* poſt exigui temporis exiſtimationem, ac ſtatim *Inghiramius* exploſi ſunt: fieri tamen poteſt, vt, quoad ipſe *Cicero* ſuperſtes ſit, inueniantur, qui *Sigonii* opus *de Conſolatione*, peritiſſima quippe manu elaboratum, *Ciceronis* eſſe putent. Quod equidem de turpiſſimo iſtoc Fragmento, quod *Petronio* attribuitur (non illo quidem *Traguriano*, ſed quod *Budae* repertum fingitur) iſtoc omnium commentorum dedecore, praeſagire nequeo; licet, vt verum opus admiratores quosdam, qui non vulgares ſe iudices arbitrantur, cum maxime habere intelligam.

DISSERTATIO
DE
EPISTOLIS PHALARIDIS.

Quisquis fuit iste sophista, qui librum exiguum Epistolarum scriberet sub nomine et persona *Phalaridis* (liceat mihi nunc id dicere, quod mox probabo): in aliorum personis exprimendis, et exhibendis non tam rudis fuit, vt non aliqui fuerint, qui, ipsum tyrannum esse, qui tanto spiritu se iactaret, existimarent; nec possent asinum in pelle leonis istius detegere; *Stobaeum d)* enim videmus tit. VII. sub nomine *Phalaridis* harum Epistolarum XXXVIII. (LXXXI.) LXVII. (II.) et LXXII. (XV.) citare. Ac *Suidas e)* scripsisse eum Ἐπιςολὰς θαυμασίας πάνυ tradit, cum ad eas, de quibus agimus, respicit. Praeterea *Ioannes Tzetzes*, valde confusae vir doctrinae, multa, inde excerpta, Chiliadibus suis inseruit; quae omnia tyranno, cuius quasi insigne gestabant, attribuit. Praeter hos tres de veteribus nemo earum meminit. Quoniam vero ne minimam significationem dederunt, dubitare se de earum auctore: merito statuas, omnes istorum temporum eruditos pro veris eas accepisse; vt vniuersos, qui postremis mille annis ante instauratas literas vixerunt, sponsores habuerint. Quod autem ad recentiores attinet; vt mittam istos de vulgo criticos, qui editiones earum curauerunt, easque pro more magnis clamoribus ad coelum extulerunt: fuere viri quidam doctissimi, qui in clientelam eas reciperent, vt *Thomas Fazellus f)* et *Iacobus Cappellus g)*. Imo ipse cl. *Seldenus h)* fraudem nullam suspicatus, in quaestione temporis inde argumentum hausit. Quibus addi velim nouissimum, eumque studiosissimum patronum; qui magnifico isto titulo, huic operi praemisso, eas insigniuit.

Alii, fateor, *Phalaridis*, quem gerunt, titulo diffidere se significarunt; nullis tamen rationibus allatis, sola animi declaratione fuerunt contenti. *Siue illud* Phalaridis *est*, inquit *Coelius Rhodiginus i)*, *siue is fuit alius. Menagius l)*, *Epistolae, quae* Phalaridis *nomine circumferuntur.* Sunt, qui no-

d) *Stob.* Tit. VII. et XLVII.
e) V. Φάλαρις.
f) Hist. Sicul. p. 118.
g) Histor. Sacr. et Exot. p. 249.
h) Marm. *Arundel.* p. 106.
i) L. III. C. VII.
l) ad *Laert.* p. 35.

minent, quem commenti auctorem putant. Lucianus, inquit *Ang. Politianus m)*, *quem vulgo male* Phalarin *existimant. Lilius Greg. Gyraldus n)*, *Si modo* Phalaridis, *ac non potius* Luciani *eae Epistolae sunt*, *quae* Phalaridis *nomine circumferuntur.* Atque idem alibi *o)*, *Politiani* opinionem plerorumque animos eruditorum eius aetatis oppleuisse, tradit: Phalaridis, inquit, *Epistolae*, *quas plerique* Luciano *tribuunt.* Quo autem iure eas *Luciano* attribuat, statim clarius patebit; vbi *Phalaridis*, qui possessionem sibi vindicat, causam examinauero. Nec vero, quemadmodum illi ante me proprio tyranni more, sententia ad arbitrium lata, de possessione eum deiiciam: sed, testimoniis legitimis in sincerum iudicium allatis, cum eo contendam, quorum, nisi me omnia fallunt, illa natura, illa vis sit, vt nemo, qui ea legat, in veteri sua opinione, esse *Phalarin* auctorem, manere possit.

Quod ad argumenta, quae e stilo et sermone solum ducuntur, attinet; sunt ea plerumque subtiliora et incerta, notasque obscuriores habent, quam vt inde iudicare possis. Fuerunt sagacissimi doctissimique viri, quos istuc genus coniecturarum ad ludibrium etiam falleret. Edidit versus quosdam iambicos, tanquam egregium veteris poetae tragici fragmentum, a *Mureto* acceptum, summus *Scaliger*; quos ille non multo post per iocum a se fictos declarauit. *Boxbornius* commentarium scripsit in poema exiguum *de Lite*, quod veteris alicuius scriptoris arbitrabatur; sed brevi apparuit, esse *Michaelis Hospitalii*, cancellarii *Galliae*. Vt, si nulla alia argumenta, nisi e stilo ducta, haberem, quibus, Epistolas *Phalaridis* commenticias esse, probarem; etiamsi id vnum mihi quidem sufficeret, minime tamen sperarem, fore, vt in vniuersum omnes conuincerem. Quare ab alio argumentorum genere ordiar, quod religiosissimos etiam, aut maxime incredulos in persuasionem adducat.

Tempus, quo tyrannidem obtinuit *Phalaris*, certo definiri nequit; cum tam parum inter scriptores de eo constet. Initium eius Olympiadis XXXI. anno secundo apposuit *Eusebius:* Phalaris *apud Agrigentinos tyrannidem exercet;* finem Olymp. XXXVIII. 2. Phalaridis *tyrannis destructa.* qua ratione annos regnauit XXVIII. Verum S. *Hieronymus* e veteri temporum doctore (neque enim in *Graeco Eusebii* istaec nota est) tempus diuersum regni eius indicauit, LXXX. amplius annis altero posterius; Olymp. LIII. 4. vel, vt alii MSS. habent, LII. 2. Phalaris *tyrannidem exercuit annos* XVI. quod cum *Suida* conuenit, qui ad Olymp. LII. κατὰ τὴν νβ' ὀλυμπιάδα, eum

m) Epist. I. n) Poet. Hist. p. 88. o) p. 332.

regnasse tradit. Priorem rationem si ratam habueris, statim fraus apparebit. Epistolae enim *Phalaridis* ad *Stesichorum* et *Pythagoram* falsae sint, oportet: cum ad eam rationem, quando *Phalaridis* mors accidisset, *Stesichorus* annos tantum VI. natus esset, nec, nisi LXXX. post annis, in *Graecia Pythagoras* clarus factus. Verum *Aristotelis* et *Iamblichi* causa, quorum ille *Phalarin Stesichori*, hic *Pythagorae* aequalem facit, et ne vllus exceptioni, aut cauillationi locus relinquatur, posteriorem rationem sequi lubet, quae magis conducat Epistolis: cum regare coeperit Olymp. LIII. 4. desierit Olymp. LVII. 3. sexto decimo post anno.

I.

Phintias *vbi sita*, *quando condita*.

Epistola CXLVIII. (CXII.) ad *Ennenses*, ciuitatem *Siciliae*, *Phintienses*, ait *Phalaris*, et *Hyblaeos* pecuniam mutuo sibi promisisse: Οἱ δὲ ὑπέσχηντο δανείσειν, ὡς Ὑβλαῖοι, καὶ Φιντιεῖς. Diligenter curauit sophista, ne alias, quam quas in *Sicilia* esse sciret, ciuitates nominaret. Ibi enim Φιντία ponitur a *Ptolemaeo p*); ab *Antonino q*) *Phintis*, a *Plinio Phintienses r*). Sed quae mala fortuna huius scriptoris est, exstat fragmentum *Diodori s*), et eius quidem *Siculi*, in eiusque historia regionis bene versati, vt contra ipsum testimonio sit. Testatur excellens iste auctor, *Phintiadem* tyrannum *Agrigenti* (eiusdem ciuitatis, cuius ante eum *Phalaris* fuerat) primum condidisse, et nomine suo vocasse *Phintiadem*; Κτίζει δὲ Φιντίας πόλιν, ὀνομάσας αὐτὴν Φιντιάδα. id autem factum, cum *Romani* cum *Pyrrho* rege bellum gererent, h. e. ad Olymp. CXXV. adeoque CCLXX. amplius annis post mortem *Phalaridis*, etiamsi posteriorem S. *Hieronymi* rationem sequaris. Lepidum, hercle, errorem sophistae; cum, vt reliqui sui ordinis, in oratorum libris quam historicorum magis versatus, tyrannum inducit, argentum mutuo accipientem a ciuitate CCC. circiter ante annis, quam condita ea esset, aut nominata.

II.

Halesa, *quando condita. eius nominis plures ciuitates.*

Epistola XCII. (IX.) *Stesichoro* poetae minatur, quod pecuniam, et milites coactum obeat *Haluntium* et *Halesam*, καὶ εἰς Ἀλούντιον καὶ εἰς Ἄλαισαν· fieri autem posse, vt is ante, quam *Halesa Himeram*, ἐξ Ἀλαίσης εἰς Ἱμέραν, redeat, capiatur. Quam est dolendum rursus, sophistam non legisse *Dio-*

p) p. 79. q) p. 21. r) l. III. 8. s) p. 867.

dorum t)? inde enim didiciffet, tempore *Phalaridis* nondum exftitiffe iftam *Halefam*, conditam primum Olymp. XCIV. 2. ab *Archonida Siculo*; vel, vt alii tradunt, a *Carthaginienfibus* biennio circiter ante. vt adeo CXL. amplius annos poft vltima *Phalaridis* tempora hic habeas. Quibus addendi e fophiftae tabulis minimum duodecim. Datam enim hanc epiftolam fingit ante, quam *Phalaris* cum *Stefichoro* amicitiam contraxiffet; quod, vt ipfe narrat *v*), duodecim annis ante *Stefichori* mortem accidit, cui fuperftitem *Phalarin* facit. Memini, ab eodem auctore *x*) alias ciuitates nomine *Halefas* in *Sicilia* commemorari: fed e fitu manifeftum eft, eam *Archonidae Halefam* in Epiftolis intelligi. nam in eadem, qua *Himera* et *Haluntium*, (quibus fophifta tertiam iftam addit,) ora fita eft, ac parum inde diftat. Imo vero ne quidem alia iftius nominis ciuitas tempore fophiftae fupererat, reliquis longe ante deletis.

III.

Pocula Thericlea. Thericles *quis*. Cafauboni *error*. *mos vinum infundendi victimarum capitibus.*

Epiftola LXX. (CVI.) varia fplendida dona recenfentur, *Polycleto*, medico *Meffenio*, data, quod graui *Phalarin* morbo liberaffet. Inter alia memorantur *ποτηρίων Θηρικλείων ζεύγη δέκα*, *decem paria poculorum Thericleorum*. Verum, praeter bonam inuentionem, homini mendaci apprime vtilis eft tenax memoria. Ponam enim, auctorem non omnino ignoraffe, quando, et cur primum ifta pocula fic dicta fuerint; oblitum vero fuiffe miferum, cum hanc fcriberet epiftolam. Fuerunt pocula peculiaris figurae, a primo eorum inuentore, nomine *Thericle*, figulo *Corinthio*, fic dicta. *Plinius y*), non intellecto *Theophrafto*, calices eum torno feciffe, auctor eft. Verba *Theophrafti* z) funt: Τορνεύεσθαι δ' ἐξ αὐτῆς (τερμίνθου) κύλικας Θηρικλίους, ὥστε μηδ' ἂν ἕνα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας. *Eos, qui torno opus faciant, pocula* Thericlea *facere ex terebintho, quae non poffint internofci ab illis figulorum.* Vnde minime colligas, ipfum *Thericlem* torno opus feciffe. Poftqam enim primum inuenta ab eo effent, *Thericlea* dicta funt, a figura, a quocunque etiam artifice, fiue e terra, fiue ligno, fiue metallo, facta. Verum, vt iam dixi, teftantibus fcriptoribus omnibus, figulus fuit. *Hefychius*, Θηρίκλειος,

t) p. 246. 247.
v) ep. CIII. (XCVII.)
x) l. c.
y) l. XVI. c. XL. *Celebratur et* Thericles *nomine, calices ex terebintho folitus facere torno.*
z) Hift. Plant. l. V. c. IV.

κύλικος εἶδος, ἀπὸ Θηρικλέους κεραμέως. *Lucianus a*), Καὶ γηγενῆ πολλὰ, οἷα Θηρικλῆς ὤπτα. *Etymologicum M.* Θηρίκλειον κύλικα, ἥν λέγουσι, πρῶτος κεραμεὺς Θηρικλῆς ἐποίησεν, ὥς φησιν Εὔβουλος, ὁ τῆς μέσης Κωμῳδίας ποιητής. Verba *Eubuli*, ad quae respicit, sunt apud *Athenaeum b*):

Καθαρώτερον γὰρ τὸν κέραμον εἰργαζόμην,
Ἢ Θηρικλῆς τὰς κύλικας, ἡνίκ' ἦν νέος.

et,

Ὦ γαῖα κεραμῖτ', ἥ σε Θηρικλῆς ποτε
Ἔτευξε κοίλης λαγόνος εὐρύνας βάθος.

Sequitur altera quaestio, quando vixerit iste *Thericles*; id quod ex *Athenaeo* discimus, vnico, fateor, teste, sed qui in tali quaestione instar plurium sit. *Hoc poculi genus*, inquit *c*), *inuentum a* Thericle *est*, *figulo* Corinthio, *aequali* Aristophanis *comici*. Ac verisimile valde est, vt id didicerit ex aliqua fabula deperdita istius poetae, vbi mentio *Corinthii* figuli, vt tum viuentis, esset facta. Constat autem, omnes comoedias, quae quidem supersunt, *Aristophanis* scriptas esse, et actas inter Olymp. LXXXVIII. et XCVII. Interuallo XXXVI. annorum. Elige primum eorum; vixit *Thericles* cum poculis, quae nomen ab eo acceperunt, CXX. amplius annis post mortem *Phalaridis*.

Verum opposuerit aliquis, quosdam grammaticos veteres rationem plane diuersam reddere, cur pocula talia *Thericlea* dicantur. Sunt *d*), qui ortum putent Θηρίκλειος, ἀπὸ τῶν θηρίων, *a pellibus ferarum, in iis expressis*. *Pamphilus Alexandrinus e*) ita dictum putat, ἀπὸ τοῦ θῆρας κλονεῖν, *a terrore et metu victimarum, quando in sacrificiis vinum iis infunderetur istis poculis*. Ita verba *Pamphili* interpretor; ἀπὸ τοῦ τὸν Διόνυσον τοὺς θῆρας κλονεῖν, σπένδοντα ταῖς κύλιξι ταύταις κατ' αὐτῶν. Quid enim in veterum scriptis frequentius, memoria ritus istius vinum infundendi victimarum capitibus?

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fudit.

Nec vero fera animalia tantum; verum etiam mansueta, vt boues, vaccae, θῆρες dicuntur: quemadmodum auctor epigrammatis ἄνθρωπον μιξόθηρα *Minotaurum* vocat. Quapropter miror, doctissimum *Is. Casaubonum* σπεύδοντα loco σπέν-

a) Lexiph. p. 960.
b) lib. XI. p. 471.
c) p. 470. Κατασκευάσαι λέγεται τὴν κύλικα ταύτην Θηρικλῆς ὁ Κορίνθιος κεραμεὺς, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὸν Κωμικὸν Ἀριστοφάνη.
d) *Athenaeus* p. 471. Ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι, Θηρίκλειον ὀνομασθῆναι τὸ ποτήριον, διὰ τὸ δορὰς θηρίων αὐτῷ ἐντετυπῶσθαι.
e) ibid.

δοντα legere voluiſſe. vix enim, quo ſenſu id dici potuerit, aſſequor. Qod vero ad vetera *Athenaei* excerpta attinet, vbi is σπεύδοντα legi teſtatur; dubium nullum eſt, quin error ſolum ſit illius exemplaris, quo fuerit vſus *Caſaubonus*. *Euſtathius f)* enim, qui ipſum *Athenaeum* nunquam vidit, ſed iſta tantum excerpta, σπένδοντα legit, idque eodem, quo ego, ſenſu accepit: Ἢ διότι θῆρας κλονεῖ, σπένδουσι γὰρ κατ᾽ αὐτῶν κύλιξι τοιαύταις.

Ac de duplici quidem deriuatione nominis Θηρίκλειος quid dicam? Ecquid tam alienum, tam frigidum, tam indignum, quod refutetur? Nonne analogia clare docet, quemadmodum ab Ἡρακλῆς Ἡράκλειος, a Σοφοκλῆς Σοφόκλειος; ita a Θηρικλῆς oriri Θηρίκλειος? Vt mittam tot expreſſa teſtimonia, ſupra iam a me prolata; quibus addo illud *Pollucis g)*, Θηρίκλειον καὶ Κάνθαρον ἀπὸ τῶν ποιησάντων, *Plutarchi h)*, Οἵτε τὰς Ἀντιγονίδας, καὶ Σελευκίδας, καὶ Θηρικλείους ἐπιδεικνύμενοι, et *Clementis Alexandrini i)*, Ἐῤῥέτων τοίνυν Θηρίκλειοί τινες κύλικες, καὶ Ἀντιγονίδες, καὶ Κάνθαροι. Merito enim inde colligas, et *Plutarchum*, et *Clementem* crediſſe, Θηρικλείους oriri a Θηρικλῆς; quia reliquis poculis iunguntur, quae nomina acceperunt ab illis, qui aut inuenerunt, aut iis fuerunt vſi. Atque ita in nota MS. ad iſtum locum *Clementis* legitur: Θηρίκλειοι ἀπὸ Θηρικλέους τοῦ ἐφευρόντος. Iuuent igitur, quantum poſſint *Pamphilus*, et reliqui iſti grammatici; fraudis hic manifeſto conuictus eſt ſophiſta.

Ceterum non poſſum non a doctiſſimis editoribus boni *Phalaridis*, quibuscum mox etiam expoſtulandum mihi erit, diſſentire hoc loco; cum eorum noua in *Latinum* conuerſione hic *Thericles* plane euanuit. Nam loco *decem parium poculorum Thericleorum*, vt priores interpretes bona fide verterunt, ii ſimilem numerum *poculorum vitreorum*, errore ſcilicet correcto, nec vllo veſtigio relicto figuli *Corinthii*, nobis obtulerunt. Sordent vero iſta pocula inter tot res pretioſiſſimas, ibi memoratas, Φιάλας ἀπέφθου χρυσοῦ, etc. *Vaſa ex auro et argento, pulcherrimos ſeruos, quinquaginta millia drachmarum, et munificum ſalarium annuum.* Quod ſi *Agathocles* tyrannus decem paria poculorum vitreorum dono dediſſet, in ſignum amoris potuiſſet factum videri; quod in iuuentute figlinam exercuit, vt, proprii artificii fuiſſe, opinarere. Ac tale quid *Diodorum* de eo narrare memini. Qui vero potuerit tam vili ac fragili munere defungi *Phalaris*, equidem non aſſequor. Fateor, *Suidam* interpretari *poculum vitreum*; Θηρίκλειον, ποτήριον

f) ad Il. p. 1209.
g) l. vi. c. xvi.
h) in P. Aemil. p. 273.
i) II. Paed p. 69.

ὑάλινον, et *Etymol. M.* Θηρίκλειον κύλικα, ποτήριον ὑάλινον. Sed constat, antiqua lexica composita inprimis esse ex excerptis e *Scholiastis* et *Glossariis* in peculiares auctores; in aliquo quorum forte redditum semel fuerit, *poculum vitreum.* Sed vulgo aut etiam hic ita verti, et sermonis *Graeci* vsus, et ipsa ratio vetant. Nam praeter terram, ex qua primum fiebant, alia erant ex ligno, vt *Theophrastus* l. c. testatur; alia ex auro et argento, vt in *P. Aemilio Plutarchus:* Οἱ δὲ τὰς Θηρικλείους, καὶ ὅσα περὶ δεῖπνον ΧΡΥΣΩΜΑΤΑ τοῦ Περσέως ἐπιδεικνύμενοι, et *Athenaeus l*): Φέροντες οἱ μὲν οἰνοχόας, οἱ δὲ Φιάλας, οἱ δὲ Θηρικλείους μεγάλας, πάντα ΧΡΥΣΑ. Atque liberalitati *Phalaridis*, quae tot epistolarum materia est, melius consulueris, si pocula ista *Thericlea* ex argento, aut maioris etiam pretii metallo facta statuas.

IV.

Zancle *et* Messana *eadem ciuitas. quando* Messana *dici coeperit.* Pausaniae *error, eiusque contra* Cluuerium *vindicata lectio. aetas* Anaxilai.

Epistola LXXXV. (XXXVIII.) victoriam iactat reportatam a *Zanclaeis:* Ταυρομενείτας, καὶ Ζαγκλείους συμμαχήσαντας Λεοντίνοις εἰς τέλος νενίκηκα. Verum epistola LXXXIV. (CX.) et XXI. (CVIII.) Μεσσηνίοις, ad *Messanios*, data est, ibique ciuitas vocata Μεσσήνη. imo habes epist. I. (CVII.) Πολύκλειτον τὸν Μεσσήνιον. Videmus, commemorari *Zanclaeos* et *Messanios*, quasi diuersae ciuitates fuerint *Zancle* et *Messana*; quod certe ab ipso *Phalaride* proficisci non potuit. Imo ignorauisse sophistam, vtrumque nomen diuersis temporibus eidem ciuitati fuisse proprium, stupiditatis non excusandae est. Messana, inquit *Strabo m*), *quae antea* Ζάγκλη *dicebatur.* adde *Herodotum n*), *Diodorum o*), alios. At forte harum causa Epistolarum suspiceris, eam nominis mutationem factam esse sedecim istis annis, quibus tyrannidem obtinuerit *Phalaris*; epistolam vero LXXXV. (XXXVIII.) datam ante, post mutationem tres reliquas: sic ad irritum ceciderit hoc argumentum. Obstat vero ei coniecturae *Thucydides*, qui tradit *p*), Zanclaeos *expulsos a* Samiis, *aliisque, qui a* Medis *fugerent*, Ionibus, (quod contigit Olymp. LXX. 4. circiter)

l) l. v. p. 199.

m) l. vi. p. 268. Μεσσήνη Ζάγκλη πρότερον καλουμένη.

n) l. vii. Ζάγκλην, τὴν ἐς Μεσσήνην μεταβαλοῦσαν τοὔνομα.

o) l. iv. Ζάγκλης, νῦν δὲ Μεσσήνης ὀνομαζομένης.

p) l. vi. p. 414.

nec multo post, οὐ πολλῷ ὕστερον (forte tum, cum expeditionem in *Graeciam* fecit *Xerxes*, circa Olymp. LXXV. 1.) Anaxilaum *tyrannum* Rheginorum, *ipsos* Samios *expulisse*, *vrbemque a* Messena Peloponnesi, *vrbe patria*, Messanam *vocasse*. Prius confirmat *Herodotus q*): eique narrationi fauet *Diodorus r*), cum mortem huius *Anaxilai* apponit Olymp. LXXVI, 1. postquam regnasset annos XVIII. Iam posteriorem rationem S. *Hieronymi* elegeris; erunt LX. amplius anni inter mortem *Phalaridis*, et vrbem nouo nomine dictam *Messanam*. Vt, nisi vaticinandi arte, quasi spiritu, afflatum tyrannum statuas, fraudis tam manifestae nulla ratione absolui auctor Epistolarum possit. Sed, vt ingenue dicam, nec quidquam, quod eius causae fauere videatur, praetermittam silentio; *Pausanias s*) *Anaxilaum* hunc *Rheginum* CLXXX. circiter annis altius ponit, quam quidem *Herodotus* et *Diodorus*, et longe aliter rem narrat: Opem eum tulisse illis, qui *Messena Peloponnesi* fugissent, post bellum secundum cum *Spartanis*, quo *Zanclen Siciliae* occuparent, dictam inde *Messanam*, Olymp. XXIX. *Haec*, inquit *t*), *agebantur Olymp.* XXIX. *quando* Chionis Spartanus *secundum* Olympia *vicit*, *archonte* Athenis Miltiade. Quod si verum est, non possum non sophistae causa obseruare; potuisse sine vllo instinctu, ac rerum futurarum cognitione sibi vindicata, *Phalarin Messaniorum* mentionem facere. Voluit quidem id omne euertere *Cluuerius v*): vitium enim inesse in nostris *Pausaniae* exemplaribus statuit, et loco εἰκοςῆς, siue Olymp. XXIX. legit ἑξηκοςῆς, siue Olymp. LXIX. qui numerus maior est, quam qui possit auctori nostro conducere. Sed *Cluuerii* errorem opponere nolo: nam sine dubio verum est εἰκοςῆς, siue XXIX. quod *Messenii* tempus belli cum hac, non cum altera ratione conuenit; et in antiquo *Stadionicarum* catalogo *x*) *Chionidis* victoria ipsi illi anno apponitur. Vt, si *Pausaniae* auctoritas tanta sit, vt ea noster absolui possit, hac saltem in parte gloriosum exitum sit habiturus. Sed, hei misero! quid est, quo aut eum, aut seipsum defendere *Pausanias* possit contra *Herodotum*, et *Thucydidem*, scriptores tam propinquos temporibus, de quibus loquuntur? contra incognitos illos auctores, quos descripsit *Diodorus*?

q) l. vi. c. xxiii.

r) l. xi. p. 37.

s) Messen. p. 134.

t) Ταῦτα δὲ ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπράχθη τῆς ἐνάτης καὶ εἰκοςῆς, ἣν Χιόνις Λάκων τὸ δεύτερον ἐνίκα, Μιλτιάδου παρ' Ἀθηναίοις ἄρχοντος.

v) Sicil. Antiq. p. 84.

x) *Euseb. Scalig.* p. 39. Ὀλυμπιὰς εἰκοςὴ ἐνάτη· Χιόνις Λάκων ςάδιον· Τριακοςή· ὁ αὐτὸς τὸ δεύτερον.

contra vniuersam historiae seriem continuationemque tot rebus, iisdem temporibus gestis, confirmatam: vnde scias, vixisse *Anaxilaum* tempore *Xerxis*, eiusque patris, cum *Theron*, non *Phalaris*, *Agrigenti* esset Μούναρχος y)? Quod si adeo etiam sophistae obsequamur, vt tot grauioribus auctoribus fidem detrahamus, tribuamus *Pausaniae:* malum nihilominus insanabile erit, et quasi versura soluimus. Qui enim fieri potest, vt, qui in alia epistola *Messanii*, in hac *Zanclaei* dicantur? quod nomen istac *Pausaniae* ratione centum minimum ante datam hanc epistolam annis iam plane obsoleuerat.

V.

Πίτυος δίκην ἐκτρίβειν, quis primus dixerit, quid significet. pinus *natura.* Herodoti *error.*

Quae iam semel fraudis indicium praebuit, epistolam XCII. (IX.) si diligentius inspexeris, secundum reum confitentem habebis his verbis: Ὃς αὐτοὺς ἐκτρίψω πίτυος δίκην. Minatur *Phalaris Himerensibus*, *se pinus in morem eos exscissurum.* Ipsemet suo indicio miser sophista, quasi sorex, periit. Sic enim de huius dicti origine *Herodotus* z): Cum *Lampsaceni* in *Asia Miltiadem Atheniensem* cepissent, *Croesum* regem *Lydiae* nunciari iussisse: Eum nisi dimitterent liberum, se ipsos *exscissurum pinus in morem;* σφέας πίτυος τρόπον ἀπείλεε ἐκτρίψειν. *Lamsacenis* sententiam, *pinus in morem*, non assequentibus, tandem seniorem aliquem rem acu tetigisse: *De omnibus arboribus solam pinum exscissam, nunquam denuo a radice pullulare, sed plane inserire.* Videmus, tum temporis tam fuisse nouum hoc dictum, vt toti ciuitati negotium daret. Si igitur *Croesus* istac occasione primus id dixit, quo tandem euadet haec epistola? Cum enim, vt ante iam monui, ea duodecim amplius annis ante mortem *Phalaridis* scripta fingitur; sexennio minimum ante data est, quam *Croesus* regnare inciperet.

Imo non immerito suspiceris, ipsum *Herodotum*, qui centum minimum annis post *Phalarin* interfectum demum floruit, primum hoc dicto vsum fuisse. Constat enim, primos istos historicos orationes aliorum composuisse ipsos. Atque hoc magis etiam pudendus sophistae error. Caput tertium L. VIII. *A. Gellii*, qui interiit, sic inscriptum fuit: *Quod* Herodotus *parum vere dixerit vnam solamque pinum arborum omnium caesam, nunquam denuo ex iisdem radicibus pullulare.* Fallor, aut istoc capite ex *Theophrasto* a) commemorauit *Gellius* quasdam

y) *Herodot.* l. VII. p. 438.
z) l. VI. c. XXXVII.
a) Hist. Plant. l. IV. c. XIX. Caus. Pl. l. V. c. XXIV. *Plin.* l. XVII. c. XXIV.

alias arbores, quae, praeter pinum, decacuminatione intervant, *piceam*, *abietem*, *palmam*, *cedrum* et *cypressum*. Obsereari autem velim, *Gellium* dictum, erroremque in eo commissum, non *Croeso*, sed *Herodoto* attribuere: a cuius temporibus prouerbium factum est, quo notatur extrema pernicies, vt denuo emergendi spes nulla sit relicta. vid. Πεύκης τρόπον apud *Zenobium*, *Diogenianum*, et *Suidam*. Ac notandum, nostrum epistolarum mangonem ipsis verbis *Herodoti* vti, πίτυς et ἐκτρίψειν, cum reliqui tres loco πίτυς habeant πεύκη, et κόπτειν loco ἐκτρίβειν; manifesto indicio, habuisse eum ante oculos ipsum locum *Herodoti*. Apagesis hominem stupidissimum, et quorumuis lectorum contemtu dignissimum, qui, cum habitum et personam induere vellet *Phalaridis*, sciens verba, non nisi centum post annis primum in vsum recepta, locutus sit!

Quid vero nouissimi nostri editores? ii, quasi in hac sophistae causa corrupti fuissent, quantum poterant, praeciderunt, et quasi amputarunt hoc argumentum. Ausi enim sunt sententiam huius prouerbii in ipsummet exsequi, *pinumque* e noua sua in *Latinum* conuersione plane *exsciderunt*: Ὃς αὐτοὺς ἐκτρίψω πίτυος δίκην, i. e. ut κριτικώτατοι nostri interpretes aiunt, *Qui eos arundinis in morem conteram.* Vulgare nimis videbatur scilicet, quod priores interpretes habent: *Qui eos exscindam instar pinus.* Meminere quidem arundinis contritae et fractae elegantissima translatione scriptores sacri: cur vero, erstirpata innocua pinu, huc transferendae essent arundines, pro exigua mea in agricultura peritia, fateor me non assequi.

VI.

Taurominium, *ante* Naxos. *quando et cur mutatum nomen.* Prolepsis *quid. ea vsi* Porphyrius, Iamblichus, Conon, *alii.*

Vidimus iam epistola LXXXV. (XXXVIII.) boni nostri tyranni victoriam; ὅτι Ταυρομενείτας καὶ Ζαγκλαίας εἰς τέλος νενίκηκε, *eum* Tauromenitanos *et* Zanclaeos *funditus deleuisse*. Sed antiquum, et id quidem verissimum dictum est, πολλὰ κανὰ τοῦ πολέμου, *multa noua in bello*. Vidimus enim modo, illos ipsos deletos *Zanclaeos* mille annis post resuscitatos denuo, vt cladem ei maiorem etiam inferrent. Ac nunc alii quoque vicissim damnum olim sibi illatum vlciscuntur. Cum enim et hic, et epistola XV. (IC.) XXXI. (IIC.) et XXXIII. (C.) *Tau-*

rominitani dicuntur, nomini repugnant, ſeque declarant temporibus *Phalaridis* vocatos *Naxios*. Taurominium, inquit *Plinius b*), *quae antea* Naxos: et Taurominium, *quam priſci* Naxon *vocabant*, *Solinus c*). Quare neque *Herodotus*, neque *Thucydides*, cum ante nomen mutatum ſcripſerunt, vsquam de *Taurominio*, ſed de *Naxo* et *Naxiis* loquuntur. Quando, cur, et quemadmodum mutatum ſit, copioſe exponit *Diodorus d*): Quoſdam *Siculos* Olymp. XCVI. I. occupaſſe montem nomine *Taurum* prope ruinas *Naxi*, nouamque vrbem ibi condidiſſe, quam *Taurominium* vocarent, *ἀπὸ τοῦ ταῦρος καὶ μένειν*, *a ſedibus ſuis in* Tauro. Annis vero circiter quadraginta poſt, Olymp. CV. 3. *Andromachum* quendam *Taurominitanum*, qui de priſcis *Naxiis* ſuperſtites eſſent, per totam *Siciliam* diſperſos coëgiſſe, ibique, vt ſedes figerent, perſuaſiſſe. Teſtimonium hoc ita profecto comparatum eſt, quod neque robore ſuo, nec ſtrategemate tyrannus evertere, nec poſſit ſua rhetorica refellere ſophiſta. Quorſum ergo illi euadent, qui *Phalarin* auctorem elegantiſſimum Epiſtolarum iactant, proprio licet concrematum tauro, CL. amplius ante *Taurominium* conditum annis.

Sed ne quid praetermittam in cauſa Epiſtolarum; quod, etſi rem non conficiet, tamen, quantum poterit, valebit. Dedimus, *Pythagoram* aequalem fuiſſe *Phalaridis*: ſit tamen in hiſtoria iſtius philoſophi mentio conuerſationis eius, rerumque geſtarum *Taurominii*. *Liberauit*, inquit *Porphyrius e*), Crotonem, Himeram *et* Taurominium *tyrannis*; praeterea, *uno eodemque illum die f*) Metaponti *in* Italia *et* Taurominii *in* Sicilia *fuiſſe*, tradit. Idem vid. apud *Iamblichum g*), qui aliud etiam nobis ſuppeditat *h*): Pythagoram *iuuenem* Taurominitanum *ebrium*, *recitatis paucis verſibus ſpondaicis*, *reddidiſſe ſobrium*. *Conon* quoque narrat *i*): Mileſium *quendam tempore* Cyri, *patria relicta*, Taurominium *in* Sicilia *ſe contuliſſe*. Quae omnia illuc tendere videntur, vt fidem Epiſtolis adferant; temporibus *Pythagorae* et *Phalaridis* et nomine extitiſſe, et re *Taurominium*. Fateor, id veriſimile valde eſſe, ac ſaluum euaſurum ſophiſtam; ſed craſſiore figura in ſua ipſius arte *rhetorica*, quam *prolepſin* vel *anticipationem* vocant; quando ſcilicet poetae aut hiſtorici locum aliquem nomine vocant illis

b) l. III. c. VIII.
c) c. XI.
d) l. XIV. p. 282, et 305. l. XV. p. 411.
e) Vit. Pythag. p. 169. Καὶ Ταυρομένιον.
f) p. 192, et 193.
g) p. 128
h) p. 109. Ταυρομενίτην μειράκιον.
i) Narrat XXXVIII. εἰς τὸ ἐν Σικελίᾳ Ταυρομένιον.

temporibus, de quibus agunt, nondum cognito. Vt, cum *Virgilius* de *Aeneo* canit;

— — — *Louinaque venit Littora;* — —

et de *Doedolo*,

Chalcidicaque leuis tandem super adstitit arce;

excusatione *prolepseos* defendi potest, licet istaec loca tempore *Daedali* et *Aeneae* nondum ita vocata fuerint. Similem excusationem habet *Ouidius*, cum *Taurominium*, *Himeram*, et *Agrigentum* aeque antiqua, ac raptum *Proserpina* esse, canit *l*):

Himeraque et Didymen Acragantoque, Tauromenenque.

Ita *Porphyrius* et *Iamblichus* cum in historia *Pythagorae*, in historia vero *Milesii* sui *Conon* per *Taurominium*, quod postea ei nomen fuit, *Naxon* intelligunt; eadem figura excusantur. Nam idem est, quasi dico, Iulium Caesarum Franciam *deuicisse*, *et in* Angliam *suscepisse expeditionem*: licet sciam, tunc temporis *Galliam* et *Britanniom* dictas fuisse eas regiones. Verum cum *Pholaris* tot aetatibus ante, quam *Taurominium* esset, eius meminit, similis *prolepseos* excusatione defendi non potest. Neque enim *poetica*, sed *prophetico* istaec anticipatio est. Et aut *Sibyllorum* praesensionem, rerumque futurarum scientiam habuerit, aut eius Epistolae aeque falsae et commenticiae sint, atque *Oracula* nostra *Sibyllino*, necesse est.

VII.

Λόγος ἔργȣ σκία, *dictum* Democriti. *error* Mich. Psselli, *et* Isidori Pel.

Epistola XXXV. (XCII.) ad *Polygnotum* sententia, e disciplina morum depromta, nobis offertur, *ὅτι λόγος ἔργȣ σκία παρὰ τοῖς σωφρονεϛέροις πεπίϛευται*, *verba o sapientioribus vmbram baberi rerum*, i. e. quemadmodum, nisi praesente corpore, nulla vmquam vmbra sit, sic verba res comitari. Dictum hercle, egregium, quo nos sibi obstrinxit auctor eius; quod, nisi modeste singnificasset *Phaloris*, ab aliis ante se vsurpatum, ipsius esse fortasse putaremus. Verum tum aut valde errauissent eruditi, aut *Democritus* turpe commisisset furtum: is enim sibi vindicat primam inuentionem eius, vt testis *Loertius* est *m*), Τȣ̃τȣ ἐϛὶ καὶ τὸ λόγος ἔργȣ σκιή; et *Plutarbucs n*), Λόγος γὰρ ἔργȣ σκιὴ κατὰ Δημόκριτον. Quid itaque? Erat *Democritus* vir probus, et ingeniosus; nec opus habebat aliorum dicta compilare. Praeterea adsunt *Plutarchus* et *Diogenes*, duo testes, quos, si apud antiquiores scriptores

l) Fast. l. iv. 475. *m*) Vit. Democrit. *n*) de Educat. Puer.

id inueniſſent, puduiſſet, aſſentandi ſtudio id *Democrito* attribuere. Graue quidem hoc auctori Epiſtolarum: ſed meane culpa factum? Cautius rem ſuam egiſſet, ſi tyranni perſonam voluiſſet agere. Poſterior enim *Democritus*, primus ſententiae auctor, tempore fuit, quam qui *Pythagoram* etiam nouiſſet. Τὰ τῶν χρόνων μάχεται, inquit *Diogenes o)*. Fuit tamen *Phalaridi* ſuperſtes *Pythagoras*, imo, ſi fides eius diſcipulis habenda, de regno illum deiecit. Ponamus quadraginta annorum interuallum; ſcripſiſſe *Democritum*, ab Olymp. LXXXIV. in Olymp. XCIV. qua mortuus eſt: erit initium eius centum amplius annis poſterius vltimis *Phalaridis* temporibus.

Noui, *Michaelem Pſellum p) Simonidi*; *Lacedaemoniis Iſidorum Peluſiotam q)*, ſententiam attribuere: ſed in hac quaeſtione contra *Plutarchum* et *Diogenem* exigua eorum auctoritas eſt. Nec multo melius res cadet, ſi eorum teſtimoniis fidem habueris. Nam *Simonides* ſeptem annos tantum erat natus, quando *Phalaris* interficiebatur. Si vero *Lacedaemoniorum* apophthegma fuit, licet tempus definitum non ſit, merito ſuſpiceris, eſſe id illo recentius.

VIII.

Ἀθάνατος ὀργὴ, *quis primus dixerit.* Ariſtophanis Διδασκαλίαι. Euripidis Philoctetes, *quando ſcripta.*

Epiſtola LI. (XXIV.) ad *Eteonicum* alia ſententia eſt: Θνητὸς γὰρ ὄντας ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν, ὥς φασί τινες, ὁ προσήκει; *Mortales immortalem iram habere non oportet.* Sed vereor, vt meliorem, quam modo, exitum ſit habiturus ſophiſta. *Ariſtoteles r)* enim inter alias ſententias, verſibus expreſſas, vt notum vulgo, citat hunc iambicum;

Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

Haec, vt pleraeque eius generis ſententiae, quae in prouerbium venerunt, licet nomen auctoris non ſit additum, a ſcena videtur orta; atque adeo tempore *Phalaridis* recentior eſt, cuiuscunque poetae, ſiue tragici, ſiue comici, ea ſit.

Ac ne ſuſpiceris, ipſum poetam, tanquam tritum ſermone vulgi prouerbium adhibuiſſe, ab eo tantum in formam verſus redactum; videndum, poſſintne clariora veſtigia imitationis inueniri, et larua tyranni tectus diſcerni ſophiſta. Sunt apud *Stobaeum s)* hi verſus ex *Philoctera Euripidis:*

o) Vit. Democrit.
p) de Daem.
q) Epiſt. CCLII. et CCLIX.
r) Rhetor. l. II. c. XXI.
s) Tit. XX. Περὶ Ὀργῆς.

Ὥσπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
Οὕτω προσήκει μηδὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
Ἀθάνατον, ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται.

Quae si cum verbis epistolae composueris, apparebit, auctorem ea ipsa ante oculos habuisse. est ἔχειν, et προσήκει, non dicam sensus, sed verborum etiam, et eorum ad sententiam non necessariorum, conuenientia: quod casu fieri non potuit. Vbi nunc ad tantas angustias redactus sophista inueniet, qui fidem eius vacillantem sustentet? necdum enim *Euripides* tempore *Phalaridis* erat natus. Imo, vt propius etiam accedamus, ex *Aristophane t*), celebri illo grammatico (qui, post *Aristotelem, Callimachum*, alios, Διδασκαλίας scripsit, seu, *indicem omnium fabularum, additis temporum notis;* opus, si nunc exstaret, historiae vtilissimum) nouimus, ipsam hanc fabulam, *Philoctetem*, fuisse scriptam Olymp. LXXXVII. h. e. annis post tyranni interitum CXX.

IX.

Δαίμων ἕτερος, et τὸν ὄλεθρον εὗρε, *quinam dixerint.*

Epistola XII. (XXIII.) *Phalaris* exhibet, his verbis officiosissimis amicos suos compellantem: Ὧν εὐτυχούντων, κἂν αὐτὸς ἑτέρῳ συμπλακῶ δαίμονι, ἡσθεὶς ἧττον εὐτυχεῖν δόξω; *Se, donec ii felices essent, etiamsi ipse aduersam fortunam experiretur, nihilo minus gaudio, quod inde perciperet, felicem sibi visum iri.* Est aliquid in verbis, ἑτέρῳ δαίμονι, *alteri deo*, vel *genio*, non alienum a poeta, et, aut fallor, aut originem habent a Musis. Recordor, *Pindari v*) esse,

Δαίμων δ' ἕτερος
Ἐς κακὸν τρέψαις ἐδαμάσατό νιν·

aut *Callimachi.* citatur enim ibi a scholiasta hic *scazon*;

Οὐ πάντες, ἀλλ' οὓς ἔσχεν ἅτερος Δαίμων.

Vtrum eorum sit imitatus noster auctor, non definio. *Pindarum*, crederem, nisi scirem, alia occasione familiarem ei fuisse *Callimachum*. Epistola CXXII. (V.) de tauro aeneo a *Perillo* inuento, Ὑπὲρ ἐμοῦ τὸν ὄλεθρον εὗρε κατὰ τῶν ἐπιβουλευόντων ἀχθηρότατον. vbi quae leguntur, verba, τὸν ὄλεθρον εὗρε, ex *Callimachi x*) versibus de eadem re depromsit:

Πρῶτος ἐπεὶ τὸν ταῦρον ἐκαίνισεν, ὃς τὸν ὄλεθρον
Εὗρε, τὸν ἐν χαλκῷ καὶ πυρὶ γινόμενον.

t) Argument. *Medeae Eurip.*
v) Pyth. III.
x) Scholiast. *Pindar.* Pyth. I.

Vtrumuis elegeris, notior eorum aetas eſt, quam vt neceſſe ſit, temporum rationem inire, quo pateat, non *Phalaridi*, ſed, qui ei a ſecretis, ſophiſtae attribuendas eſſe Epiſtolas.

X.

Pythagoras *primus* philoſophiam, *ſemet* philoſophum *vocauit*.

Epiſtola XXIII. (LXXIX.) ad *Pythagoram* data eſt, ibique doctrina eius *philoſophia* vocata: Ἡ Φαλάριδος τυραννὶς τῆς Πυθαγόρου ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ πλεῖσον ὅσον δοκεῖ κεχωρίσθαι. Sic epiſt. LVI. (LXXVII.) is *philoſophus* dicitur: Πυθαγόρᾳ τῷ ΦΙΛΟΣΟΦΩι. Sunt vero quamplurima veterum teſtimonia, quibus demonſtrari poteſt, primum eam vocem inueniſſe *Pythagoram*: ſed duobus defungar, altero *Diogenis Laertii*, altero *Ciceronis*. Et ille quidem, Φιλοσοφίαν, inquit y), πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν Φιλόσοφον, ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι, τῷ Σικυωνίων τυράννῳ, ἢ Φλιασίων: Philoſophiam *primus vocauit* Pythagoras, *et ſemet* philoſophum, *cum* Sicyone *cum* Leonte Sicyoniorum *aut* Phliaſiorum *tyranno diſſereret*. Hic vero z), Leontem, *cum* Pythagoras *quaedam cum eo diſſeruiſſet, eius ingenium et eloquentiam admiratum, quaeſiuiſſe ex eo, qua maxime arte confideret. at* Pythagoram, *artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe* PHILOSOPHVM. *admiratum* Leontem *nouitatem nominis, quaeſiſſe, quinam eſſent philoſophi, et quid inter eos et reliquos intereſſet.* Quantum diſcriminis hic inter duo tyrannos? Alter, quid ſit *philoſophus*, ignorat; alter aeque tritum, ac nomen *ſapientium Graeciae* habuiſſe videtur, idque ante, quam cum *Pythagora* vnquam diſſeruiſſet. In tam remota antiquitate dici non poteſt, priusne ſit habitum hoc cum *Phalaride*, an illud cum *Leonte* colloquium; Si illud cum *Phalaride*, neceſſe eſt, falſas eſſe Epiſtolas. Sed fac, ante habitum id cum *Leonte*; tamen non longe ante alterum eſſe potuit. Ac credibile non eſt, rei tam minutae rumorem tam ſubito cuſtodes *Phalaridis* peruadere, nec obſtante ingenti tauri boatu, potuiſſe in ipſam aulam ad eius aures penetrare. Imo audiuerit aliquid; tamen in epiſtola ad *Pythagoram* breui ſaltem deſcriptione fuiſſet vſus, *ſcientia* illa, *quam tu* philoſophiam *vocas*; non tanquam vulgo notum vocabulum, et quod in ipſis cunis iam didiciſſet a nutrice, id adhibuiſſet.

y) p. 3, et 26. z) Tuſcul. l. v. 3.

XI.

Tragoedia, *eius inuentor* Thefpis. *praemium* tragicorum *poetarum.*

Epiftola LXIII. (XVIII.) *Ariftolocho* cuidam, poetae tragico, de quo nemo mortalium vnquam aliquid audiuit, infenfus admodum eft, *quod tragoedias in fe fcribat;* κατ' ἐμῦ γράφειν τραγῳδίας; et epiftola XCVII. (XCIII.) *Lyfino*, eiusdem notae poetae, minatur, quod et *tragoedias* et *hexametros in fe fcribat;* ἀλλ' ἔπη καὶ τραγῳδίας εἰς ἐμὲ γράφεις. Vt rudem loquendi rationem *tragoedias fcribere in fe*, excufem; neque enim poterat, quamdiu viuebat, tragoediae argumentum effe: non poffum non ab eius tormentis tutus, audacter pronunciare, falfo illos accufari. Nam neque re, neque nomine adhuc tragoedia erat, cum is *Agrigenti* tyrannus effet. Vt mittam obfcuram illam *Epigenis Sicyonii* hiftoriam; *Thefpin* primum eius inuentorem fuiffe ex *Horatio* nouimus:

Ignotum tragicae genus inueniffe camenae
Dicitur, et plauftris vexiffe poemata Thefpis.

Nec nomen tragoediae re ipfa antiquius, vt aliquando fit, cum verbum obfoletum ad rem nouam notandam transfertur; fed vtrumque fimul natum eft, nomine orto a τράγος *hircus*, quod praemium optimi poetae et actoris fuit. Docuit autem *Thefpis* primam fabulam ad Olymp. LXI. a) duodecim adeo amplius annis poft mortem *Phalaridis.*

XII.

Phalaris Attice *loquitur.* Doricâ *dialectus* Siculorum. Siculi *unde orti.* Doricae *dialecti varia ratio.* Syracufae *et* Agrigentum *originis* Doricae. Aftypalaeae *incolae* Dorienfes. Ocelli Luc. *lib. de Nat. Vniu.* Dorice *fcriptus. Caufa occafus fectae* Pythagoricae. Empedocles, Diodorus, *alii*, Dorienfes, *patriam Dialectum cur declinauerint.*

Quod fi ea, quam hactenus fecuti fumus, difputandi via incertior videatur, quam vt poffis planum deprehendere: proprio tamen fe fermone prodit. Nam *Attice* loquitur, quam dialectum tanto opere amabant fophiftae, vt ea omnes fuas Μελέτας confcriberent, et alius alium fuperare ad affectationem vsque ftuderent. Sed non attendit, fcenam Epiftolarum non

a) Marm. *Arund.* *Suidas* in v. Θέσπις

Athenis, sed in *Sicilia* esse; vbi *Dorice* loquebantur, et scribebant: quemadmodum, praeter aliorum testimonia, discimus ex ipsis fragmentis scriptorum *Siculorum*, *Sophronis*, *Epicharmi*, *Stesichori*, *Theocriti*, *Moschi*, aliorum. Quid est igitur, quod de omnibus *Attice* scripserit tyrannus, non illis tantum, quae cum exteris populis ad rempublicam pertinentia transegit, sed de rebus etiam domesticis se et amicos *Siculos* inter gestis, sed de ipsis rationibus oeconomicis? Qui, amabo, factum est, vt istaec dialectus *Agrigenti* in aula inualuerit? Mirum, hercle, tyrannum, et quidem talem, adeo captum fuisse dialecto populi, tam μισοτυράννα; qui sua aetate *Pisistratum*, principem licet optimum, regno expulerat: inprimis, cum priscis istis temporibus ante, quam fabulis, philosophia, et historia celebris esset facta per *Graeciam*, pluris ea non fieret, quam reliquae.

Nec vero ita intelligi hoc velim, quasi *Doricam* dialectum omnium totius *Siciliae* populorum patriam esse dicam. Noui, priscos *Sicanos*, insulae indigenas, peculiari sermone et proprio vsos; *Graecum* vero ibi, vt *Punicum* peregrinum modo fuisse, vna cum coloniis, quae eo migrarunt, translatum. Quae cum *Corinthiacae* inprimis, *Cretenses*, *Rhodiae*, similesque essent, quae omnes *Dorice* loquebantur: inde factum est, vt tanto opere istaec dialectus per vniuersam fere *Siciliam* increbruerit. quemadmodum id, vt alia testimonia mittam, ex nummis eius insulae intelligi potest, ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ, ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ, ΘΕΡΜΙΤΑΝ, ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ, ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ, ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ etc. quae nomina omnia nummis earum inscripta, *Dorice* locutas istas ciuitates, demonstrant. Fateor, venisse aliquas in *Siciliam*, ex *Euboea*, *Samo* et aliunde, quae in illis locis, quae occupauerant, aliquandiu forte *Dorice* locutae fuerint, ac deinde *Doriensibus* mixtae nouum dialecti genus fecerint, ex vtraque compositum; quemadmodum *Himerensium* linguam ex *Dorica* et *Chalcidica*, primum fuisse mixtam, *Thucydides* b) obseruat. Sed idem in ipsa etiam *Graecia* accidit: vbi, cum vniuscuiusque regionis sermo peculiare aliquid, quod in alio non esset, haberet, singularum dialectorum ὑποδιαιρέσεις c) τοπικαὶ fuerunt. Neque tamen est, cur minus in genere *Siculos Dorice* locutos, dicamus. Reliquae enim dialecti a duabus illis potentissimis ciuitatibus, quae totam insulam inter se fuerant partitae, originis *Doricae*, *Syracusis* et *Agrigento*, sensim obscuratae, tandem extinctae fuerunt. Erant *Syracusae* colonia *Corinthiaca*

b) l. vi. p. 414. c) Vetus auctor περὶ διαλέκτων, *Herod.* l. 1. p. 142.

quae patria dialecto *d*) vtebatur. *Agrigentum* primum conditum est a *Gelois Siculis*, ipsa colonia *Cretensium*, et *Rhodiorum*, vtrorumque natione *Doriensium*. Quamuis igitur in aliis quibusdam ciuitatibus aliquamdiu obscura quaedam vestigia dialecti *Ionicae* reperta sint; excusari tamen nulla ratione sophista noster potest, cum tyrannum *Agrigenti*, ciuitatis origine et sermone *Doricae*, Epistolas tali dialecto scribentem inducit, quasi is esset scholis *Atheniensium* institutus.

Est vero *e*) vir quidam doctus, linguae *Graecae* professor (quem inter *Phalaridis* patronos recensere supra, oblitus sum), qui, postquam Epistolas *Euripidis* vindicasset, harum etiam gratuitam defensionem, quod quidem attinebat ad quaestionem de dialecto, suscepit: Phalarin enim Astypale *esse natum*, *vna de* Cycladibus, *vbi* Atheniensium *esset colonia*; vt esset probabilis ratio, cur istac dialecto vteretur. Facile esset, vno quasi ictu primum hoc argumentum euertere, refutando Epistolas nostras commenticias, et longe grauioribus auctoribus probando, patria *Siculum* fuisse *Phalarin*. Sed de eo forte in sequentibus; nunc illis argumentis tantum vtar, quae singula etiam sine alterius auxilio stringant. Venerit igitur *Phalaris Astypalaea* (ita enim vocatur), vna de *Sporadibus*, cuius meminere *Strabo f*) et *Plinius g*). Fateor, quosdam editorum Phalaridis nouam eius patriam inuenisse *Astypalaeam*, *Cretae* ciuitatem, a nullo ante geographorum memoratam, sitam trecentesimo septuagesimo gradu longitudinis, *Vtopiam* spectantem a parte, quae media inter meridiem et septentrionem est. Ac lubens iis concedo, aut in hac, aut in nulla earum natum esse *Phalarin*. Quoniam vero plerique insulam malunt, bona cum venia eorum rem ita se habere, ponam; ibique antea videri fuisse coloniam *Atheniensium*, quorum de posteris vnum *Phalarin* ob istam rationem non potuisse non habere pronunciationem, ad eorum dialectum inflexam. Quam ergo dolendum est, siue *Phalarin*, siue, qui ei a secretis erat, sophistam, nullam istius coloniae notitiam habuisse, cum ad *Athenienses* scriberet epistolam CXXII. (V.) Ὦ σοφώτατοι γηγενεῖς Ἀθηναῖοι! Quam potuisset honorificam facere commemorationem cognationis eorum! Quod si quis expresso testimonio probauerit, coloniam in istac *Astypalaea* fuisse *Atheniensium*, is plura me, quam quorum nunc memini, docuerit. Noui quidem ex *Thucydide h*), et aliis, in plerasque insulas colo-

d) *Theocrit.* Id. xv.

e) Vid. *Euripid.* edit. *Cantabr.* p. 523.

f) l. x. p. 488.

g) l. iv. c. xii.

h) l. i. p. 10. Καὶ Ἴωνας μὲν

nias esse missas ab *Athenienfibus*; ques inter et haec fuerit. Sed quid tum? adeone in posterum semper *Attice* locuti fuerunt, vbicunque semel pedem fixerunt, *Athenienses*? Tradit ibidem *Thucydides*, eos in *Ioniam* colonias misisse. Habuere colonias *Ephesi*, *Mileti*, et in plerisque vrbibus maritimis minoris *Asiae*. Imo fuerunt *Iones* et *Attici* olim iidem, sermo idem; cumque *Homerus* canit,

Ἐνθάδε Βοιωτοὶ καὶ Ἴαονες — —

eum *Athenienses* intellexisse, constat *i*). Et tamen progressu temporis, dialecto, a patria diuersa, vsos eos fuisse nouimus. Quid est igitur, cur tenax adeo *Atticae* dialecti fuerit *Astypalaea*, vt ne viginti annorum mora in *Sicilia* aliquantum eam mutare in vno de insulanis posset? Fuit tum aliquamdiu publicanus. Quid igitur? Nonne frequenti istoc cum *Doriensibus* commercio sensim os eius fuisset paulo diductum latius? Nonne is, qui tyrannidem affectabat, et ea de causa auram captabat populi, antiquam suam dialectum cum illa loci commutauisset, cauissetque, ne quoties loqueretur, peregrinae suae originis inuidiosa memoria animos refricaret? Quid vero, si ipsos *Astypalaeenses Dorice* locutos inuenimus? Quod si coniecturam facias e vicinitate insularum adiacentium; vix dubitari potest, fuisse *Dorienses*. Teste *Strabone l*), sita insula est inter *Coon*, *Rhodum*, et *Cretam*, μεταξὺ τῆς Κῶ μάλιστα, καὶ Ῥόδου, καὶ Κρήτης. Atque earum incolas omnes *Dorice* locutos fuisse, notius est, quam vt testimoniis opus habeat. Sed vt vno verbo defungar; manifestum est, *Astypalaeam* hanc *Doriensium*, non *Atheniensium* coloniam fuisse: erat enim *Megarensium*, vt expressis verbis testatur *Scymnus Chius m*):

Ἐν τῷ πόρῳ δὲ κειμένη τῷ Κρητικῷ
Ἀποικός ἐστιν Ἀστυπάλαια Μεγαρέων,
Νῆσος πελαγία. —

Sed videamus, quid secundo *n*) loco pro *Phlaride Attice* loquente dictum sit: Similia aliorum scriptoruin exempla inueniri, qui cum *Dorienses* essent, patrium sermonem postposuerint *Attico*; vt *Diodorus Agyrinensis*, *Empedocles Agrigentinus*, et *Ocellus Lucanus*. Vt, etiamsi *Siculus* fuisses *Phalaris*, excusationem tamen haberet sermonis patrii neglecti. Sed bona

Ἀθηναίοι καὶ Νησιωτῶν τοὺς πολλοὺς ᾤκισαν. *Isocrat.* Panath. *Plutarch*, de Exilio.

i) *Strabo* l. VIII. p. 333. et l. IX. p. 392.

l) l. X. p. 488.

m) v. 550.

n) *Sed nec ipse* Diodorus Siculus, *nec* Empedocles Agrigentinus, *nec* Ocellus Lucanus Dorice *sed* Attice *fere scripserunt*,

cum venia dixerim, id argumenti talibus rationibus inniti, quae quam maxime alienae a causa Epistolarum sint.

Scripsit *Ocellus Lucanus*, philosophus *Pythagoreus*, libellum de *Natura Vniuersi*; saepius editum, ἐν τῇ κοινῇ διαλέκτῳ, communi dialecto *Graecorum*. Sed, nisi ingratum erit, demonstrabo, auctorem non illo, quem nunc gestat, habitu induisse eum, sed ad morem patrium composito, *Dorico*. Inter omnes enim sectae istius *Italicae* conuenerat, Φωνῇ χρῆσθαι τῇ πατρῴᾳ *o*). Hoc ab ipso *Pythagora* iniunctum iis; erat totius sectae quasi tessera, quam, qui non omnino rudes historiae eorum sunt, ante, quam confregissent, potius morituros eos fuisse, norunt. Nec dubitandum est, quin, si quis, libro edito, secus fecisset, is fuisset eiectus de societate. *Iamblichus* etiam, vbi id conuenisse inter eos narrat, in vniuersum excepit neminem; quod neque ignorantia, neque obliuione fieri potuisset, si liber tam vulgo notus, qualis hic *Ocelli*, *Attice* fuisset scriptus. Imo constat, alia huius scriptoris opera *Dorica* dialecto composita esse; vt Περὶ Νόμου, *de Lege*, citatum a *Stobaeo p*). Fragmenti principium est: Συνέχει τὰ μὲν σκάνεα ζῶα, ταύτας δ' αἴτιον ψυχά· τὸν δὲ κόσμον ἁρμονία, ταύτας δ' αἴτιος ὁ θεός. Sed, quod rem extra omnem controuersiam ponit, quatuor loca ab eodem *q*) depromta inuenias ex hoc ipso libro, Περὶ τῆς τοῦ παντός Φύσεως, *De Natura Vniuersi*; et ea quidem non, vt nunc exstant, dialecto communi *Graecorum* scripta, sed omnia *Dorice*. Primi principium hoc est: Ἔτι δὲ τὸ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτατον καὶ τῶ σχήματος καὶ τᾶς κινάσιος καὶ τῶ χρόνω καὶ τᾶς ὠσίας τοῦτο πιστοῦται· quod sic vulgo in *Ocelli* libro p. 16. *r*): Ἔτι δὲ καὶ τὸ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον καὶ τοῦ σχήματος καὶ τῆς κινήσεως καὶ τῆς οὐσίας τοῦτο πιστοῦται. Secundi principium hoc est; Ἐπεὶ δ' ἐν τῷ παντὶ et exstat p. 17. Tertii hoc; Πράτως γὰρ ὕλα τὸ πανδεχὲς, κ. τ. λ. quod p. 21. Πρώτως ὕλη τὸ πανδεχές. Quartus, Παντελὴς δὲ Φθορὰ τᾶς περὶ τὰν γᾶν διακοσμάσιος, exstat communi *Graecorum* dialecto p. 31. Παντελὴς δὲ Φθορὰ τῆς περὶ τὴν γῆν διακοσμήσεως. Ex quibus efficitur vtrumque, vt et *Ocellus* scripserit *Dorice*, nec adeo possit istoc exemplo excusari *Phalaris*; et, quod maioris est momenti, id, quod nunc exstet, verum *Ocelli* opus sit existimandum; cuius fidem adhuc suspectam eruditis reddidit dialectus. Discimus enim ex his fragmentis, singula verba veri operis fideliter seruata esse; sermone *Dorico* pro arbitrio

o) *Iamblichus* Vit. Pythag. 202.
p) Eclog. Phys. c. xvi.
q) Ibid. c. xxiv.
r) Edit. *Cantabr.*

librarii alicuius post tempora *Stobaei* in communem solum conuerso.

Quod vero ad *Empedoclem* et *Diodorum*, poetam alterum, alterum historicum, attinet; quaestio plane diuersa est ab illa de tyranno. Ille enim carmen scripturus epicum ingenii excellentioris indicium praebuit, cum patriae dialecto *Ionicam* praeferret; qua *Homerus*, eiusque sectatores ante eum fuerant vsi, quamque dominari, vt par erat, in carmine heroico voluerant. Neque enim in *Dorico* sermone tanta gratia, tanta maiestas, vt par esset eius argumento; qui mimis, comoediis, et bucolicis, quibus personae minus illustres inducuntur, aptus; vel epigrammatis tenuioris stili operis; vel lyricis et choris tragoediarum ad modum *Dorium;* non vero heroicis, sine magno detrimento. Similiter historicus cum reliquis suae gentis, aliorumque *Doriensium*, *Philisto*, *Timaeo*, *Ephoro*, *Herodoto*, *Dionysio Halicarn.* aliis, merito declinauit a patria dialecto, vt parum accommodata historiae; quae, praeter affectationem eloquentiae, facilitatem amat, perspicuitatemque, et communi vsui est destinata. Est vero rudior *Dorica* et inficeta magis, multumque habet obscuritatis, ἐχέσης τι καὶ ἀσαφὲς τῆς Δωρίδος διαλέκτε, vt ait *Porphirius s)*, qui sectae *Pythagoricae* occasus causam libris eorum, ista dialecto scriptis, attribuit. Iam vero quaero, quae sit inter *Phalaridis* et illam historicorum aut poetarum heroicorum causam similitudo? Quid erat, quod peregrinam dialectum assumeret? Datae Epistolae in media *Sicilia*; et eae pleraeque ad ciuitates vicinas, vel proprios ministros, de rebus priuatis, vel ipsis etiam rationibus accepti et expensi, nec vnquam publico lumini destinatae. Quapropter, si quis adhuc tyrannum excusare velit, quod ea omnia *Attico* sermone tractauerit, huic profecto concedenda gloria tanta, quanta seruo etiam fidelissimo eius competit.

XIII.

Linguae tempore mutantur. Προσζρέπειν, accusare; Προδιδόναι, ante dare; διώκειν, sequi; Θυγάτηρ, ancilla; Παίδων ἐραστὴς, liberorum amans; *etc.*

Quoniam vero leges sibi natas negant tyranni; vsurpauerit *Phalaris Atticam* dialectum, non alia de causa, quam quod ita placuisset: superest aliud, quod falsas Epistolas arguat. Qui enim tempore *Phalaridis* erat *Atticus*, ibi expressus non

s) Vit. Pythag. p. 205.

eſt, ſed longe recentior ſermo et ſtilus, qui toto ſuo habitu et colore aliquot ſeculis eo poſteriorem ſe prodit. Quae corporum animalium, circuitu et transmiſſione humorum, eadem ſermonis viui perpetua mutatio eſt, et quaſi modus: alia verba cadunt ex vſu, et obſoleta fiunt, alia recepta vſu communi ſenſim vigere incipiunt, vel idem verbum alio transfertur; quo fit, vt tempore alicuius ſermonis forma aeque, atque lineamenta faciei aetate, mutetur. Nemo eſt, quin in patrio ſermone id experiatur, cum omnes continuo vſu fiunt critici. Quotusquiſque enim *Anglus* eſt, qui non putet, ex ipſa ſtili conformatione et habitu poſſe ſe recens aliquod ſcriptum *Anglice* diſtinguere ab alio centum annorum? Atqui non minor differentia diuerſarum aetatum *Graeci* fuit; modo tot eſſent, qui diſcernere eas poſſent. Sed pauciſſimi tam ſunt in iſto ſermone verſati, vt poſſint tantas ſubtilitates animo ſentire. Nec multo tamen plures inueniuntur, qui alieno palato, non proprio ſenſu, contenti ſint, ad aliquid probandum, improbandumue. Vt, ſi nihil aliud dicerem, quam cognoſcere me nouitatem Epiſtolarum ex toto corpore et forma operis, nemini, niſi, qui ipſemet ſine meo indicio experiri poſſet, id perſuaderem. Quare, neglecto eo, paucas tantum et peculiares notas et maculas in Epiſtolis monſtrabo, vnde cognoſci ab vnoquoque poſſint. Epiſtola prima (CVII.) *ὧν ἐμοὶ προτρέπεις, quorum me accuſes*, noue dictum; cuius loco veteres *προφέρεις*. Ep. XVII. (CXXXIV.) *προδεδωκότα, qui ante dedit*, nunquam iſto ſenſu ab antiquis adhibitum, ſed ſemper de eo, *qui prodidit*. Ep. LI. (XXIV.) *βουλομένην ἐμὲ διώκειν, volentem me ſequi*, de vxore, quae exulem ſe comitari volebat, dixit: verum *διώκειν* antiquitus erat *perſequi*; cum, qui fugiebat, metueret, et declinaret perſecutorem. Ep. CXLII. (CXXXVII.) inter alia munera, ſponſae miſſa, recenſet *θυγατέρας τέτταρας ὁμήλικας*; quod antiquitus notaſſet *filias*: at hic intelligit *ancillas*; vti *fille* apud *Gallos*, apud *Italos figlia*; quod recentioris *Graeciae* manifeſtum indicium eſt. Ipſe *Tzetzes t*), vbi idem ex hac epiſtola narrat, interpretatur *ancillas*, *θεραπαίνας*. Epiſtola LXXVII. (LXVIII.) *πολλοὶ παίδων ὄντες ἐρασταὶ, multi liberorum amantes*, (is enim ſenſus eſt) antiqui intellexiſſent de *flagitioſo puerorum amore*; quaſi dixiſſet, *πολλοὶ ὄντες παιδερασταί*. Plura, cum libuerit, huius generis inueniet aliquis: ſed ſufficere haec arbitror, quo laruam poſſis recentiori ſophiſtae, tyranni veteris habitu induto, detrahere.

t) Chiliad. p. 169.

XIV.

Talenti Attici *et* Siculi *discrimen*, *etc.*

Quod sie *Atticae* dialecti vsum ei ignoueris, ac silentio praeterieris ista vitia, nouitatemque sermonis; est aliud, cuius, vereor, vt tam facile veniam sit consecuturus; quod lubricam viam numerandae pecuniae instituerit. Est locus periculosus, qui vnumquemque cautum in ipso recipiendo reddere possit. Ep LXXXV. (XXXVIII.) memorat τάλαντα ἑκατόν; epistola CXVIII. (LX.) quindecim plus; epist. CXXXVII. (CXIII.) octo; epist. CIV. (XL.) septem; epist. CXLIII. (CXXXVIII.) quinque; epist. XCV. (LXIX.) tria. Quae quoniam sunt in media *Sicilia* transacta, et ea quidem inter illos solum, qui, natione *Siculi*, eam incolebant; quis est, qui non statim concludat, *talenta* eum velle istius regionis? cum ne minimam significationem fecit peregrinae pecuniae. Quod si sponsio *v*) esset facta in *Anglia*, aliquot libras datum iri, ille vero, qui restipulatus sit, tandem prae se ferret, voluisse se libras *Gallicas*; pauci, nisi fallor, rem cum eo habere vellent. Atqui eadem ratio in tot epistolis est. Epistola LXX. (CVI.) *Polycleto* medico accuratius quidem mentem explicat; expressis enim verbis vocat pecuniam *Atticam*, Μυριάδας Ἀττικὰς πέντε, L. millia *drachmarum Atticarum*: sed tantum abest, vt eo possit absolui, vt semet ipse potius condemnauerit. Si enim opus esset, vt *Polycletum* moneret, velle se *Atticam*, non vero *Siculam* pecuniam; cur non reliquis idem significauit? Obseruari autem velim, in *Sicilia*, vt in plerisque regionibus, nomina, pretia, et rationes pecuniarum peculiaria fuisse. *Talentum Siculis* rationibus plus trium drachmarum *Atticarum*, vel denarium *Romanorum* non erat; vt clare patet ex *Aristotelis x*) libro deperdito *de Rebuspublicis Siciliae*. *Festus*: Talentorum *non vnum genus*, Atticum *est sex millium denarium*, Syracusanum *trium denarium*. Quanta differentia! Vnum talentum *Atticum* erat duorum millium talentum *Siculorum*. Atqui in omnibus epistolis eaedem rerum rationes abunde probant, nomine *talentum* intelligi talentum *Atticum*. Quid ergo? Num ignorauit sophista, *talentum* in illa regione, quam scenam Epistolarum fecit, aliud quid esse. Procul dubio, si vere a *Phalaride* fuissent scriptae, rationes subduxisset ad *Sicula* talenta, aucto tantum numero. Aut, si *Atticis* voluisset vti,

v) *Angl*. If a bargain were made in *England*, to pay so many Pounds or Marks, and the party should pretend at last that he meant *Scots* marks, or *French* livres: few, — —

x) *Pollux* L. IX. C. VI.

vbique expressis id verbis indicasset, nec simpliciter τάλαντον, sine addito nomine Ἀττικὸν, scripsisset.

XV.

Stesichori *statua et templum. Poetarum amicitia cum tyrannis.* Phalaridis *in omnes crudelitas.*

Sed vt mittam reliqua argumenta, quae e verbis et sermone ducantur, ipsa Epistolarum materia manifesto probat, fraudem iis subesse. Quam sententiarum vim et acumen, quamque ad viuum expressas animorum figuras ibi inueniri sibi quidam persuadeant, nolo disputare. Quod vero ad ipsa rerum capita, ipsamque materiam attinet; parum ingenii in iis elucere mihi videtur. Quam est illud absurdum, quod epistola LIV. (XCVI.) narratur? *Stesichorum* ortum *Himerae*, mortuum vero *Catinae*, in transuersa insulae parte, quatuor minimum inde dierum itinere. Ibi sepulto ei monumentum insigne erectum *y*). Hactenus bonos auctores secutus sophista. Adhaec *Himerenses* inducit adeo infensos *Catinensibus*, quod *Stesichori* cineres haberent, vt etiam *belli denunciandi, et ciuitatis eorum euertendae* consilia agerent. Missos ad *Phalarin* legatos, auxilium petentes; quem, tanquam socium liberalem, promittere, missurum se, quantum vellent armorum, virorum, et pecuniae. Interea tamen

Hos motus animorum, atque haec certamina tanta
Pulueris exigui iactu comprimere, —

et conditiones pacis proponere. Gauderent *Catinenses Stesichori* monumento; templum vero ei exstrueretur *Himerae*. Ecquod declamatoris argumentum tam immoderatum vnquam? Quid? Tam leui de causa ad arma concurrendum, et tyranni auxilium implorandum? Adeone celeriter erant obliti *Stesichori* ipsius consilium? qui, cum alia occasione vellent a *Phalaride* peti auxilium, iis dissuasit fabula *equi* et *sessoris z*). Acceperat sophista, septem de *Homero* inter se contendisse ciuitates: vt ita potuissent duae de alio poeta armis confligere. Sed multum inter se differunt contentio illa, et verum hoc bellum. Similis immoderatio honorum est, quibus memoriam consecrare poetae sui voluit: non minus quam templum exstruendum, et is in deorum numero collocandus. Statuam eius sua adhuc aetate exstitisse *Himerae* (cui tunc *Thermis* nomen) tradidit *Cicero*; quod satis honorificum posset videri. Sed sophi-

y) *Suidas* in Πάντα ὀκτὼ, et Στησίχορος.

z) *Aristot.* Rhet. l. II.

ſta ex cloaca etiam integra templa et arces ſine vllis ſumtibus facit facillime.

Quanta epiſt. LI. (XXIV.) et LXIX. (CV.) diſcrepantia? Priore immortale odium in neſcio quem *Pythonem* declarat; qui, cum, poſt fugam *Phalaridis Aſtypalaea*, vxorem eius *Erythiam* ad ſecundas nuptias ſollicitaſſet, videretque, firmiter perſiſtere in propoſito maritum ſequendi, veneno eam ſuſtulit. Atqui non longe poſt eius fugam id fieri debuit; cum alioquin opportunitas ſequendi deeſſe non potuiſſet. At epiſtola LXIX. (CV.) eam reuiuiſcentem videmus, cum iam diu tyrannus *Agrigenti* fuiſſet *Phalaris*: meminit enim is ſenectutis ſuae ibi *a*) ingraueſcentis. Nec dubitandum, quin plures ante anni effluxerint, quam ciuitatem tam frequentem, vbi capitum CC. millia *b*), vel, vt alia volunt *c*), DCCC. millia numerabantur, ſibi ſubiicere potuerit. Nam, vt in Epiſtolis eſt, venit eo peregrinus et omnium rerum indigens; qui, ad ampliora munera gradatim euectus, conſilii iſtius exſequendi tandem occaſionem nactus eſt. Praeterea epiſtola LXIX. (CV.) vna cum filio in *Creta* ea eſt; epiſt. vero LI. (XXIV.) veneno ſublata, vt videtur, *Aſtypalaeae*: ibi enim habitabat veneficus iſte; ipſa autem expreſſis verbis dicitur voluiſſe maritum, non potuiſſe ſequi. Quo ſignificaſſe videtur ſophiſta, *Aſtypalaeam Cretae* ciuitatem a ſe habitam. Certum eſt, editores *Phalaridis* comparatione horum duorum locorum nouam iſtam ciuitatem deprehendiſſe *d*): neque enim aliunde nota eſſe potuit. Quo manifeſtius indicium nullum eſt, eſſe ſcilicet vtrumque, et epiſtolas antiquas et veras, et auctore ſuo nec inferiores nec indignos commentatores.

Quam putida et ab omni ratione remota illa, quae leguntur epiſt. LXXVIII. (XIX.) LXXIX. (XXI.) et CXLIV. (XX.): *Nicoclem Syracuſanum*, virum ſummi et ordinis et dignitatis ipſum fratrem quatuor minimum dierum itinere miſiſſe ad *Phalarin*, petitum, vt altero tanto itinere ad *Steſichorum* mitteret, et carmen in *Cleariſtam* vxorem ſuam, nuper mortuam, peteret. Igitur *Himeram*, quanto ſtudio, quantaque commendatione poſſet, *Phalarin* miſiſſe, nec multo poſt alteram epiſtolam dediſſe, qua gratias pro humanitate tam ſingulari ageret. Hoc rumore excitatum *Pelopidan e*) quendam ſummo opere contendiſſe, vt vni de ſuis eandem gratiam peteret: ſed repulſam tuliſſe. Fueritne inter *Steſichori* opera carmen aliquod in *Cleariſtam*; quod tanquam fundamentum huius narrationis ha-

a) διὰ τὸ ἐπιὸν γῆρας.

b) *Diodor. Sic.* p. 205.

c) *Diogen. Laert.* in Empedocle.

d) Vita Phalar. et Indice.

e) Ep. LXV. (XXII.)

beret ſophiſta; an propria inuentio ſit, quaerere nolim. Credant, qui velint, in talibus rebus ingenium tyranni fuiſſe occupatum: illud concedendum ſaltem eſt, eum, in Epiſtolis licet poeſeos admiratorem et iudicem peritiſſimum celebratum, reuera aſinum fuiſſe ad lyram. Nam ep. LXXIX. (XXI.) carmen hoc in *Cleariſtam* *μέλος* vocat, et *μελῳδίαν*, quod ibi, vt paſſim, notat *odam lyricam*, quoniam de *Steſichoro* lyrico poeta ſermo eſt. Epiſtola vero CXLIV. (XX.) id *elegiam*, *ἐλεγεῖον*, vocat; quod aeque differt a *μέλος*, ac *Pindarus* a *Theognide*, vel ab *Horatio Tibullus*. Quid? Idem carmen vtrumque, et oda, et elegia? Num diuturna conſuetudo cum *Steſichoro* efficere ne quidem potuit, vt vera nomina diſceret? Sed, vt ſtuporem tam inſignem ei, aut potius ſophiſtae ignoſcamus: quo, amabo, tantum molimenti? Quo tantum iter, vt aliquos verſus obtineas? Num non ipſi ad *Steſichorum* literas dare potuiſſent, et, dono aliquo oblato, voti compotes fieri? Nonne conſtat, *Bacchylidem*, *Simonidem*, *Pindarum*, et reliquos eius generis *Muſas* venales habuiſſe? Vt *Phalaridis* commendatione vti, praeter moram, et negotium, quod ſine neceſſitate vtrique faceret, id eſſet, poetam mercede ſua defraudare.

Imo cuiusuis opera potius, quam *Phalaridis*, vſi fuiſſent. Nam, bona cum venia auctoris Epiſtolarum, amicitiam iſtam, quaecunque demum ſit, eum inter et *Steſichorum* confictam plane, ſuſpicor. Neque enim, aliter ſi eſſet, celebrare eam in grati animi ſignificationem ſcriptis ſuis omiſiſſet poeta. Quod tamen eum *non feciſſe*, abunde teſtantur ipſae Epiſtolae. Epiſtola enim LXXIX. (XXI.) *Phalaris* inducitur, etiam atque etiam petens ab eo, vt ne carminibus ſui mentionem faciat. Callidum hercle artificium ſophiſtae, ne quis opponeret altum ſilentium *Steſichori*, quaſi nulla vnquam ei cum illo interceſſiſſet amicitia. Sed ne hac quidem arte ſe expediet. Quid enim? Si vere *Phalaris* ab eo petiiſſet, vt ne mentionem vllam nominis ſui faceret? Nouerat probe *Steſichorus*, eſſe tales petitiones modeſtam modo ſimulationem; nec, non paruiſſe, aegre latum iri. Epiſtola LXXIV. (LXXX.) ad inimicum ſuum *Orſilochum*, palam gloriatur, *Pythagoram* quinque menſes apud ſe moratum. Cur igitur poſteritatem celare conaretur amicitiam duodecim annos cum *Steſichoro* excultam? Cum *Hieronem*, *Syracuſarum* tyrannum, hortabatur *Pindarus*, vt poetas, et viros literatos comiter haberet; *Croeſum*, ait, humanitatis et bonitatis erga eos immortale nomen conſecutum, *memoriam f) vero crudelis iſtius et inhoſpitalis* Phalaridis *vbi*.

f) Pyth. 1. Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει πάντα φάτις.

que fuisse inuisam. Siccine locutum *Pindarum* putares, si de singulari eius in *Stesichorum* amore aliquid audiuisset? Nam, vt in Epistolis describitur, eorum consuetudo, et familiaritas non minore digna fuit praeconio, quam illa *Croesi* cum *Aesopo* et *Solone*. Vt, si nota *Pindaro* fuisset, is, pro sola ea in suum poetam humanitate, non commisisset, vt tam turpem ei notam inureret. Epistola secunda ad *Dionysium Plato* viros quosdam literatos commemorauit, quorum amicitia cum tyrannis et magistratibus celebraretur; vt *Simonidis* cum *Hierone* et *Pausania*, *Thaletis* cum *Periandro*, *Anaxagorae* cum *Pericle*, *Solonis*, aliorumque cum *Croeso*. Quid est ergo, quod, si ulla eius exstitisset fama, hanc *Stesichori* cum *Phalaride* omiserit? cum in *Sicilia* esset culta, aptum adeo inprimis exemplum, et domesticum. Dixeris, famam *Phalaridis* deterruisse eum a tam inuiso exemplo; eo ipso pronunciaueris Epistolae commenticias Nam si *Platoni* fuissent notae, tyrannus aeque temperatis moderatisque moribus, atque ipse *Dionysius*, fuisset visus. Quemadmodum in laudem *Busiridis Isocrates*; ita *Lucianus* g), qui legationem *Delphos* missam fingit a *Phalaride* ad dedicandum taurum aeneum, in eius laudem orationem composuit; vbi sine dubio diligentissime omnia eius acta conquisiuit, vt locos haberet commendationis: sed de eius cum *Stesichoro* amicitia ne verbum quidem ille; nec profecto alius quisquam. Nec dum tamen in suspicionem malae fidei Epistolas vocabis?

Quod si omnes ineptias, et absurditates, quae in Epistolarum argumentis elucent, persequi vellem, finem vix inuenirem. Nam omnes simul sume; habebis collectionem locorum communium sine vlla vi et virtute, quae in rebus ipsis, earumque rationibus insit. Tu modo *Ciceronis* Epistolas intuetor, aut viri alicuius principis, qualis erat *Phalaris*. Quam ibi ad viuum expressae animorum figurae! quam accuratae locorum descriptiones! quam certae temporum notae! quam diligenter descriptae rerum rationes! quanta consiliorum, factorumque multitudo et varietas! Ad has redieris; senties earum siccitate et frigore, rem tibi esse cum somnolento quodam ostentatore, secure pluteo suo innitente; non cum negotioso, ambitiosoque tyranno, qui stricto gladio multis millibus subditorum imperet. Quocunque te vertes, inuenies, praeter stilum affectatum, ambitiosum et operosum, nihil, quod moueat: quod, vt ab omni Epistolarum genere alienum, ita inprimis ab ingenio *Phalaridis*, viri negotiosi, et ad agendum expediti, abhorret.

g) In Phalar. prior.

XVI.

Epiſtolarum Phalaridis *nulla mentio apud antiquos. argumenta ſua ad arbitrium fingit. diſſentit a* Luciano *aliisque veterum.* Lucianus *male habitus earum auctor.*

Mirabuntur procul dubio illi, qui Epiſtolas veras putant, quemadmodum, quoue abdito loco aut ſecreto terrarum angulo abſconditae fuerint; vt integros mille annos latuerint. Sane oportet, eas defoderit in terram ſeruus aliquis fidus tyranni; et id quidem prudenter factum. Si enim eas inueniſſent *Agrigegtini*, ſine dubio tergendis natibus inſeruiiſſent. Neque, qui viuum cum proximis amicisque concremarunt, pepercifſent facile tali eius monumento, vt ſibi et ciuitati ſuae eſſet ſuperſtes. Certe immortalis eſſe debuit, et ſurrepta clam de *Iouis membranis b)* illa, quae intacta licet, nec ſede mota, mille annos integra manſerit, et humori, quo reliquae animalium pelles corrumpuntur, reſtiterit. Si enim mille iſtis annis Epiſtolarum noſtrarum aliquis vſus, aut eae fuiſſent deſcriptae; certe earum meminiſſet aliquis. Inprimis, cum tot veterum eius faciendi opportunitatem haberent. vt alto ſuo ſilentio declarent, nunquam ſe eas cognouiſſe. E *Pindaro*, *Platone* et *Luciano* modo quaedam citavi loca; quae manifeſto indicio ſunt, iſtis tribus incognitas fuiſſe. Imo *Lucianus*, ne dicam de argumento, cuius ſupra memini, ex ſilentio eius ducto, parum abeſt, quin expreſſis verbis teſtetur, ſe nunquam noſtras Epiſtolas vidiſſe. Nam, vt minoris momenti diſſenſiones mittam, vtrumque, et *Phalarin i)*, et eius fabrum *Perillum*, patria *Agrigentinum* facit: at in Epiſtolis alter *Aſtypalaeenſis*, *Athenienſis* alter. Ignorauit ergo eas *Lucianus*, aut ſaltem, vt ego, nouit, commenticias eſſe, nec ſua dignas attentione. Multo minus earum auctor eſſe potuit, vt *Politiano*, aliisque, qui eum ſecuti fuerunt, viſum eſt. Neque enim is unquam commiſiſſet, vt tam aperte ſibimet contraria ſcriberet; nec tam omnem eruditionem ſenſumque, putidis iſtis erroribus temporum, et inſolenti oſtentatione, quae in materia cernitur, quaſi eiuraſſet. Ac quicunque demum fuerint, quos ſit in ſua de *Phalaride* narratione ſecutus *Lucianus;* ſunt ii quoque tot teſtes contra Epiſtolas. Vix quidem credibile eſt, niſi anctorem habuiſſet aliquem veterum, auſum fuiſſe ſophiſtam, ex *Aſtypalaea* arceſſere *Phalarin.* Id tamen vt

b) Διφθέραι Διὸς ἀφανῶν ἐν Ἀκράγαντι ὤν. et ibid.
i) Phalar. 1. Ἐγὼ γὰρ οὐ τῶν Περίλαος ἦν τις ἡμεδαπός.

credamus, *Lucianus*, aliique efficiunt; nec minus temerarium aliis occasionibus eum videmus. Qui proximis duobus seculis inde a *Phalaride* vixit, *Heraclides Ponticus l)*, *Agrigentinos*, tradit, recuperata libertate, eum, eiusque matrem concremasse: at sophista noster parentibus orbum facit, *ὀρφανίας περισωθῆναι m)*; quod, si quis contenderit, de patris morte solum accipiendum, non tamen eum et *Heraclidem* inter conueniet, Nam *Astypalaea* si solus fugisset *Phalaris*, neque quisquam, siue vxor, siue filius, siue vllus de proximis eum, vt in Epistolis est, suisset secutus; qui potuit vetula *Agrigenti* esse concremata? *Abarin Hyperboreum* vna cum *Pythagora* in aulam *Phalaridis* inducit *Iamblichus n)*: at sophista noster epistolam *o)* scripsit, in qua is venturum se negat. Tam parum curauit sophista, vt, quae narraret, ad veraе historiae fidem componeret: ego vero nimis eum curaui; quod tam prolixa censura dignum iudicauerim.

Liceat nunc pauca addi ad nouissimos nostros editores huius auctoris. Inter alia diligentiae documenta, contulisse se narrant MS. regium vsque ad epist. XL. voluisse quidem omnes conferre; negasse vero *pro singulari sua humanitate p)* eius copiam vlteriorem bibliothecarium. Sentis aculeum in me emissum, iam tum honorifico isto munere apud Regem fungentem. Optime fateor instituerunt, eiusdem generis, et praefationem, et librum facere; nam vtroque, et tyranni iniustitia, et artibus sophistae sunt in hac calumnia vsi. Equidem nunquam dignam eam iudicassem, quam publice refutarem, sed, vt insulsas calumnias oportet, despexissem; nisi amico meo promisissem, scripturum me hanc in *Phalarin* Dissertationem. Vbi calumniae istius silentium tacita confessio esset. Res sic se haber: Venit ad me bibliopola, vt nomine editorum copiam manuscripti peteret. Is tum in mea custodia non erat: ego autem, quamprimum meae esset potestatis, sponte ad eum ire, offerre, hortari, vt statim conferri curaret; me enim, breui vrbe relicta, duo menses absentem fore. Liber traditus, collatus, redditus. Qui perferebat, ne verbum quidem, nec ego suspicari, collationem nondum finitam. Nam, expertus loquor, plures dies, quam horas opus esset, conferendum habuerunt. Est liber valde paruus, et lectu aeque facilis, quam typis descriptus. Collatio interea, vt videtur, imperfecta *Oxoniam* missa, et in me, vt opinor, culpa translata. Ego ali-

l) De Polit. ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα.

m) Epist. XLIX. (CXXIX.)

n) Vit. Pythag. p. 183.

o) Epist. LVII. (LXXVIII.)

p) Praefat. *Phalar.* Edit. Oxon. *Collatas etiam curaui vsque ad ep. 40. cum MS in Bibliotheca Regia, cuius mihi copiam vlteriorem Bibliothecarius pro singulari sua humanitate negauit.*

quot menſibus ante editionem finitam iterum domum, bibliopolae adire; de vlteriore copia manuſcripti nihil. Inde *Oxoniam*, vbi tunc typis deſcribebatur liber, plures dies commoratum proficiſci; verſari in eodem collegio, vbi editores. Ibi ne γρῦ quidem de manuſcripto. Non multo poſt prodit noua editio, cum hoc aculeo velut in ore. Ego obſtupeſcere, hercle, cum ibi legerem, manuſcriptum noſtrum non eſſe totum collatum. Nonne poſt reditum meum repetere eum potuiſſent? Profecto nec *humanitatis*, nec *ſingularis humanitatis* erat, in rei veritatem non inquirere ante, quam typis committerent; gladium puero, aiunt. Sed nihil ſine cauſa; ac breui myſterium apertum. Et quidem regium manuſcriptum non valde deſiderabant: nam, vt ſtatim oſtendam, neque induſtriae, neque peritiae habebant ſatis, vt aut eo, aut ſuis recte vterentur. Quod vero ad me attinet; accidit, vt videtur, mala mea fortuna, vt priuato quodam colloquio dicerem, Epiſtolas eſſe commenticias, et noua editione indignas. Hinc illae lacrimae. Hic ille ſcrupulus, qui tam acriter ſtimulabat, pungebatque; ac de manuſcripto mecum locutum fuiſſe, id fuiſſet, commodam occaſionem me vlciſcendi praetermittere.

Pro ſingulari ſua humanitate! Equidem exterorum profeſſorum eruditiſſimorum, quorum ſcriptis legendis aliquando pares euaſuri ſint noſtri editores, epiſtolas non paucas in medium proferre poſſum; in quibus haec ipſa verba candide et ſerio de me dicuntur. Nam ipſos exteros omni officiorum genere mihi obſtringere conor; multo magis noſtrorum hominum aliquem conſilio meo et opera adiuuare. Ac vellem ex animo, vt iſti magnae ſpei iuueni, cuius nomen editioni inſcriptum eſt, vtilis eſſe aliqua in re poſſem; quem quo mihi deuinciam, cum maxime nihil habeo melius, quam vt menda quaedam de libro, ei attributo, tollam: quod in illam partem accipi velim, vt non in eius vituperationem, ſed in reprehenſionem illorum, quibus vſus ſit doctoribus, factum putetur.

Malum omen habetur, pedem ad limen offendere. Epiſtola prima (CVII.) ad *Alciboum* haec legimus: Ψυχῆς δὲ νόσον ἰατρὸς ἴαται θάνατος· ὃν ἀνεπαχθέςατον ἀντὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀδικημάτων, οὐκ ἀκουσίων, ὧν ἐμοὶ προτρέπεις ἀλλ᾽ ἑκουσίων, ὧν αὐτὸς εἴργασαι, προσδέχου: i. e. *Animi morbo vnus medicus mors eſt; quam tu grauiſſimam pro tot tantisque iniuſtis facinoribus, non illis, quae non voluntaria ſunt, quorum me accuſas, ſed voluntariis, quae ipſe commiſiſti, exſpecta.* Videamus, quemadmodum noui noſtri editores ſint in hoc loco verſati. Primum ἀνεπαχθέςατον interpretantur, *nulli grauem;* intelligentes, vt opinor, mortem *Alciboi* nulli grauem fore; quod ſententiam non modo frigidam efficit, et alienam,

ſed recte loquendi normae contrarium eſt. In *Graeco* enim eſt gradus ſuperlatiuus: reddiderint ergo, *nulli grauiſſimam;* diſcent, ſe erraſſe in *Latino* ſuo. Norunt omnes, qui quidem ſermonis proprietatem tenent, ἀνεπαχθέστατον, cum non ſequatur tertius cauſas, ad *Alciboum*, non ad alium, referentum eſſe. Etſi non valde bene exiſtimo de editorum in re critica dexteritate; miror tamen, ſi minus propria *Minerua* veram inuenire ſcripturam potuiſſent, non fuiſſe amplexos, cum eam viderent in manuſcripto, vbi, ὃν ἂν ἐπαχθέστατον, *grauiſſimam et crudeliſſimam*, illam ſcilicet in tauro aeneo; quam epiſtola CXXII. (V.) vocat, ὄλεθρον ἀχθηρότατον, epitheto eiusdem originis et virtutis. Ἂν παραπληρωματικὸν, vt grmmatici vocant, hoc loco eſt; cuius vſus rarior exquiſitiorque corruptae cauſa lectionis eſt.

Quae ſequuntur in eodem loco, ἀδικημάτων ἐκ ἀκεσίων, lepidiſſimi noſtri interpretes reddunt, *ſcelera, non inuita.* Et id quidem nobis offerunt tanquam vnam de tot emendationibus *q*), poſt priores interpretes a ſe factis. Reddiderant boni illi homines, *Latinitate* rudiore defuncti, *Scelera non praeter voluntatem patrata*, aut ſimilibus periphraſibus. Nam, vt eorum temporibus credebatur, ἄκων notabat *nolentem*, et ſemper de perſona agente; ἀκέσιος *non voluntarium*, idque vulgo de actione accipiebatur. Atque hoc poſterius voce *Latina* exprimi non poteſt. Nam *inuoluntarius* in vſu non eſt; et *inuitus* idem, quod ἄκων, ac ſemper de perſona, nunquam de re dictum. Vt, ſi quis forte dixiſſet, *ſcelera inuita*; lectores quidam audaciores barbarum id et ineptum pronunciarent: cum vero profectum ſit a tantis illis ingeniis, in quibus Eruditio, am iam relictura terras, poſtremum reſedit, tanquam noue inentum in lingua, vt aliud *r*) eorum in geographia, habeant.

Sequuntur proxime, ἀκεσίων, ὧν ἐμοὶ προτρέπεις. Vieamus, an melius rem agant. *Inuita, ad quae me hortaris,* ddiderunt poſtremi noſtri interpretes. Egregie factam! Dic, des, qui potuerit *Alcibous* hicce, *Meſſenius*, dici, eum *horri* ad facinora iſta crudelia; cuius voluntas (ſicut in hac ipſa iſtola eſt) adeo abhorrebat, et ab illo, et ab his, vt medium, ciuem ſuum, quod tyrannum conſeruaſſet, capitis acſaret. Difficile eſſet modiocriter docto in concordiam haec ducere; ſed nota in hunc locum eſt, quae omnia expediet. *s*) *quae me hortaris.*] i. e. *Moribus tuis nequiſſimis prouocas.* s mandes, ſi quid recte curatum velis. *Prouocare moribus niſſimis* eorum lingua eſt *hortari.* Vt, cum loco gratiarum ionis pro humanitate accepta turpi calumnia me *prouocaue-*

) Praefat.

) Supr. p. 30.

s) Annot. *Boylei* ad h. l.

rint ad respondendum sibi pro meritis; id eorum more loquendi nihil aliud significet, quam ad id faciendum me *hortari*. Ac mea quidem *singularis humanitas* est, quod eorum *hortationi* non concesserim. Sed fallor, aut ipse sophista, quantumuis illiteratus, talem interpretationem, quae animi sui sententia haberetur, indignam iudicaret. Si quid tam ridiculum animo concepisset, quam quod ei affingunt; sane dixisset, εἰς ἃ, vel, ἐφ' ἃ ἐμὲ προτρέπεις. Est enim ista verbi προτρέπω constructio, quando notat *hortari*: cum ἃ ἐμοὶ προτρέπεις (ὧν enim loco ἃ est) ista virtute aeque absurdum et alienum est a *Graeco* sermone, atque a *Latino*, *Quae mihi hortaris*, aut, *Quae mihi prouocas*. Docui iam, vt opinor, προτρέπειν hic esse ὀνειδίζειν, *exprobrare*; vt sit, *crimina non voluntaria*, *quae mihi exprobras*. Fateor, verbum a nullo veterum hac virtute fuisse adhibitum. Quocirca eius supra memini, vt notae recentioris scriptoris. Sed procul dubio vsu cognitum tempore sophistae fuit; nec translatio valde aliena. Nam, quemadmodum antiqui, tam poetae, quam solutae orationis scriptores, vsi fuerunt προφέρειν in hanc sententiam;

Γαστέρα μοι προφέρεις, κάλλιστον ὄνειδος ἁπάντων·

ita simili translatione nobis licet vti προτρέπειν ad eandem notionem exprimendam: eadem ratione, atque *Latini* dicunt, *vitio VERTERE.* Nouerat, opinor, id omne *Phalaridis* interpres, qui vulgo, sed, puto, falso *Cuiacius* habetur: recte enim vertit; *Cuiusmodi mihi obiicis*. Accidit vero, nescio qua fortuna, vt istaec editio, et alia *Aldi*, optimae licet omnium, et vtraque in bibliotheca *Oxoniensi*, nostros editores, ibi degentes, prorsus latuerint. *t*).

Constitueram, cum maxime eorum causa totum librum percurrere, omnesque errores, qui offensioni esse perito lectori possent, tollere. Sed, retro oculis conuersis, illorum, quae ante sunt, prospectu, aeque obstupesco, atque olim *Hercules* cum, pactione imprudenter facta, *Augeae* stabulum videret. Si enim ad primam epistolam, eamque valde exiguam, purgandam tantum chartae perdidi; quam esset iucundus labor, reliquarum omnium sordes et maculas eorum in gratiam eluere? Quare, vt cum maxime excusatum me habeant, peto; et, quo fidem meam liberem, vnico solum exemplo ostendam, quam ii diligenter ac scite vsi sint manuscripto.

Hunc contulisse se ad Epistolam XL. *v*) confessi sunt. Sed variis eius lectionibus non, nisi vno in loco, epistola XXVI. (CXXVII.) vti potuisse videntur. Data est ad quendam *Ariphraden*: vt is filium suum dehortaretur a coniuratione contra *Phalarin*; ἵνα ὅταν ἐπ' αὐτῷ γένηται τῷ κακῷ διατείνων ἐν

t) Praef. *v*) Praef.

οἷς ἐςι, μὴ προσποιηθῇ δοκεῖν ἠγνοηκέναι· vt, *cum poenas daret, quod in proposito persisteret, se ignorauisse, ne simularet.* Quid vero noui nostri editores? Διατεινὼν ἐν οἷς ἐςι, reddunt, *suam expendens conditionem.* Quo fit, vt recorder veteris prouerbii *Graeci: Alia Leucon, alia portat asinus.* Affinitas enim nulla hic inter *Graeca* et *Latina* verba; quae aeque bene aliis quibusuis libri verbis responderent. Atque ipsi quoque editores nostri id animaduertisse videntur: addiderunt enim hanc notam: Διατείνω *alium sensum bic vix admittit: in eodem tamen vsurpatum nullibi inuenio.* Posterius verum, spondeo; de priore mox. *Melius itaque*, inquiunt, *in MS. Regio* διὰ τίνων ἐν οἷς ἐςι, ob ea quae iam agit. In MS. regio, quem nunc in promtu habeo, primum scriptum, διατείνων; sed alia manu deleta littera ε, vt e spatio inter literas vacuo apparet, scriptumque διά τινων. Quisquis fuerit, qui sic correxit, etsi hoc exemplo malum se criticum prodidit, superauit tamen aliquantum nouos nostros editores. Facit enim hic suum τινων particulam ἐγκλιτικήν; illi vero interrogantem, vt ex accentu eorum intelligimns. Quod in hoc loco vtriuis, siue grammaticae, siue rationi, contrarium est. Est autem vera lectio et sententia, vt supra reddidi; διατείνων ἐν οἷς ἐςι, *persistens in proposito.* Sic epistola XXXIX. (XC.) μένων ἐν οἷς ἐςι, *manens in eadem conditione.* Non quidem διατείνων sic redditum in lexicis suis inuenient nostri editores: sed habeant hunc ipsum locum, quo, si velint, ea augeant. Nam διατείνω num quid aliud, quam *Latinum PERTENDO?* Ac *pertendo* nonne idem, quod *persisto, perseuero?*

x) *Verum si incipies, nec pertendes nauiter.*

Imo in *Latino*, cuius auctor *Cniacius* fertur, recte vertitur, *persistens in proposito*; quem, si quando repetita editione *Phalaridis* sibi obstringere alios velint, editores nostros, vt diligenter consulant, hortor.

Habes, quodcunque commodi ex MS. regio perceperint: videamus, an in suo diligentius sint versati. Epistola XXXIV. (CXXXV.) ad *Pollucem* quendam, admiratum, quod aditus ad eum tam essent difficiles facti; Ἐγὼ δὲ, inquit, ἐνδεέςερον ἤδη Φεύγω πάντας ἀνθρώπες· *Imo vero minus, quam oportet, homines fugio; neque enim aut inter alios, aut inter amicos fidem inuenio vllam.* Experti hic sunt, quid in arte critica valerent, nostri interpretes; nam pro ἐνδεέστερον *Legendum forsan* ἐκτενέςερον y), *ego iam* sedulo *omnes fugio: quam enim interpretationem* ἐνδεέςερον *bic admitteret, se non videre.* En homines nostros emendando auctori aptos, vt imperitos mango-

x) Terent. Eunuch. I. I.

nes detritis lebetibus reficiendis: erat vnicum in hoc loco vitium ante, quam in eum incidebant illi; cum duobus relinquunt. Neque enim id erat in ἐνδεέςερον, sed in ἤδη; quod corrigendum, ἢ δεῖ: *ἐνδεέςερον ἢ δεῖ, minus quam par eſt, minus quam oportet.* Emendatio tam eſt facilis, vt eam tardioris ingenii aliquis coniectura etiam aſſecutus fuerit. Sed de noſtris editoribus quid ſentient docti? peritiamne an induſtriam magis laudabunt? vbi intellexerint, in omnibus manuſcriptis, quos contuliſſe ſe dicant, clare ſcriptum eſſe, ἢ δεῖ. Vtrum defendent editores? palamne iactaſſe tres manuſcriptos a ſe collatos, et tamen eorum vnumquemque neglexiſſe; an obſeruaſſe quidem in MSS. tam certam emendationem, ſed ignorauiſſe, quemadmodum ea vterentur ipſi, nec voluiſſe cum aliis ingenue communicare? In quamcunque partem vertas, mali res exempli eſt; tamen magnus accedit cumulus ex hoc altero. Epiſtola LXVIII. (CIV·) quo filii liberalitati ſtimul s adderet; *Nolo*, inquit, *exiſtimare, nimios ſumtus te facere* · ἀλλ' ἐμαυτὸν ἐνδεέςερον ὁρίσκω ἤδη χρηςότητι παιδὸς ὑπη τεῖν; *ſed pro tam benigno filii animo parcius, quam oportet, i impertiri me, ſentio.* Habes rurſus ἐνδεέςερον ἤδη. Atqui ic etiam omnes MSS. ἢ δεῖ: Quorum duo contuliſſe ſe integros, in praefatione dicunt. Et tamen negligunt hanc tam claram emendationem, *ἐνδεέςερον ἢ δεῖ, parcius aequo, parcius quam oportet;* vulgatamque lectionem temere ſecuti, reddunt; *Ego me pauperiorem inuenio, quam vt filii benignitati ſufficere poſſim.* Qnod, non dicam, *Graecis* verbis non reſpondet (nam id ſi eſſet, debuiſſet ſcribi, ἤδη, ἢ χρης.); ſed ſententiam plane ineptam efficit. Sic enim mox ad filium: *Ante tibi amici deerunt, quibus des, quam mihi, quam dem, pecunia.* Ingenioſi interpretes! qui vno eum ſpiritu et paupertatem ſuam querentem, et diuitias immenſas iactantem, inducunt.

Atque haec ſufficiant, vt pateat, quam illi ſint ſtudioſe et perite manuſcriptis vſi. Plura in promtu ſunt; ſed, quae eorum *humanitas* eſt, non aegre ferent, ſpero, quod ea in medium nuuc non proferam, nec, vt aliquando in animo habebam, omnes labes per totum librum diſperſas, detergam. Nam neque tempus, neque operis ratio patitur; quod ſolum ſcriptum eſt, vt libro amici mei adderetur: fieri tamen poterit, vt, ſi (eorum lingua loquor) valde me ad id *hortentur*, iis praeſto ſim futurus; ſi non *Anglico*, ſaltem alio ſermone: vt editorum noſtrorum fama in exteras academias, quo tales editiones, qualis eorum eſt, raro deferuntur, perueniat.

y) Not. *Boyl.* ad h. l.

DISSERTATIO
DE
EPISTOLIS THEMISTOCLIS.

GVLIELMO WOTTON. S.

Aperui, opinor, vt promiseram, fraudem, quae fuberat *Epiftolis Phalari dis*; altera promiffi pars cenfura erat *Fabularum Aefopi*. Ante vero, quam ad eas accedam, alia quaedam lubet huius generis fcripta commenticia, quae ex iisdem fcholis fophiftarum prodierunt, examinare. Nec iniucundum mihi, nec, vt fpero, aliis erit inutile, perfonas demere minutis iftis oftentatoribus, qui a tanto inde tempore heroum habitu inceflerunt.

I.

Veterum filentium de Epiftolis Themiftoclis. *ciuitates a rege Perfarum ei datae, etc.*

Typis primum defcriptae fuerunt *Epiftolae Themiftoclis Romae*, clↃIↃcxxvi. e MS. *Vaticano*. Veras effe credidit editor, epifcopus *Graecus*: fuerunt tamen, qui fraudem fufpicarentur, vt docet *a*) *Leo Allatius*; qui ipfe nihil definit; attamen fimul obferuat, neminem vnquam typis aliquid configmaffe, quo probaret commenticias effe. Fauet iis *Suidas b*); vbi enim de auctore loquitur, Ἔγραψεν, inquit, ἐπιςολὰς Φρονήματος γεμέσας· *Scripfit Epiftolas ingeniofiffimas.* Et is quidem vnicus eft de veteribus, qui earum meminit. Quod vnum, vt ante in caufa *Phalaridis*, praeiudicio aduerfus eas grauiffimo eft. *Themiftoclem*, tradunt *Thucydides c*), et *Charon Lamfacenus*, cum in *Afiam* fugeret, ad *Artaxerxem*, nuper regno potitum, fe contuliffe. Hos fequuntur *Cornelius Nepos d*) et *Plutarchus*; contra *Ephorum*, *Heraclidem*, et plerosque alios, qui *Xerxem* patrem tunc vixiffe volunt. Alii *e*) quinque ciuitates ei a *Perfa* datas, narrant; alii, tres modo. Si vero Epiftolas cognouiffet iftorum fcriptorum aliquis; vtraque quaeftio mox fuiffet foluta, aut potius exftitiffet nun-

a) De Script. Socrat. p. 78.
b) v. Θεμιςοκλ.
c) l. 1. p. 90.
d) Vit. Themiftocl.
e) *Plutarch. Diodor. Athenaeus*, alii.
f) Ep. xx.

quam. Nam ipſe expreſſis verbis teſtatur, ad *Xerxem* profectum ſe, et tres tantum ciuitates accepiſſe *f*). Vbi itaque Epiſtolae hae a *Themiſtoclis* inde temporibus ad *Suidam* vsque latere potuerunt? Fatendum, hercle, eſt, grauiori Epiſtolas, quam earum auctorem, oſtraciſmo damnatas fuiſſe; cum hic decem ſolum, illae ſint mille amplius annorum exilio multatae.

II.

Themiſtoclis *Epiſtolae poſteriorem partem hiſtoriae eius integram comprehendunt, etc.*

Notandum, vniuerſas epiſtolas datas eſſe poſt eius exilium; et perfectam hiſtoriam continere rerum poſtea ab eo geſtarum, ſerie nusquam interrupta. Ac dictu difficile eſt, vtrum ſit magis mirandum; Nec vnicam epiſtolam eius, antea ſcriptam, exſtare; an ne vnicam, poſtea, intercidiſſe, licet datas in locis tam longinquis, vt erant *Argos*, *Corcyra*, *Epirus*, *Epheſus*, *Magneſia*, vnde parum tuto perferri *Athenas* poſſent. Quam incredibilis fortunae viciſſitudo: Secundis auctoris rebus, Epiſtolae eius omnes aduerſa fortuna conflictatae ſunt, nec vlla earum intercidit, poſtquam ſemet ipſe male habebat. Sed, etſi non poteſt *Themiſtocles*, poteſt tamen facile eius rationem reddere ſophiſta: nam nullae hic epiſtolae ante exilium; quia poſteriore tantum vitae eius parte argumentum ſuum circumſcripſerat ſophiſta: nec vlla epiſtola, poſt, periit; quia, cum in muſeo ſophiſtae confictae eſſent, periculum non erat, ne in via amitterentur.

III.

Argiuorum *erga* Themiſtoclem *humanitas. conſilium eius proficiſcendi ad regem* Perſarum. *ſophiſtae ingenium.*

Erat *Themiſtocles* vir eloquens; at in Epiſtolis eius tantae altitudinis indicia ſunt, vt niſi *Gorgian Leontinum*, iſtius temporis ſophiſtam, audiuerit, vix credam, ab eo conſcriptas eſſe. Tradunt moderate rerum geſtarum ſcriptores, eum, patria pulſum, gratum acceptumque *Argiuis* fuiſſe; ipſe vero, cum in iſtoc argumento verſatur, omnia miſcet, et perturbat *g*). In itinere obuiam ſe factum duobus *Argiuis* amicis; quos, audito ſuo exilio, acerbiſſime inuectos in *Athenienſes* eſſe: ſed, cum intelligerent, *Delphos*, non in ſuam ciuitatem iter eſſe, comiter altercatos; *Iure eum b*) *poenas dediſſe* Athenienſibus,

f) Ep. xx.
g) Ep. I.

b) Ἐπαινεῖν Ἀθηναίους, ὡς δίκαια ποιύντων ἡμῶν.

quod dam male ciuitatem *Arginorum* tractaret, vt aliud ei afylum praeferret. Itaque *Argos* profectum, ibi ab vniuerfa ciuitate vi coactum *i*), vt rei publicae adminiftrationem fufciperet; nifi faceret, maximam *iniuriam* ratis. Sunt, inquies, flofculi, et humanitatis, et rhetoricae. Sed eft aliud praeterea longe clariffimum *l*): Tam certo fe conftituiffe iter ad regem *Perfarum*, licet defperatiffimum; *vt nec amicorum confilia, nec patris* Nicoclis *manes, nec patrui* Themiftoclis, *nec auguria, nec omina, nec ipfum* Apollinis *oraculum, poffent vlla ratione animi propofitum mutare.* En fortiffimum hominis animum! en *Stoicum κέκριχα*! Fieri profecto non poteft, quin femet prodat fophifta. Quidquid vulgare eft, et natiuum, faftidiunt. Dixerint immoderatum aliquod; applaudent fibi: Officii fignificationem fecerit aliquis; in verbis nec modus, nec modeftia: Conftituerit aliquid apud animum fuum; deos omnes, et quidquid religiofum, teftabitur, et tanquam furens ruet, nihil non aufurus.

IV.

Argumenta Epiftolarum Themiftoclis *parui momenti.*

Plerarumque Epiftolarum argumentum locus communis eft; merae nugae, verba tantum; nuncius indignus, qui in proximam ciuitatem mittatur, nedum perferatur longo itinere e longinquis regionibus. Epiftola XV. et XVIII. ad inimicos datae, tardioribus, opinor, ad fcribendum factis amicis; et funt obiurgatoriae totae; vix dignae, quae *Ephefo* inde *Athenas* vfque fuerint perlatae.

V.

Hieronis *equos prohibet certamine* Themiftocles. Aeliani *error. etc.*

Epiftola XX. legimus; *Themiftoclem*, cum *Corcyrae* effet, iter in *Siciliam* ad *Gelonem*, *Syracufanum* tyrannum meditatum. Sed, cum in eo iam effet, vt nauim confcenderet, nuncium allatum, mortuum *Gelonem*, eiusque fratrem *Hieronem* in regnum fucceffiffe. Quod fi iam demonftrauero, aliquot annos ante *Themiftoclis* exilium, et hoc iter *Corcyram*, *Hieronem* regnare coepiffe; quo euadent Epiftolae noftrae? Fateor, in hac hiftoriae parte temporum notas non tam effe certas *m*), vt

i) Ἀναγκάζουσιν, ὡς ἀδικούμενοι, ἢν μὴ ἄρχωμεν.

l) Ep. XIV.

m) Οὐδ᾽ αὐτοῖς χρονικοῖς ἀτρέμα συντεταγμένοις· *Plut.* Them. p. 227.

possint in demonstrationem venire contra Epistolas; eaedem tamen, praecedentibus iunctae argumentis, probabilitatem summam adferent. *Theophrastus n*), *Themistoclem*, tradit, quum ad *Olympia* equos certatum misisset *Hiero*, et pretiosissimum tabernaculum; *Graecos* hortatum fuisse, vt tabernaculum *tyranni*, τȣ̃ τυράννȣ, diriperent, et a certamine arcerent eius equos. Apparet igitur, si proprie locutus est *Theophrastus*, *Hieronem* μόναρχον *Syracusis* fuisse, cum *Olympiae* esset *Themistocles*; atqui certum est, eum post exilium nunquam illuc profectum.

Sed, vt ingenue agam, confitendum est, *Aelianum*, in hac historia enarranda, dissentire a *Theophrasto*: *Hieronem* enim ipsum ad ludos profectum *o*). Sed probabile non est, ipsum eo se contulisse, postquam regno iam esset potitus. Vt, si *Aeliano* credendum, id accidisse, necesse sit, ante, quam coeperit *Hiero* regnare. Nam, viuente adhuc *Gelone*, qui regnum ei reliquit, equos aluit ad certamina, vicitque *Pythia p*) XXVI. Pythiad. cui respondet Olymp. LXXIV. 3. Sed, ne dicam, *Theophrasti* maiorem esse auctoritatem; proximis verbis mox semet ipsum refutat alter. *Themistoclem* enim, ait, *Hieronem* hoc nomine arcuisse a certamine; *Quod, qui periculi communis socium se non praebuisset, non oporteret, communis festiuitatis participem esse*: vbi constat, per *commune periculum* intelligi *Xerxis* expeditionem; cum *Gelo q*) aut nollet, aut differret auxiliari *Graecis*. Tulit ergo hanc repulsam *Hiero* post istam expeditionem, At Olympiade proxime sequente *r*) *Hiero* regnabat. Fieri itaque non potest, vt primum regnare coeperit, cum, vt in Epistolis est, *Themistocles* moraretur *Corcyrae*.

Adsunt praeterea plerique temporum doctores, qui expressis s) testimoniis declarant, regnare *Hieronem* coepisse Olymp. LXXV. 3. missum vero in exilium *Themistoclem* septennio post, Olymp. LXXVII. 2. Dissentit, fateor ab his omnibus Marmoris *Arundeliani* auctor in *Gelonis* et *Hieronis* temporibus; quo omnis haec argumentatio, temporum notis circumscripta, fiat irrita. Sed aut errat iste auctor, aut actum de fide historica est. Initium enim regni *Gelonis* biennio demum post *Xerxis* expeditionem notat. *Herodotus t*) vero pluribus exponit

n) Περὶ Βασιλείας, apud *Plut.* Them. p. 225.

o) Var. Hist. IX, 5.

p) *Pindar.* Schol. Pyth. I, et 3.

q) *Herod.* VII. c. 163. *Diod.* XI. p. 21.

r) *Diod.* XI. p. 29.

s) Schol. *Pindar.* Pyth. I. *Diodor.* XI. p. 29, 41. *Eusebii* Chron.

t) Lib. VII.

legationem, a *Lacedaemoniis* et *Atheniensibus* missam ad *Gelonem*, imploratum auxilium contra *Persas*. Et inter omnes v) constat, *Gelonem Carthaginienses* in *Sicilia* eodem, quod ad *Salaminem* pugnatum, die vicisse.

VI.

Pausaniae *conspiratio*; *mors*. Themistoclis *exilium*. Plutarchi *error*. *etc.*

Sunt Epistolae *Themistoclis* in vniuersum numero XXI. harum tres historiam *Pausaniae* complectuntur. Data secunda ad ipsum *Pausaniam*, ante patefactam eius cum rege *Persarum* conspirationem. Ibi eum hortatur, vt rebus secundis vtatur modice, vt ne, conuersa subito fortuna, nimis affligatur. Ecquod clarius indicium sophistae? Sine dubio is, qui hanc epistolam conscripsit, nouit ante, quid acciderit *Pausaniae*: qui fuit breui post reuocatus a magistratibus, et proditionis poenas morte dedit. Data rursus ad *Pausaniam* epistola XIX. sed post conspirationem eius deprehensam. Hac omnes rationes istius coniurationis tam diligenter exponit, quasi vnus ephororum fuisset, qui de ea cognouerint. Imo *Lacedaemonios*, narrat, eius insidiari vitae. Praeterquam vero, quod *Themistoclem* puduisset, tot conuicia, quot in hac epistola sunt, frustra facere; plus tamen sapuisset, quam vt sciens ad mortuum scriberet. Nam, quo tempore ista, quae ad proditionem *Pausaniae* pertinerent, audiuit, etiam de supplicio eius audiuerit, necesse est; quoniam istae res non nisi post mortem ex commentariis eius innotuerunt. Epistola VI. pluribus enarrantur omnia acta *Pausaniae*: erat enim eloquentia dignum argumentum, quodque adeo orationis luminibus ornaretur a sophista. Attamen vix dignum *Themistocle*, tam longam de iis rebus epistolam *Athenas* mittere; vbi, vt videtur, res ante innotuerat vulgo, quam ipsi audita erat, et nota.

Qua vero via conciliari poterunt, quae de his *Pausaniae* rebus in Epistolis leguntur, cum illo, quod de iisdem memoriae prodidit *Diodorus*? In Epistolis legimus, *Themistoclem* in exilium missum, ante x) suspectum *Pausaniam*; et alterum *Argis* y) degisse, cum alter conuictus criminis morte poenas daret. At *Diodorus*, qui totam suam historiam in formam Annalium redegit, mortem *Pausaniae* apponit z) Olymp. LXXV. 4. exilium *Themistoclis* a) sexennio post, Olymp. LXXVII. 2.

v) *Herod.* ibid. et *Diodor.* xi.
x) Ep. II.
y) Ep. XIX. VI.
z) Lib. XI. p. 36.
a) l. XI. p. 41.

Iam vero ſcire velim ex ſophiſta noſtro, cur tam ſit negligenter verſatus in diſpoſitione et ordine rerum, quas tractaret; vt *Pauſaniam*, ſexennium iam mortuum, denuo in ſcenam reduxerit. *Thucydidem b*) citabit, opinor; qui ab vno facto directe tranſit ad alterum: *Lacedaemonios Themiſtoclem*, tum patria pulſum, conſpirationis cum *Pauſania* accuſaſſe. Fateor, potuiſſe hoc ſophiſtam, et alios in errorem adducere. Sed dupliciter accipi poteſt: vel ſtatim id contigiſſe, mortuo *Pauſania*; vel paucis poſt annis, cum *Themiſtoclis* exilio *Spartanis*, quibus inuiſus erat, idonea opportunitas obueniret eum perdendi. Prius ſequitur *Plutarchus c*): *Themiſtoclem* enim, poſt exilium, priuatim egiſſe cum *Pauſania*: qua quidem opinione auctori harum Epiſtolarum fauet. Sed, alterum voluiſſe *Thucydidem*, apparebit; ſi conſideraueris, eum, poſtquam fugam *Xerxis* commemoraſſet, ea, quae ad *Pauſaniam* pertinerent, ſtatim ſubieciſſe; cum vero in *Aſiam* fugeret *Themiſtocles*, *Artaxerxem* regnantem inducit, quod longo poſt interuallo accidit. Ne dicam, *Diodori*, cuius inſtitutum erat, res geſtas omnes annis aſſignare, nec vltra annua ſpatia pertexere filum hiſtoriae, in quaeſtione temporis maiorem eſſe auctoritatem, quam *Plutarchi*, aut alius cuiusuis, qui res geſtas et fata virorum illuſtrium ſeparatim literis conſignauerit.

b) l. 1. p. 88. *c*) Themiſt. p. 224.

DISSERTATIO
DE
EPISTOLIS SOCRATIS.

Epiſtolae Socratis, eiusque diſcipulorum, *Xenophontis*, *Ariſtippi*, etc. prodierunt e bibliotheca *Vaticana*, opera *Leonis Allatii*, viri doctiſſimi, et typis deſcriptae ſunt *Pariſiis* cIↄIↄcxxxvii. Is autem tam ſibi perſuaſerat ipſi, tam aliis perſuadere conabatur, eſſe vere profectas ab illis auctoribus, quibus attribuerentur; vt, ſcripto LVII. paginarum dialogo *in quarto* ab omnibus, quae aut a ſe poſſent, aut ab amicis ſuis opponi, eas defenderit. Atque ex eo tempore nemo, quantum quidem ſcio, rem in controuerſiam vocauit. Attamen, cum de iis cognouerim ego, tum nullam amplius controuerſiam fore, quin confictae ſint, et commenticiae, animum induco credere. Ad argumenta *Allatii* quod attinet; eorum non niſi vnico vtar; et eo quidem ita, vt et noua via inſtituam, et id defendam ab omnibus, quae oppoſuerit ipſe.

I.

Inuitatus ab Archelao, *viſere eum recuſat* Socrates *etc.*

Epiſtola prima *Socratis* eſt ad regem quendam, *Archelaum* putant *Macedoniae* regem; qua, quam humaniſſimis et officioſiſſimis verbis licet inuitatus, venturum ſe negat. Sunt quidem auctores fide digni, qui teſtentur, eum reuera detrectaſſe conſuetudinem *Archelai*, aliorumque; quod fundamentum plano noſtro confingendae huius fuit epiſtolae. Illorum tamen, qui eius meminerint, neminem eſſe puto, qui verbis tam ſuperlatis, quam quibus ſemet ipſe hic, rogatum *Socratem* inducat. Regem *a*) enim *partem regni ſibi obtuliſſe*; *Veniret* autem, *non*, *vt ei imperaretur*, *ſed vt vtrisque*, *et aliis*, *et ſibi*, *imperaret*. Ecquod ſophiſtae indicium poteſt eſſe clarius? Apte, hercle, oblatum pauperi ſeni, cui nihil eſſet praeter baculum et pallium in humero! Sed a mediocritate abhorret ſophiſta, non niſi ſuperlationibus delectatur; et in ſimpulo etiam fluctus mouet.

a) Τῆς βασιλείας ἑαυτῆς μέρος διδόναι. et Ἄρχοντα καὶ τῶν ἄλλων καὶ σοῦ αὐτοῦ.

II.

Socratis *etc. Epiſtolas nunquam vidit* Athenaeus. *eas num cognouerit* Libanius, *diſputatur. etc.*

Quid vero philoſophus noſter? rationem porro recuſationis reddit: Dehortari daemonium: dein in longam narrationem incidit illorum, quae ſibi eueniſſent in pugna ad *Delium;* viginti annis inde ad datam hanc epiſtolam. Sed legerat id apud *Platonem* ſophiſta, noluitque elegantioris narrationis omittere opportunitatem. Nolo equidem vrgere hic teſtimonium *Athenaei b*): Eſſe rem totam a *Platone* confictam: Sed vtcunque erit, hoc ſaltem inde colligemus; ipſum *Athenaeum*, qui curioſius omnia conquiſiuerat, nunquam vidiſſe has Epiſtolas. Quo vno fit, vt, confictas eſſe poſt eius tempora, ſuſpicer; inprimis, cum uniuerſa antiquitas alto ſuo ſilentio id confirmet.

Eſt locus *Libanii c*), fateor, in quo is, *Allatio* iudice, declarare videtur; vidiſſe ſe hanc ipſam epiſtolam. Poſtquam enim mentionem fecerat repulſae, quam a *Socrate* tuliſſent *Scopas*, *Eurylochus*, et *Archelaus*; Αὐτῶν δὲ, inquit, *ἐδεόμην* τῶν Ἐπιςολῶν, *ἐν ἐκείναις τὸν ἄνθρωπον κάλλιςα ἂν ἴδετε.* Quod ſi concedimus, quod voluit *Allatius;* id omne eſt, quod inde colligas: Eſſe et Epiſtolas *Libanio* antiquiores, quod lubens credo: et hunc veras illas crediddiſſe; quod non diſputo. Ita enim *Stobaeum*, *Suidam*, alios, *Phalaridis* Epiſtolas, vidimus, vt veras, venditare; qui tamen cum iis conſentiat, lectorum meorum, puto, nunc fore neminem. Sed, bona cum venia *Allatii*, in contrariam plane cauſam equidem *Libanii* verba afferrem. Poſtquam dixerat is, plures principes per literas inuitaſſe *Socratem* ad ſuam conſuetudinem; eum vero reſpondiſſe omnibus, nolle ſe venire; *Sed*, inquid, *ipſis Epiſtolis indigeo; in quibus optime hominem videas.* Hoc, vt quidem mihi videtur, indicio eſt, epiſtolas, ad quas is reſpiciat, non exſtitiſſe. Si enim, vt *Allatius* putat, eas in promtu habuit, quomodo potuit iis *indigere?* Apparet autem, eum hic intelligere varias epiſtolas, quibus reſponſum ſit ad varios nuncios, ſed vnica ſolum in hoc faſciculo eſt. *Vellem*, inquit, *haberemus Epiſtolas; ex iis ingenium hominis cognoſceres.* Quod ſi hic verborum iſtorum ſenſus eſt, vt veri ſimile eſt, tantum abeſt *Libanius* a defenſione Epiſtolarum noſtrarum, vt contra eas teſtis ſit certiſſimus.

b) l. v. p. 215.

c) Apologia Socrat.

III.

Leontis Salaminii *mors*, *etc.*

Epiſtola VII. data a *Socrate* eſt ad illorum vnum, qui, vt vim XXX. tyrannorum effugerent, *Thebas* ſe contuliſſent; qua certiorem eum facit de ſtatu *Athenarum* poſt eorum diſceſſum: *Se ipſum inuiſum factum tyrannis, quod ſententiae* Leontis Salaminii *ſubſcribere nollet;* ac dein rem pluribus exponit. Habes manifeſtum indicium, commenticias eſſe Epiſtolas. Res enim *Leontis* ad finem ante perducta iam erat, quam ciuitatem fuga reliquerant iſti. Nam ante *Theramenem* interfectus *d*) *Leon:* et *Theramenes* ante interfectus, quam *Thraſybulus* cum ſuis *Thebas* confugerat. Atque ad eos in hac epiſtola reſpicere *Socratem*, hinc intelligi poteſt; Quod hic de conſpiratione eorum ad conferendum ſe clam *Athenas*, et in tyrannos inuadendum loquitur: id quod poſtea vſu venit.

IV.

Argumenta ſcurrilia quarundam epiſtolarum.

Epiſtola VIII, IX, XII, et XIII. iocantur inter ſe *Antiſthenes*, *Ariſtippus*, et *Simon*, ſutor. Indignum iſtorum hominum memoria eſt, exiſtimare, tali eos ratione fuiſſe iocatos, nugatosque; inprimis e *Sicilia* inde *Athenas* vſque miſiſſe tam ſcurrilia, quae ne quidem conuiuas inter pocula decerent.

V.

Phaedrus *mortuus ante* Socratis *tempora.* Plato *notatus ab* Athenaeo, *etc.*

Epiſtola XIII. inter alios *Simonis* amicos *Phaedrum* recenſet eundem, cuius nomine inſcriptus Dialogus *Platonis:* eſtque XXV. ab ipſo *Phaedro* ad *Platonem* ſcripta: et vtraque haec data poſt mortem *Socratis.* Iam vero *Athenaeum* appello; poſſintne binae hae epiſtolae eſſe verae. Is inter alios errores temporis, quos reprehendit in *Platone*, notat *e*); Phaedrum *induci diſſerentem cum* Socrate; *procul dubio ante tempora iſtius philoſophi fato iam functum.* Quomodo igitur ei ſuperſtes eſſe potuit, in his epiſtolis: et de morte eius tam παθητικῶς diſſerere? Fateor, qui veteris hiſtoriae defectus eſt, non poſſe auctoritatem hanc communiri alio teſtimonio. Tamen certum habeo, omnes, qui quidem iuſti aeſtimatores *Athenaei* ſunt, non parui aeſtimaturos hoc contra Epiſtolas argumentum.

d) *Xenoph.* Hiſt. l. II. p. 467, 470. *Diodor.* l. XIV.

e) l. XI. p. 505.

VI.

Oratio Polycratis *in* Socratem. Hermippi, *et aliorum errores.* Fauorini *verba explicata. Sophistae difficiliora argumenta, et paradoxa amant.* Isocratis *sententia de Orat.* Polycr. *etc.*

Epistola XIV. *Xenophonti* pluribus exponitur caufa et mors *Socratis;* data statim post, ab vno de discipulis eius, qui praesens vtrique adfuit. Inter alia ei narrat *f*), *orationem, vel dicam* Socrati *scriptam esse* Polycratis *sophistae.* Sed vereor, ne hoc in dicam vertat alii sophistae, quod epistolas adulterauerit. Videor enim mihi clare posse probare, eo tempore, quo data esset haec epistola, nullam adhuc famam sparsam de *Polycrate* eius auctore; atque falsam hanc opinionem, quae postea hominum animos oppleuerit, et scriptori nostro ansam dederit eius in sua epistola commemorandi, non, nisi aliquot annis post condemnatum *Socratem*, demum exiisse.

Est apud *Diogenem Laertium Hermippi* testimonium, *Polycratem* auctorem esse dicae *g*). Συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστὴς, ὥς φησιν Ἕρμιππος. Sed statim subiicit; „*Fauorinum* libro primo *Commentariorum* negare, *veram* „esse *Polycratis* orationem in *Socratem*: quod in ea meminerit „murorum, sexto post mortem *Socratis* anno a *Conone* instau„ratorum." Cui sententiae subscribit *Laertius;* Καὶ ἔστιν οὕτως ἔχον, *atque ita se habet.* Libere dicam, locum hunc *Fauorini* nondum fuisse recte intellectum. Acceperunt vulgo, quasi orationem, attributam *Polycrati*, vere eius esse, negaret. Sed multum abest ab hac opinione. Plane enim tum fuisset refutatus verbis *Isocratis*, locupletissimi et certissimi testis, qui in oratione ad hunc ipsum *Polycratem h*); *Intelligo,* inquit, *te maxime gloriari de duabus orationibus, altera* pro Busiride, *altera* in Socratem. Fuit autem haec *Fauorini* opinio; *Polycratem* istam orationem non eo animo fecisse, vt reuera in iudicio in *Socratem* diceretur; sed aliquot annis post demum scripsisse, vt periculum ingenii sui faceret. Alium sensum *Graeca* non ferunt: Μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους· ἐν αὐτῷ γὰρ μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν, etc. Obserua μνημονεύει *Polycrates meminit.* Si negasset, eum esse auctorem, dixisset, *mentio facta est.* Praeterea expressis verbis vocat τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους; solum negat, esse

f) Ἦν δὲ λόγος Πολυκράτους τοῦ λογογράφου.

g) Vita Socrat.

h) Ἐπὶ τῇ Βουσίριδος ἀπολογίᾳ, καὶ τῇ Σωκράτους κατηγορίᾳ. *Isocr.* Busir,

ἀληθῆ. Sed, si negauerat esse eius, dixisset; Μὴ εἶναι Πολυκράτους τὸν λόγον τὸν κατὰ Σωκράτους: vt aliis in locis *Laertius i)*: Λακεδαιμονίων Πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος: *l)* Διαλόγους, οὓς Πεισίστρατος ὁ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνου. Haec, puto, clara satis. Iam vero sciendum, morem fuisse veterum sophistarum, vt artem suam ostentarent argumentis difficilioribus et paradoxis de quibus nemo alius verbum dixerit; vt commendatione Febris aut Podagrae. Quocirca *Polycrates*, vt pateret, quid posset in hac sua rhetorica, orationem scripsit pro *Busiride*, qui hospites suos obtruncatos comedebat; et pro *Clytaemnestra m)*, quae maritum interfecerat: et, quo exemplum exstaret peritiae suae in accusanda virtute non minus, quam in vitio excusando, orationem composuit in *Socratem*, non ἀληθῆ, *veram illam*, vt recte *Fauorinus* dixit, sed exercitationem scholasticam tantum; quales *Plato*, *Xenophon*, *Libanius*, alii, pro eo scripserunt. Vt ratio nulla sit, cur potius credamus, orationem eius veram fuisse dicam scriptam *Socrati*, quam reuera eum caussam pro *Clytaemnestra* dixisse, cum ad eam interficiendam se accingeret *Orestes*. Imo ex ipso *Isocrate*, vt opinor, intelligi potest, fuisse tantum exercitationem scholasticam, factam post mortem *Socratis*. *Polycratem* enim reprehendit, quod *Alcibiadem* in discipulis *Socratis* numeret; quum, praeterquam quod a nemine fuerit vnquam eius discipulus habitus, si vere fuisset, laudi fuisset doctori; non vituperationi, quod sophista intendit. *Vt*, inquit *n)*, *si fieri posset, vt manes haberent scriptorum duorum cognitionem, gratias tibi ageret* Socrates. Ecquod clarius indicium, *Socratem* ante factam orationem *mortuum?* nec hanc veram dicam fuisse? Nam si fuisset, in iudicio id audiuisset: nec locum habuissent verba, *si fieri posset, vt manes haberent eius cognitionem*. In conclusione tandem hortatur eum, vt ne ingenii laudem quaerat, tam prauis argumentis, πονηραῖς ὑποθέσεσι; ne, falsis res coloribus pingendo, publice noceat. Hinc rursus intelligimus, orationem eius in *Socratem*, quemadmodum *Busirin* et *Clytaemnestram*, fuisse tantum declamationem exercitationemque scholasticam, non veram orationem in *Areopago Athenis* dictam. Quibus addam, nec *Platonem*, nec *Xenophontem*, nec vllam aequalium *Socratis* vsquam *Polycratem* induxisse, tanquam auctorem dicae *Socrati* scriptae: quod, si sic vere se res habuisset, pro perpetuo sophistas inter et philosophos odio, sine dubio ei obiecissent.

i) In Xenoph.
l) In Aeschine.
m) *Quintil*, l. 11. c. 18.

n) Εἰ γένοιτο ἐξουσία τοῖς τετελευτηκόσι βουλεύσασθαι περὶ τῶν εἰρημένων, ὁ μὲν χάριν ἂν εἰδείη σοι, *Isocr.* Busir.

Ac nota res eſt, *Athenienſes*, poenitentia ductos, auctores accuſationis *Socratis* omnes vel exilio vel morte multaſſe. Quod ſi ergo prae reliquis tam in culpa fuiſſet *Polycrates*, quam qui accuſationem conflaſſet; quomodo, cum omnes punirentur, vnus potuiſſet ſaluus et incolumis euadere?

Sed cum *Oratio in Socratem*, exercitatio licet ſophiſtica tantum, in lucem primum eſſet edita; non tam a rei natura abhorrebat, aliquamdiu poſt, illos, qui modo fama eam cognoſcerent, legiſſentue parum attente, credere, veram dicam eſſe. Vidimus iam in iſto errore *Hermippum* fuiſſe, qui centum poſt annis vixit; et vna cum eo *Quintilianum*, *Themiſtium*, et complures alios. Vnus *Fauorinus*, vt videtur, tanta fuit ſagacitate, vt, ex temporis nota coniectura facta, dica *Socrati* ſcripta recentiorem eſſe, deprehenderit. Nihilominus tamen iſte locus *Fauorini* ipſe adhuc fuit obſcurus: vt facile veniam mihi det lector longioris huius ſubtilioriſque diſputationis; ſiquidem noui quid inde diſcat. Quod ad *Hermippum* attinet; ne quem tam praeclari auctoritas ſcriptoris deterreat a re tam plana amplectenda, alium, hoc grauiorem etiam errorem eius in hiſtoria *Socratis* monſtrabo. Cum in eadem, qua *Epaminondas*, pugna cecidiſſet *Gryllus*, *Xenophontis* filius; plurimi iſtius aetatis viri docti, quo patrem conſolarentur, laudes eius elegiis et orationibus celebrarunt. De reliquis vnum *Socratem* fuiſſe, ait o) *Hermippus*. Qui error non minus, quam XXXVII. annorum eſt, qui mortem *Socratis* inter et pugnam apud *Mantineam* interſunt.

Socratem interfectum eſſe Olymp. XCV. I. magiſtratu *Lachete*, inter p) omnes conſtat; idque amplius probare, eſſet ſoli lumen inferre. Ac ſexto poſt anno, Olymp. XCVI. 3. magiſtratu q) *Eubulide*, muros inſtaurauit *Conon*. Quo indicio *Fauorinus*, et poſt eum *Diogenes*, falſam eſſe vulgarem de *Polycratis* oratione opinionem, comperit. Sed, quo vim iſtius argumenti declinet *Leo Allatius*, τί τῶν ἀδυνάτων conatur; vitam nempe *Socrati* in viceſimum amplius poſt *Lachetem* annum prorogare: vt is muros *Cononis* videre, et *Polycratis* declamatio potuerit vera eſſe in iudicio in eum dicta oratio. Quod efficere voluit, comparandis inter ſe diuerſorum ſcriptorum locis, temporibuſque aliorum cum illis *Socratis*. Quaſi vero iſta, quae ab errore ſcriptorum ſunt tantum profecta, tot expreſſis auctoritatibus poſſent opponi. Eadem, qua is progreditur, via equidem efficiam, vt etiam contrarium pateat;

o) *Laert.* in Xenoph. *Euſeb.* Argumentum *Iſocr.* Buſir. etc.

p) Vid. *Diodor. Fauorinum*, *Diog. Laert. Ariſtidem*, Marmor *Arund.*

q) *Diodor.* XIV. p. 303. *Fauorin. Diog. Laert.*

Socratem fuiſſe mortuum viginti annis ante *Lachetem* magiſtratum. Traditum enim accepimus *r*); *Euripidem* in fabula, cui nomen *Palamedes*, verbis, Ἐκάνετ᾽, ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, etc. voluiſſe *Athenienſes* perſtringere, quod *Socratem* interfeciſſent: quo intellecto, omnibus ſpectatoribus lacrimas fuiſſe obortas. Mortuus itaque ante *Euripidem* eſt *Socrates*. At, illum, conſtat, ſex annis ante *Lachetem* magiſtratum, mortuum eſſe. Imo *Socrates*, oportet, iam ante actam *Palamedem* mortuus fuerit. Sed ea acta eſt Olymp. XCI. I. *s*) ſedecim ante *Lachetem* annis. Nonne ergo contrarium eius, quod voluit *Allatius*, probaui? Sed nondum, ſpero, eo dementiae proceſſi, vt argumentum tam obliquum tot expreſſis teſtimoniis opponerem. Quod ſi modo circumſpexiſſet *Allatius*, non tam temere commiſiſſet, vt cum ab vna parte defenderet Epiſtolas, tum eas aduerſariorum telis exponeret. Si *Socrates* mortuus eſſet *Lachete* magiſtratu, neceſſe eſſet, vnam Epiſtolam, qua mentio fit *Polycratis*, eſſe commenticiam. Huic parti laboranti, ſuccurrere voluit *Allatius*, atque ideo vitam ei in complures annos prorogare. Sed dum dico, ſi hoc *Allatio* concedimus; non ſolum vnam epiſtolam, ſed omnes in vniuerſum falſas eſſe. Nam in pleriſque mors *Socratis* ponitur, *Lachete* magiſtratu. Hac ipſa epiſtola auctor queritur *t*), abſuiſſe *Xenophontem*, cum interficeretur *Socrates;* eumque, quo minus *Athenis* tum coram poſſet adeſſe, expeditione *Cyri* prohibitum *v*): et, ne plures commemorem, alia, data poſt mortem *Socratis*, *Xenophontem* inducit recenter ereptum periculo longi ſui itineris per hoſtiles regionis. Iam vero inter omnes conſtat *x*), *Cyri*, expeditionem et iter *Xenophontis*, magiſtratu *Lachete* et anno ante, factum. Vt in vniuerſum nullus locus relictus ſit, quo declinare vim huius argumenti poſſis; ſed manifeſto fraudis conuictus ſit noſter Epiſtolarum ſcriptor.

VII.

Fata Meliti *et* Anyti *poſt mortem* Socratis.

Epiſtola XVII. de diſcipulis *Socratis* vnus, qui praeſens *Athenis* fuiſſe ponitur, cum ea, de quibus loquitur, agerentur; *Athenienſes* interfeciſſe, ait *y*), vtrumque, et *Anytum* et *Melitum*, accuſatores *Socratis:* quod cum veritati hiſtoriae contrarium ſit, epiſtolas commenticias eſſe, declaret. Fuit qui-

r) *Diog. Laert.* in Socrat. Argum. *Iſocr.* Buſir.

s) *Aelian.* Var. Hiſt. II, 1. Schol. *Ariſt.* ad Ὀρ p. 401.

t) Ep. XIV.

v) Ep. XVIII.

x) Marm. *Arund. Laert. Diodor.* etc.

y) Ἄνυτόν τε καὶ Μέλιτον ἀπέκτειναν.

dem *Melitus* interfectus; ſed in exilium tantum miſſus *Anytus*; et eius *Heracleae* in *Ponto* poſtea degentis z) complures meminere.

VIII.

Xenophontis *in* Ariſtippum *odium*, *etc.*

Epiſtola XVIII. *Xenophontis* eſt, qua is amicos quosdam inuitat, vt ad ſe veniant in praedium ſuum prope *Olympiam:* Viſitatum ſe ab *Ariſtippo* et *Phaedone*; iisque recitaſſe a) *Memorabilia Socratis*; quae, ab vtroque b) *approbata*. Hoc vnum ſufficit ad exſtinguendam peruagatam Epiſtolarum noſtrarum famam. Quis enim credat, *Ariſtippum* tantum iter feciſſe, vt *Xenophontem*, inimiciſſimum ſuum c), viſeret? multo minus, approbaſſe librum, quo ſatyra in ſemet contineretur. Nam etiamnum exſtat liber; in eoque *Socratem* inducit longa oratione obiurgantem *Ariſtippi* d) intemperantiam voluptatemque. Atque ipſe *Laertius* obſeruat, eum vſum fuiſſe *Ariſtippi* nomine in turpi iſtac materia prae odio, quo ipſum proſequeretur.

IX.

Xenophon *in* Scillunte *Memor.* Socrat. *ſcripſit*, *etc.*

Vidimus iam *Xenophontem* Memorabilia *Socratis* conſcribentem in *Scillunte* prope *Olympiam*. In epiſtola vero XXII. ad *Cebetem* et *Simmiam*, eas *Megaris* ſcribit: ibi enim data epiſtola eſt. Atque epiſtola XXI. ad *Xanthippen*, eam inuitat, vt ad ſe *Megara* veniat. Suſpiceris, plurium ſophiſtarum Epiſtolas hoc volumine comprehendi: aut, ſi vnicus fuerit auctor, ſine ingenii felicioris beneficio, memoriam valde fallacem a natura accepit. Conſtat quidem, mortuo *Socrate*, diſcipulos eius, prae metu relictis *Athenis* e), *Megara* ad *Euclidem* ſe contuliſſe: quae cauſa erat, cur eo *Xenophontem* deduceret ſophiſta. Meminiſſet vero, cum illi *Athenis* metu mortis fugerent, hunc ſecure, longo inde itinere, abfuiſſe apud *Ageſilaum*; quo relicto, *Scilluntem* petiit, ne quidem vnquam domicilio *Megaris* collocato. Imo adeo non puduit ſophiſtam, vt *Xenophontem* induceret forma pauperis, qui peteret, et ſuſtentaretur a *Cebete* et *Simmia*: cum omnibus notum ſit, magnas in bello diui-

z) *Laert.* in Socrat. et in Antiſth. *Themiſt.* Or. II. *Auguſtin.* de Ciu. Dei, VIII. 3.

a) Ἀπομνημονεύματα.

b) Ἐδόκει ἁρμόδιά τινα εἶναι.

c) Ξενοφῶν δὲ εἶχε πρὸς αὐτὸν δυσμενῶς. Laert. in Ariſtippo.

d) *Xenoph.* Memorab. l. II. in princip.

e) *Laert.* in Euclid.

tias eum acquisiuisse *f*), et splendide hospitaliterque vixisse in *Scillunte*.

X.

Platonis *fundus* ἐν Ἡφαιςιαδῶν. Allatii *error*. Hesychius *notatus*, *etc*.

Epistola XXIV. *Plato* ait, se, taedio vitae vrbanae captum, rus iuisse, διατρίβοντα ἐ μακρὰν Ἐφεςιάδων; quod *Allatius* vertit, *non longe ab Ephestiatibus*; debuit, *ab Hephestiadis*. Verum enim nomen *Graecum* est Ἡφαιςιαδῶν. Erat sibi *Platoni* fundus, quem testamento reliquit; τὸ ἐν Ἡφαιςιαδῶν χωρίον, vt est apud *Laertium g*). *Hesichius*; Ἡφαιςιάδαι, Ἀθηναῖοι. *Stephan. Byzant.* Ἡφαιςιάδαι, δῆμος Ἀθηναίων· τὰ τοπικὰ ἐξ Ἡφαιςιαδῶν; etc. In MS. *Rom. Laertii* scriptum est ἐνιφιςιάδων: atque ita apud *Hesychium* inuenias, Ἰφίςιος, ἥρως, ἀφ' ὃ Ἰφιςιάδαι. Quod sic lector sibi persuadeat, nostrum Epistolarum mangonem nomen, vt *Hesychium*, male scripsisse, de fraude certum habebit. *Plato* enim ipse verum nomen fundi sui bene nouerat. Sin vero auctorem absoluere, et culpam in librarios conferre malit; hanc tantum emendationem accipiat.

XI.

Epistola Aristippi *ad filiam* Areten *alia*, *quam cuius meminit* Laertius. Aristippus Attice *partim*, *partim* Dorice *scripsit*, *etc*.

Epistola XXVII. *Aristippi* est ad filiam *Aretem*: eadem forte, cuius mentionem fecit *Laertius*; qui in scriptis huius philosophi numerat Ἐπιςολὴν πρὸς Ἀρήτην τὴν θυγατέρα. *Allatius* certe eius rei sponsor est: sed non ego credulus illis. Sunt enim in hoc fasciculo binae aliae eius epistolae *b*), et ambae *Dorica* scriptae dialecto, *Athenas* licet missae: quod, scilicet, *Cyrenaeus* erat, et *Dorica* dialecto patria vt batur. Dic itaque, sodes, quae causa erat, cur in hac *Attico* sermone vteretur, licet in *Sicilia*, terra *Dorica*, scriberet, ad filiam suam, quae *Cyrenis* esset. Suspicarere, vt supra iam obseruaui, par aliquod sophistarum operam suam ad hanc συναγωγὴν contulisse. Nouimus ex *Laertio*, de XXV. *Dialogis*, ab *Aristippo* editis, alios *Attice*, alios fuisse *Dorice* conscriptos. Sed id factum, opinor, causa personarum, quas induxit. Erant in aliis dialogis *Siculi*, et isti quidem *Dorice* scripti; vbi-

f) *Laert.* in Xenoph. *Xenoph.* Exped. Cyr. l. v. p. 350.

g) Vit. Plat.

b) Ep. IX. et. XI.

cunque vero *Athenienses* inducebantur, sermo *Atticus* aptior. Iam vero, in hac ad filiam epistola, ambo erant *Dorienses*; atque sic *Dorice* potius scripta haec fuisset epistola, quam alterutra reliquarum.

XII.

Berenice *ciuitas*, Macedones *loco* Φ *vtuntur* β, *etc.*

Eadem epistola commemorat fundum eius *Bernicae* τὸ ἐν Βερνίκῃ κτῆμα.. Dubium nullum est, quin respiciat ad Βερενίκην; ciuitatem illam forte, non longe *Cyrenis*. Sed nihil in tota *Africa*, cui tum istud nomen: nam Βερενίκη *Macedonum* lingua loco Φερενίκη est. In istac regione Φ vulgo mutari in β solebat: ita loco κεφαλὴ *i*) κεβλὴ dicebatur; loco Φίλιππος, βίλιππος; loco Φαλακρὸς, βαλακρὸς; et sic in reliquis. Βερενίκη igitur *Afris* incognita fuit, donec eo venerunt *Macedones*: ac sine dubio nomen acceptum ab vxoribus *Ptolemaeorum*, centum minimum post datam hanc epistolam annis.

XIII.

Socratis *uxores*, Xanthippe *et* Myrto; *variae de iis opiniones. Lex* Athenis *de duabus vxoribus simul habendis. Liber* Περὶ Εὐγενείας *non est* Aristotelis, etc.

Porro filiam hortatur, *Vt, se mortuo, proficisceretur* Athenas, *et vna cum* Myrto *et* Xanthippe, *vxoribus* Socratis, *degeret.* Vulgaris opinio fuit scriptorum historiae philosophicae, *Socratem* duas has vno tempore vxores habuisse; atque inde factum, vt in hac epistola earum meminerit sophista. Citantur *l*) auctores huius narrationis, *Callisthenes*, *Demetrius Phalereus*, , *Satyrus*, et *Aristoxenus*; qui omnes id traditum acceperunt ab *Aristotele*, libro περὶ Εὐγενείας, *de Nobilitate*. Quoniam vero legibus prohibitum erat istius reipublicae, ne quis plures vno tempore vxores haberet, nec veri adeo similis narratio: decretum, tempore *Socratis* factum, protulit *Hieronymus Rhodius*; Ob paucitatem hominum licere viro, duas vno tempore vxores habere in matrimonio. Nihilominus tamen contra istos omnes supra memoratos auctores, tot licet numero, ex instituto scripsit Stoicus *m*) *Panaetius*, vir summus, et, iudice *Plutarcho*, *quantum satis erat n*), opinionem de duabus vxoribus refellit. Quod ad me attinet: equidem in sen-

i) *Etymol. Magn.* etc.

l) *Laert.* in Socrat. *Plutarch. Aristid. Athen.* l. XIII. p. 556.

m) *Athenaeus*, *Plutarch.*

n) Ἱκανῶς.

tentia tam excellentium virorum, *Panaetii* et *Plutarchi*, acquiescere non dubito; et sola eorum auctoritate epistolam hanc commenticiam pronunciare. Quibus ii fundamentis argumentationem suam excitauerint, nunc dicere non possum; tamen probabilem causam esse puto, cur narrationem reiicias, etiam absque eorum testimonio. Nemo enim de amicis *Socratis*, neque *Plato*, neque *Xenophon*, verbum dixit de hac *Myrto*. Primum, qui fecerit eius mentionem, *Aristotelem* videmus: sed librum istum commenticium, suspicatur *Plutarchus o*). Vt hoc omne acceptum referendum sit homini fraudulento, qui nomen *Aristotelis* mentiretur. Praeterea in ipsa re narranda dissentiunt; alius tradit, eum vtramque simul; alius, primam *Myrto*, et, post eius mortem, alteram; alius denique primam *Xanthippen* habuisse vxorem. Vtrauis praecesserit, falsae sunt Epistolae nostrae; hic enim vtramque ei superstitem, vnaque viuentem habemus *p*). Alius, hanc *Myrto*, vult *Aristidis* filiam fuisse; neptem, alius; alius, proneptem. Quaecunque tandem fuerit; si viro fuit superstes, vt in Epistolis est, vbi, amabo, erat mulier tum, cum is interficiebatur? Visebat eum in carcere, vt viri amantem vxorem decebat, *Xanthippe q*); at nunquam eum adiit altera. Sane error sit, oportet, in quo versantur vulgo homines; fuisse *Xanthippen* mulierem contentiosam et litigiosam: ac videri posset maiori iure istum titulum sustinere potuisse *Myrto*. De *Hieronymo* autem quid dicam, qui idem decretum, quo binas vxores simul habere liceret, in medium profert? Vides, *Panaetium* non credidisse: et cur non aeque decretum commenticium esse potuit, atque hae Epistolae? Quod si esset tale decretum, profecto non multum sapientiae in eo appareret. Certum est, numero pari fere nasci mares et feminas. Vt, si binae aliis obtingerent vxores, alii coelibem vitam agere cogerentur: quod quale remedium paucitatis hominum? Praeterquam quod tali lege diuitibus, qui par vxorum alere possent, tantum prospiceretur: qui vero foecundiores esse solent, pauperum, quam ante, deterior esset conditio. Nec certe minori contentione isti legi se opposuissent, quam, cum *Papirius Praetextatus*, simile quid actum in senatu, matri dixisset, matronas *Romanas* fecisse, accepimus *r*). Mirum etiam est, nemini vnquam, nisi *Hieronymo*, hoc decretum auditum fuisse et notum, et ei quidem suspecto testi; quod, vt extremis angustiis se expediret, id protulerit. Sed tale factum publicum, si verum fuisset, latere vniuersam histo-

o) Ibid.
p) Ibid.
q) *Plat.* Apolog.
r) *A. Gellius.* l. 1. c. 23.

ricorum nationem certe non potuiſſet. Non tantum memoria, ſed etiam obſeruatione fuiſſet dignum. Qui vero fieri potuit, vt intactum ab omnium comicorum iſtius aetatis iocis et cachinnis maneret? Qui, vt argumentum tam ridiculum, tam aptum ſcenae, ſilentio praeterirent? Qui ſciunt, quae temporum iſtorum fuerit conditio, hoc demonſtrationis inſtar habebunt. Sed habuerit plures etiam vxores *Socrates*; nihilominus in culpa erit Epiſtolarum auctor. Hic enim ſophiſta binas mulieres vna amice viuentes facit: quod credibile non eſt: nam (vt illi *s*), qui duas fuiſſe volunt, narrant) viuente marito, continua inter eas bella erant. Sed, quod peius etiam eſt, ſunt aliae Epiſtolae in faſciculo, ex quibus colligas, vnicam tantum vxorem *Socrati* fuiſſe *t*). Ipſe, in epiſtola ad neſcio quem, hoc ei impertit noui; Xanthippen, *ac liberos valere*: ſed ne verbum quidem de *Myrto v*). *Xenophon* literas plenas omni genere officiorum et laudum ad *Xanthippen* et paruulos dedit; ſed valde inhumanum, de altera plane ſiluiſſe; cum, vt opinio fert, plures ea liberos marito pepererit. Imo, ſi hanc epiſtolam vere *Xenophontis* eſſe concedimus; turpiter illuſit feminae, contra morem ſuum. Quando enim dabatur haec epiſtola, ſi proxime ſequenti *x*) credimus, in conſcribendis *Memorabilibus Socratis* erat occupatus. Vt, cum hic in epiſtola ſua bonae mulieri aſſentatus ſit, munuſcula quaedam dederit, et amorem eius erga maritum, aliasque virtutes valde extulerit, tum in ſuo libro *y*) eam traduxerit apud ſuos, omnemque poſteritatem, tanquam omnium *quae aut fuerint vnquam, aut futurae ſint*, contentioſiſſimam litigioſiſſimamque excetram. Imo, quo turpius factum, vnus omnium ſic eam depinxit; nam nec *Plato*, nec vllus veterum *Socraticorum* de procacitate eius aliquid ſcripto reliquit. Quocirca calumniam eſſe, ſuſpicatus eſt *Athenaeus*: inprimis quum *Ariſtophanes* reliquique comici, qui ſales ſuos amaros abunde in *Socratem* effuderunt, nunquam ei de vxore exprobrauerint. Sed, vtcunque id eſt, de *Xenophontis* ſubdolo animo quid exiſtimandum? Equidem integris talium epiſtolarum plauſtris carere, quam talem de tanto viro opinionem habere, malo.

s) *Ariſtoxenus* apud *Theodoret.* Serm. XII. ad *Graecos.*

t) Ep. IV.

v) Ep. XXI.

x) Ep. XXII.

y) *Xenoph.* Conuiu. p. 876.

XIV.

Error in ratione temporum notatus. Epistolae Xenophontis *a veteribus citatae an vere omnes sint eius.* Theodoretus *et* Eusebius *refelluntur. Philosophi plures apud* Dionys. *tyr. fuerunt, etc.*

Epistola XV. de *Platone*, quocum simultates exercebat, narrat *Xenophon*; Dicere eum, *Nullum de suis scriptis sibi, sed omnia* Socrati *iuueni, et pulchro attribuenda esse*; Φησὶ μηδὲν εἶναι ποίημα αὐτοῦ, Σωκράτους μέντοι νέου καὶ καλοῦ ὄντος. Est autem hoc ex secunda *Platonis* ad *Dionysium* iuniorem epistola: Οὐδ' ἐστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν. οὐδ ἔσαι· τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστι. καλοῦ καὶ νέου γεγονότος. Habes errorem cum testimonio, ignorantia sophistae in temporum ratione commissum. Quam enim is *Xenophonti* affinxit, epistola statim post mortem *Socratis* data est: sed vera illa *Platonis*, ad quam hic respicit *Xenophon*, multo posterior est. *Dionysius* enim regnare coepit Olymp. CIII. 1. annis XXXII. post accusatum *Socratem*.

Vnum adhuc obseruo, quod omittendum non est; ante plures exstitisse epistolas *Xenophontis*, quam in hac συναγωγῇ inueniantur. Citatur a *Stobaeo* z) ex epistola eius ad *Critonem* longum fragmentum; duo a) ex epistola ad *Sotiram*; et duo plus b) ex alia ad *Lamproclem*: quarum nulla in hoc *Allatii* fasciculo. *Theodoretus* locum profert ex eius epistola ad *Aeschinem*; qua *Plato* c) *ambitionis et luxuriae* nomine vapulat; *quibus vt obsequeretur, in* Siciliam *ad* Dionysium *eum profectum.* Haec et plura etiam ex eadem epistola sunt apud *Eusebium* d): et nota exstat apud *Stobaeum* e). Quid ergo? dicemusne, Epistolas *Xenophontis* veras istis temporibus exstitisse? an eas quoque commenticias esse, et ad idem volumen, vnde hae *Allatii* sunt, pertinere? Hac ratione, vt supra notaui, *Libatio* erunt antiquiores. Vereor equidem, ne quis male factum putet, quod *Eusebii* et *Theodoreti* iudicio me opponam, Sed constat, alios eiusdem f) generis errores esse eorum: atque ipsa, quam citant, epistola semet adulterinam prodit. Videmus *Xenophontem* in epistola ad *Aeschinem* in *Platonem* inuehi. Hoc si verum, in illum, ad quem literas dabat, cuiusque amicitiam tanto opere in reliquis suis epistolis ambiebat, fa-

z) Serm. 81.

a) Serm. 120, 123.

b) Serm. 5.

c) Ἔρως τυραννίδος, καὶ ἀντὶ λιτῆς δικίτης Σικελιώτις γαστρὸς ἀμέτρου τράπεζα.

d) Praep Euang. XIV. 12.

e) Serm. 78.

f) Vid. Differt. super *Io. Malal.*

ctum esse contumeliosissime. Nam eidem vitio obnoxius ipse *Aeschines*, quasi per latus *Platonis* vulneratus esset. Nouimus certe, eum aeque, ac *Platonem*, *Aristippum*, alios, in *Siciliam* iter fecisse, et cum *Dionysio* vixisse *g*); et id quidem lucri causa tantum, et pinguioris mensae. Parasitum tyranni eum fuisse, ait *Lucianus h*); alius vero *i*), adeo eius conuictu delectatum, vt nunquam ab eo discesserit, donec regnum ei esset ademtum. Iam vero vnumquemque rogo, possitne adhuc veram putare epistolam, vtcunque *Eusebii* eruditionem suspiciat.

In principio huius Dissertationis dixi, *Neminem me scire, qui post primum editas has Epistolas, in controuersiam eas vocauerit.* Sed posteaquam typis iam descriptum id erat, vidi in *Pearsoni*, viri plurimum reuerendi, *Vindiciis Epp. Sancti Ignatii l*) digressionem factam ex instituto contra *Epistolas Socratis*. Fateor, non fine pudore, aut nunquam me legisse caput istud; aut plane fuisse oblitum. Laetor tamen, quod virum illum excellentissimum, video, vtrumque, et operae pretium existimasse, fraudem hanc aperire, facta digressione ab instituto; et me confirmare in sententia mea, cum summa eius accesserit auctoritas. Nihil ibi inuenies, quod non cum illis, quae disserui, conueniat; si excipis, quod epistolam ad *Aeschinem*, ab *Eusebio* citatam, veram esse concedit vir illustris: quam ego commenticiam esse, probare sum conatus. Rem omnem ad illos refero, qui vtrumque legant; putentne, caussam mutandae sententiae me habere: inprimis, vbi cognouerint, *Aeschinem* non solum, sed ipsum quoque *Xenophontem* visitasse *Dionysium*. Testis mihi *Athenaeus m*), et is quidem locupletissimus: Ξενοφῶν γοῦν ὁ Γρύλλου παρὰ Διονυσίῳ, etc. Xenophon, inquit, Grylli *filius*, *cum*, *qui a poculis erat*, *conuiuas cogeret ad bibendum; Quid est*, inquit, Dionysi (tyrannum compellans) *si*, *vt bibamus*, *inuitos nos cogit*, *qui tibi a poculis est*, *quare non aeque coquus tuus ad edendum nos hortetur?* Vt si veram esse epistolam ponamus, altero tanto absurdius sit factum; cum vterque eidem rei, cuius accusabatur *Plato*, obnoxius esset.

g) *Laert.* et. *Suidas* in Aeschine. *Plut.* de Adulat.

h) In Parasito.

i) *Polycritus* apud *Laert.*

l) Par. II. p. 12, 13.

m) Lib. x, p. 427.

DISSERTATIO
DE
EPISTOLIS EVRIPIDIS.

Temerarium et periculo plenum eſt, *Euripidis* Epiſtoles velle impugnare; cum tanto ſtudio eas vindicare profeſſor quidam linguae *Graecae* doctiſſimus ſit conatus; vt *perfrictae frontis et iudicii imminuti a)* eſſe, dixerit, de earum veritate dubitare. Equidem tam grandi ſponſione contendere nolo: ſed, ſi ſine tantis rebus, modeſtia et iudicio, pignori datis, quid ſentiam, dicere mihi licet: candide et libere id declarabo.

I.
Sabirius Pollo, *vel* Sabidius Pollio *ſcriptor Epiſtolarum* Euripidis, *etc.*

Quinque tantum Epiſtolae nunc exſtant, quae *Euripidi* attribuuntur: ſed ſine dubio plures antea fuerunt; vt modo vidimus, non omnes nos habere *Xenophontis* Epiſtolas. Certe non tam ſterile ingenium ſophiſtae exiſtimandum eſt, vt eſſet quinque tantum epiſtolis omnino exhauſtum. Licet hic ſecus, atque in reliquis, tam eſſe felicibus nobis, vt ſciamus, cuius beneficio has Epiſtolas acceptas referre debeamus. Qui ſcripſit librum Περὶ Κατεψευσμένης Ἱστορίας, *Apollonides*, „*Sabirium* quendam *Pollonem b)*, ait, eas confinxiſſe, eundem „illum, qui *Arati* Epiſtolas adulterauerit". Tradit hoc ſcriptor Vitae *Arati*, non indoctus auctor: qui, quod ad has *Euripidis* attinet, ei non contra dicit; quod vero ad illas *Arati*, omnes, ait, ſpreta *Apollonidae* ſententia, veras exiſtimaſſe. Equidem de eo, quod nunquam vidi, iudicare non poſſum; neque enim Epiſtolas *Arati* nunc habemus: ſi vero his tragici noſtri meliores non ſunt, inuitis omnibus etiam, *Apollonidae* ſententiam amplector; ac vellem, iſte liber eius ſupereſſet. Opinarere, ratione nominis, *Sabirium* hunc *Pollonem* fuiſſe *Romanum*: ſed neque familiam *Sabiriam*, neque cognomen *Pollo* inuenio. Quid, ſi legamus *Sabinius*, aut *Sabidius Pollio?*

Non amo te, Sabidi; nec poſſum dicere, quare.

Si iſte *Sabidius* apud *Martialem* Epiſtolas noſtras confinxit;

a) *Eurip.* Edit. Cantabr. par. II. p. 523.

b) Σαβίριος Πόλλων.

etsi nullam potuit poeta, tamen optimam ego rationem reddere possum, quare eum non amem.

Verum doctissimus Epistolarum defensor non pauca excipit contra hoc *Apollonidae* testimonium: *Posse nos tuto ex eo colligere, complures alios fuisse, qui veras eas crediderint.* Papae! Quanto plures, vtrique, et antiqui, et recentiores, *Phalarin* verum crediderunt? Si istoc argumento absolui res posset, hac potuissem Dissertatione supersedere. *At proba, has Epistolas, quae nunc exstent, easdem esse, quas confinxerit* Sabirius. Argumentum, instar petitionis ita coniectae, vt vitari non possit! Quid, si etiam traditum esset, *Epistolas Phalaridis* ab eo conscriptas esse; qui tamen posset *probari*, nisi loca quaedam ex iis essent citata, easdem esse, quas nunc habeamus? Sed etsi has *Sabirii* esse, non possum; adulterinas tamen, mox demonstrabo; ac spero, tum iniquum non fore, vt ei adiudicentur. *Sed certum est, oliquando exstitisse veras* Epistolas Euripidis; *quod fuit, qui non alienum existimaret, falsas quasdam supponere.* Equidem contrarium existimo; nec cuculum in nido, iam repleto, oua eniti. Nolo saltem ego veras inuestigare *Phaloridis* Epistolas; licet aliquis fasciculo falsarum imposuerit literatis.

II.

Euripides *vna cum* Agathone *apud* Archelaum *vixit.* Agatho *tragicus, non comicus. locus* Suidae *corruptus, etc.*

Fieri facile potuisset, etiamsi, commenticias Epistolas, ponamus, vt, cum quinque tantum sint numero, nihil reperiretur, quo fraudis scriptorem conuinceres. Sed tam bene rem suam is egit, vt in singulis, quantum satis, sit, quo possis eas cognoscere. Vltima, et ea praecipua, in *Macedonia* data est, vt esset responsum, ad quasdam contumelias, *Athenis* in eum iactas, quod ad *Archelaum* esset profectus. *De eo, quod scribis* Athenis; *scias, velim,* inquit, *non magis me curare,* ὧν νῦν Ἀγάθων ἢ Μέσατος λέγει, *quod nunc dicat* Agatho *aut* Mesatus *quam quod ante sit nugatus* Aristophanes. Habemus hic poetam *Agathonem*, (sine dubio enim poetam intelligit, quoniam *Aristophani* eum iunxit) *Athenis* degentem, et calumniantem *Euripidis* cum *Archelao* conuictum. Numquid accidere infortunatius potuit *Sabirio* nostro *Polloni*, quam quod hominem hunc nominauit? Ipse enim hic *Agatho* tunc vna cum *Euripide* c) erat apud *Archelaum*: praeterquam, quod sem-

c) Aelian. II, 21. et XIII, 4. *Plut.* in Apoph. Schol. *Aristoph.* Βατράχ.

per familiarissime semet sunt vsi, non ibi solum, sed etiam ante, *Athenis*.

At forte alium *Agathanem* comicum *d*) fuisse, ad quem in Epistolis respiciatur, non illum celebrem *Agathonem* tragicum, suspiceris. Est haec, vt intelligo, opinio viri docti, supra memorati. Sed comicum hunc *Agathanem* ex albo hominum audacter delebo. Fungus enim tantum erat, vna nocte natus e loco corrupto *Suidae*; qui, postquam meminit *Agathonis* tragici, haec habet: Κωμῳδοποιός, Σωκράτους διδασκάλου· ἐκωμῳδεῖτο δὲ εἰς θηλύτητα; quod eius interpretes (*Wolfius* et *Portus*) sic reddunt: *Fuit et alius Agatha comaediarum scriptor.* Sed in *Graeca* exemplo nec *fuit*, nec *alius* est; sed idem hic, qui ante, intelligitur *Agatho*. Hoc discere e proximis verbis, ἐκωμῳδεῖτο δὲ εἰς θηλύτητα, *tanquam effeminatus traducebatur*, potuissent. Quo enim, nisi ad tragicum *Agathanem*, referri id potest; quem *Cinyrae* et *Sardanapala* iungit *e*) *Lucianus?* Legeris modo *Aristaphanis Thesmophoriazusas*: videbis, eum aliquot paginis istoc nomine rideri. Scholiasta ad Βατράχ. eiusdem poetae: Ἀγάθων, inquit, ἔτος τραγικὸς ποιητὴς ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο. Vides, disertis verbis hic dici, *f*) *Agathonem* tragicum, *vt effeminatum, esse traductum*. Sequitur statim apud eundem scholiastam: Οὗτος δὲ ὁ Ἀγάθων κωμῳδοποιός, τοῦ Σωκράτους διδασκάλου; vbi ipsa *Suidae* verba habemus de tragico: ἔτος, *hic ipse* Agatho *comicus fuit, praeceptare* Socrate: non *alius*, vt interpretes *Suidae* interpolarunt sententiam. An ergo delicatior noster *Agatha* etiam comoedias conscripsit? Minime vero; licet doctissimus *g*) *Gregarius Gyraldus*, hoc ipso loco motus, id affirmet. Oscitantis nostri scholiastae, eumque dein secuti *Suidae*, tantum error est: cum narratio non alio, nisi hoc, fundamento sit excitata. Erat in aedibus huius *Agathanis Platonis* conuiuium, in cuius fine *h*) inducitur *Socrates*, probans *Agathoni et Aristophani; Earundem esse partium, vtrumque, et tragaedias, et camaedias, scribere; eumque, qui bonus tragicus esset, esse etiam comicum.* Hinc lepidam historiam grammatici nostri conflarunt; esse *Agathonem* comicum, discipulum *Socratis*. Manifesto ergo, vt puto, probaui, quod volui; et id quidem in summum dedecus laudatarum nostrarum Epistolarum.

d) Vit *Eurip*. p. 29. ed *Cantabr*.

e) Πάναβρόν τινα Σαρδανάπαλον, ἢ Κινύραν, ἢ αὐτὸν Ἀγάθωνα τὸν τῆς τραγῳδίας ἐπέραστον ποιητήν. Rhet. Praec,

f) pag. 133.

g) Dialog. de Poet.

h) p. 336 τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα, καὶ κωμῳδοποιὸν εἶναι.

III.

Meſatus *tragicus*, *vere-ne exſtiterit*, *etc.*

Ne teruncii quidem *Euripidem* feciſſe, vidimus, *quod aut* Agatho *aut* Meſatus *i*) *de ſe diceret*. Vtinam vero familiarius ego noſſem hunc ipſum *Meſatum*; nusquam enim, niſi in hac epiſtola eum offendi. Vnum quoque de ſcena eſſe, ex ſocio et iuncto colligas. Quid vero? adeone exſibilatus exploſusque fuit, vt dein nunquam prodire ſit auſus? Opinor, ex eadem familia eum eſſe cum duobus fictis *Phalaridis l*) tragicis, *Ariſtolocho*, et *Lyſino;* atque his epiſtolis cum illis tyranni quoque quandam eſſe cognationem. At, vitio ſcriptum *Meſatum* in exemplaribus eſſe, forte inquies. Sit ita: ac poſſum alium iſtius temporis tragicum, non plane diſſimilem, tibi ſiſtere; *Melitum* quendam, eundem, a quo dein accuſatus *Socrates;* qui *Euripidem*, philoſophi amicum, odiſſe non immerito videri poſſet. Aut al'a etiam quaeri medicina poſſet; ſed eam circumſpiciant, qui Epiſtolas veras eſſe credunt, aut cura dignas.

Idem ille doctiſſimus defenſor Epiſtolarum, ſingularis vir induſtriae, diffuſaeque eruditionis, quaedam Epiſtolis oppoſuit, quae ſecum communicaſſet ὁ δεῖνα. Is rogatus ab editore, pauciſſimis literis ſententiam ſuam ei impertierat; cui ille non reſpondit: donec eam praeter opinionem typis deſcriptam *m*) videbat; ſuaque argumenta profligata, de iisque quaſi triumphatum. Sed videamus, poſſintne denuo colligi, et ſecundo certamine locum tueri ſuum.

IV.

Cephiſophon *actor fabularum* Euripidis, *etc.*

Sabirius noſter *Pollo*, quo opus vniuerſum dignum ſe faceret, hanc ipſam epiſtolam ad *Cephiſophontem* dedit, actorem tragoediarum *Euripidis*. Saepius enim nomen *Cephiſophontis* audiuerat, nolebatque, nullas eius eſſe in his Epiſtolis partes. Obſeruaſſet vero paulo melius tempora et hiſtoriam, ſi, cuius perſonam ageret, auctor ipſe haberi vellet. Conſtat, *Cephiſophontem* cum noſtro poeta aliquando familiariſſime vixiſſe: ſed mala quadam fortuna accidit, vt amicitia diſrumperetur. Deprehendit enim eum, non in ſcena agentem, ſed clam cum vxore ſua, *Euripides*. Cuius rei fama cum foras exiret, et iocandi materiam daret vberrimam, praecipua cauſa fuit, cur is,

i) ἢ Μέσατος.

l) Epiſt. LXIII. (XIIX.) et XCVII. (XCIII.) ib. Angl. *Fairy Tragoedians*.

m) *Eurip.* edit. Cant. p. 27. et 523.

Athenis relictis, in *Macedoniam* se conferret. Num ergo credibile est, poetam nostrum literas ad illum daturum fuisse, quam primum eo venisset; et, vt intimo, propriis liberis cariore etiam, eo vsurum? Noui, qui adeo etiam obsequantur nostris Epistolis, vt *hoc omne nihil faciant*. Adeo in suis scriptis hoc delectantur *Cephisophonte*; vt, quidquid in eum dictum sit vnquam, non possit non esse calumnia. Da mihi patronum, qui causam mordicus teneat. Cum sit Epistolarum editor, iis addictus est; nec vnquam deserere clientem debet. Quid autem? nullumne testimonium de *Cephisophonte*, cuius agnoscatur fides? Nonne *Aristophanes n*) eiusque scholiasta, *Suidas*, et *o*) *Thomas Magister*, omnes testes idonei et fide digni? Num vel vnicum testimonium, quod iis opponatur? Ne vllus quidem scriptor nunc exstat, qui ipsum nominet, si excipis illos, qui factum eius narrant, quibus nisi credendum est, nouis testimoniis indigebimus ad probandum, exstitisse vnquam talem hominem.

V.

Argentum, ab Archelao *oblatum, non accipit* Euripides. *decorum non obseruant sophistae, etc.*

In huius generis disquisitione temporum et locorum dissensio argumentum habet, quod possit vnusquisque sentire. Omnes clamabunt *Phalarin* et rel. esse commenticios, vbi in temporibus talem discrepantiam animaduerterint. Confitendum tamen est, tales eos habiturum me fuisse; etiamsi scriptores istius generis errores omnes cauissent. Nam vt vulgo pusilli ingenii erant, qui talia comminiscebantur, laborem tam ignobilem contemnente magno viro; ita opera sua paria faciebant, et semet ipsos, quam quorum agebant personas, magis exprimebant. Neque enim nouerant, quemadmodum seruarent illud, quod deceret personas tam a se differentes: sicut stultus histrio, qui ludere *Herculem* volebat; corpore quidem procerus, sed gracilis, ac iunceus plane. Videamus, quemadmodum partes suas egerit hic auctor. Epistola prima, argenti aliquid *Euripidi* mittit *Archelaus*; idque, quasi paupertatem, monastici voti sponsione obligatus, profiteatur, poeta noster plane recusat. Et cur, amabo, recusat? Cur? *Nimia erat summa, quam pro eius conditione.* Imo vero, sophista cum gratificatur, maxima summa pluris non constat, quam minima. *At difficulter custoditu erat, poteratque fieri, vt fures in id prurirent.* Hei misero illi! vnius sacculi, de multis, ar-

n) p. 167, 184.

o) Vit. Eurip.

genti dispendio thecam nummariam bene munitam emere, et nouis foribus serisque potuisset aedes instruere. Cur vero ne aliquantulum eius accepit? Ipse *p*) *Socrates* et *Xenocrates*, parte aliqua donorum accepta, quod reliquum erat, reddebant. Num autem poetae minor cupiditas, quam omnium philosophorum abstinentissimi? Sed omnium lepidissimum est, *quod* Clito *primus minister regis, ni acciperet, aegre se laturum minatus est.* Quid, num praesagire *Clito* poterat, donum recusatum iri? Sagacissimum, hercle, consiliarium, qui vnquam regi obtigerit. *Alexander* nihil tale poterat praeuidere; sed vehementer mirabatur, cum pecuniam, a se missam, accipere *Xenocrates* nollet *q*). „Quid, inquit, nonne, quibus daret, „amici *Xenocrati* erant, si minus ipse opus haberet"? Quod ad poetam nostrum attinet; crede mihi, erant ei amici; sed omnes sui generis, *rebus suis contenti, qui ne teruncium quidem acciperent, τὸ αὐταρκὲς ἡμῖν τε καὶ τοῖς φίλοις παρόν.* Felix, cui tales amici obtingant! Attamen, nescio quo fato, epistola quinta, cupiditates rursus eorum animos occupant. Ibi enim ipse *Euripides* dona quaedam *Archelai* inter eos distribuit; nec verbum, nisi, omnia esse in bonam partem accepta.

VI.

Euripides *apud* Archelaum *pro duobus* Pellaeis *intercedit, ect.*

Reliqua huius epistolae parte petit, vt venia detur *r*) *duobus filiis* senis cuiusdam *Pellaei*, qui vinculis dignum quid commiserant. Atque epistola tertia et quarta loci communes sunt gratiarum actionis pro illa concessa. Iam vero, praeterquam quod tota res formam et speciem ingenii sophistici habet; est enim ipse hic locus in *Phalaridis* Epistolis etiam amplissimus: hominis non sani est, petere alicui, non addito eius nomine; quasi *Pellae* in vrbe regia vnus tantum senex esset. Qui potest esse vera talis petitio? Sed ad hoc ambigue respondent: *Sophistam, si modo is fuerit hic, non potuisse indigere nomine: facile aliquod potuisse hic ponere; vt postea* Amphian, Lapretem, *alios, nominet.* Sed non quaeritur, qui *potuerit*, sed quid *fecerit*. *Potuisset* alium poetam, *Athenis*, nominare, non vero *Agathonem*, qui tunc in *Macedonia* erat. *Potuissent* isti errores omnes in *Phalaride*, et reliquis, evitari facile, si historiae peritiores scriptores fuissent, prudentioresque. *At scripserat, ante hanc, epistolam de eadem re s*); *atque, ibi nominasse hominem,*

p) *Laertius* in Socrat. et Xenocrat.

q) *Plut.* Apoph.

r) Πελλαῖος γέρων.

s) Πρότερον ἐπεστείλαμέν σοι.

existimandus est. Hoc, fateor, aliquid esset, si posset stare. Sed sophistae, sic scribenti, temere credere noli. Oportet enim, data sit ista epistola ad *Archelaum* ante, quam donum hoc amplissimum ab eo mitteretur. Cur igitur, qui argentum pertulit, idem non nunciauit, esse, quod peteret, concessum. Num, qui tam honorifice, tam liberaliter eum tractabat, rex eodem tempore rem tam paruam, tamque iustam ei denegaret? Neque enim odiosum admodum crimen esse istorum captiuorum potuit. Si consilium interficiendi regis fuisset, nunquam intercessisset pro iis. Crimen erat venia dignum: aut, si grauissima etiam fuisset accusatio, potuissent saltem innocentia sua se defendere: ait enim ipse noster poeta; *Neminem t) ab iis laesum.*

VII.

Sophocles *in insula* Chio, *etc.*

Epistola secunda ad *Sophoclem* est, qua is inducitur, vt qui naufragium fecit ad insulam *Chion*; naui, bonisque amissis, conseruatis vero hominibus omnibus. Fuisse *Sophoclem* in insula *Chio*, ex v) *Ione Chio*, tragico, nouimus? qui colloquii longi, ibi ab eo habiti, meminit. Si ad idem iter respicit noster auctor, vt verisimile est; fraudis conuictus est. Tunc enim, cum *Pericle*; bello *Samio* classi praeerat *Sophocles*; et *Chion*, atque inde *Lesbon*, auxiliandi causa petebat x). Nusquam vetero publici eius muneris mentionem facit ridiculus noster *Euripides*; sed monet, vt quam commodissime domum reuertatur, quasi iter fuerit oblectamenti causa susceptum. *Imo vero*, inquit eius patronus, *cur non alio tempore in insula* Chio *esse potuit, rei privatae causa, licet nemo eius meminerit?* Imo vero, cur non? Tam enim y) humanus, tam erat facilis *Sophocles*, vt, quo nostro epistolarum mangoni obsequeretur, singulas maris *Aegaei* insulas obiuisset. Grauissimum tamen est, nauim debuisse amitti, ac poetam nostrum, quo minuto sophistae gratificaretur, aquis mergi. Vereor enim, ne nauis amissa sit solum, vt posset commemorari z) *iactura fabularum* Sophoclis. Eheu! Nonne is nauigare sine fabulis suis poterat? Ac de omnibus *Euripides* earum iacturam deplorare debebat; cuius proprias fabulas proximo festo *Bacchi* iis cessuras fuisse, probabile erat? Num *Euripides*, eius aemulus, eius aduersarius, certiorem eum facere debebat a); *Res eius domesticas bene curatas esse*, quasi esset apud eum functus munere dispensatoris?

t) Οὐδὲν ἀδικεῖν ἐοίκασιν.
v) *Athenaeus* XIII. 603.
x) ibid. et *Thucyd.* I. 75.
y *Ion. Chius*, ib. *Aristoph* Ranis.
z) Ἡ περὶ τὰ δράματα συμφορά.
a) Τὰ οἴκοι ἐστὶ κατὰ νοῦν ὄντα.

VIII.

Mors Euripidis. *locus in eius. Epistolis explicatur. eius patrimonium, etc.*

Epistola quinta pluribus defendit iter suum in *Macedoniam.* „Num credibile est, inquit, me huc venisse amore pecuniae? „Venissem tum, cum adhuc essem iuuenis; non vero nunc, „vt ossa mea *b*) terrae barbarae mandem, et mea morte *Ar-* „*chelaum* ditiorem faciam". Non obscurum indicium sophistae habebam, quod auctor narrat, moriendum sibi in *Macedonia* esse; vbi a canibus eum discerptum, constat. *Sed quid mirum*, inquiunt, *senem septuagenarium praedicere suam mortem?* Non dubito, quin poeta noster potuerit mortalem semet praesagire. Sed adsurda coniectura erat de tempore et loco, quando, et vbi, moriturus esse. Quid enim erat, ex quo tam certo scire id posset? Datam videmus epistolam statim post aduentum eius in aulam. Nondum satis expertus fuerat, omniane ex voto essent in posterum cessura. Neque causa est, cur statuamus, illuc profectum, vt semper ibi maneret, nec vnquam reuiseret *Athenas.* Nonne fieri poterat, vt, casu quodam, aut aemuli alicuius obtrectatione, inuisus fieret regi? Aut, tam diu eum, quam semet ipsum, victurum, certo cognouerat? Mors violenta fuit, non vero senectus et infirmitas, qua poeta noster tandem abripiebatur: ac nouerat is, *Sophoclem* etiam tum viuere et valere, ac fabulas conscribere, qui quatuordecim annis, quam ipse, maior erat. Rebus his ita comparatis, tam certa mortis suae, ibi futurae, praedictio vatis non minus audacis, quam ipsius *Pythiae*, erat. *Sed*, inquiunt, *significat quoque, posse fieri, vt* Archelaus *regno pelleretur: quod non diceret sophista, quoniam nunquam vsu venit.* Verum id erat, et quotidie vsu veniebat, vt *posset* regno pelli: nec suggerit, re vera ita futurum esse; nam disertis verbis ait *c*); *Deum semper adfore regi, eumque protecturum.* Sed, vt illi locum ibi interpretantur, videtur, quasi verum malum praedixisset: Οὐδὲ ἀντάσῃ, ὅτι οἴχεται ὁ καιρὸς εἰς ἀνθρώπων εὐεργεσίαν ἀνεθεὶς Φροῦδος ἤδη· cuius postremam partem reddunt; *vbi iam destitutus fueris et abdicatus.* Sed bona cum venia aliter mihi vertere liceat. Nam ἀνεθεὶς et Φροῦδος ad nomen καιρὸς pertinent, non ad *Archelaum*: atque ita distinguendum: Ὅτι οἴχεται ὁ καιρὸς, εἰς ἀνθρώπων εὐεργεσίαν ἀνεθεὶς, Φροῦδος ἤδη· *Non aegre tuleris, tempus, ad ex-*

b) Ἵνα ἐν βαρβάρῳ γῇ ἀποθάνωμεν.

c) Παρέσται μὲν ἀεὶ ὁ Θεὸς, καὶ στήσεται κατένπιν.

ercendam benignitatem concessum a deo, praeteriisse, nec posse reuocari. Hoc puto, perspicuum satis; nec metuendum, ne hac sententia regno expellatur *Archelaus.* Sed proxima auctoris nostri verba videamus *d*): *Vt mea morte* Archelaum *ditiorem faciam.* Egregia, hercle, sententia, et *Euripide* digna. Quid vero erat, amabo; quod ex morte eius lucrari rex posset? Vtrum poeta fuit coactus, vt eum heredem instituerct; quemadmodum nonnulli coacti a *Romanis* imperatoribus? An fundum ipsius occupare, et legitimos heredes defraudare rex voluit? Quod si poeta tale quid fuisset suspicatus, nunquam eum adiisset. Sed etiam omnia qost mortem reliqerit ei; num hoc ditior factus rex fuisset? Neque enim probabile est, *Euripidem*, qui res suas domi haberet, multum aeris secum in *Macedoniam* attulisse, nisi, soluendum *Archelao* pro mensa, putasset. Merito exspectare poterat, se a rege sustentatum iri; vt *e*) exitus docuit. Quocirca rex, si solus eius heres esset, tantum, quod ante dedisset ipse, recepisset. Imo magna pars eius nequidem recuperari potuisset. Quam primum enim potuit poeta, plus de donis *Archelai Athenas* asportandum curavit, quam illud omne, quod secum attulerat, aestimari poterat; imo, quam omnia eius bona antea fortasse censebantur.

IX.

Dona Archelai *spreta ab* Euripide. *error temporis notatus in Epist.* Eurip. *etc.*

Sed plura etiam habebat, illis dicenda, qui eum *Athenis* profectum calumniarentur. „Quod si, inquit, divitiae, in „*Macedoniam* pellicere me potuissent: cur spreuissem *has f*) „*ipsas diuitias;* cum essem *g*) *iuuenis* adhuc, aut *media aetate:* „cumque mater mea viueret; cuius vnius causa, si modo vn„quam, diuitias expetiuissem"? Respicit ad primam epistolam, (et forte alias nunc amissas), vbi ingentem pecuniae summam, missam ab *Archelao*, recusat. Hei misero sophistae! male cessit, quod nihil de pecunia sumsit, quo defensores suos laute remuneraret: nam rudior haec agendi ratio est. Quomodo enim potuit poeta, cum esset iuuenis, aut media aetate, recusare dona *Archelai?* quum, vt *h*) plerique auctores sunt, fere septuagenarius, aut saltem sexagenario maior esset, quando regnare coeperit *Archelaus.*

d) Ἵνα πλείονα Ἀχελάῳ καταλίποιμεν χρήματα

e) Ep. v.

f) Τὸν αὐτὸν τοῦτον πλοῦτον.

g) Νέοι τε καὶ μέσοι τὴν ἡλικίαν.

h) *Diod. Sicul.* et alii apud *Athen.* I. v. p. 217.

X.

Euripidis *mater* Clito. *tres filii ei superstites*, *etc.*

Quam vero pius filius matri *Clito*, olitrici, erat! *Eius vnius causa diuitias experiri vellet filius* Euripides; vt oleum posset, quo lactucam suam vngeret, emere. Sed quid bonus senex, eius pater, commiserat, vt nihil eius causa optaret? quid *i*) tres eius filii, vt in optatis nulla eorum haberetur ratio? Prudenter scilicet institutum hic a sophista. Legerat quaedam de matre poetae nostri; nam in veteri comoedia lactuca sua et brassica celebris erat; sed, cum de filiis eius nunquam aliquid audiuisset, quasi nullos haberet, vbique in suis Epistolis eum exhibuit. Vt hic, cur diuitias expetat, vnica causa *vetula* est: qua mortua, omne suum studium in amicos convertit. Epistola prima *l*) ipse, eiusque amici adeo sunt contenti rebus suis, vt donum regale recusent. Ne verbum de tribus puerulis; quorum tantam abstinentiam fuisse, credibile non est. Epistola quinta, nihil de donis regiis sibi seruat, sed omnia *Athenas* mittit, vt *m*) inter amicos et familiares suos distribuantur. Quid putes animi fuisse adolescentulis, cum ita se neglectos a patre suo viderent? Quod si suspiceris, Epistolarum causa, ante fato fuisse functos liberos; testimonium, quod subiungam, in promtu est *Aristophanis;* qui in fabula, quam eodem, quo poeta noster mortuus, anno *n*) fecit, filiorum, vt etiam tum viuentium, meminit.

XI.

Archelai, *aliorumque liberalitas.* Apollonides Nicenus, *emendatur auctor Vit.* Arati.

Iactent, quantum velint, suum *Maecenatem*, aliosque *Romani*, vnus ante alios omnes liberalitatis nomine erga viros literatos commendandus mihi erit *Archelaus Macedo.* Intra biduum aut triduum post *Euripidis* aduentum *o*), quadraginta talenta dono ei dedit. Quae summa argenti maior, quam vnquam ante corradere poeta noster potuerat, licet totum patrimonium quadruplo tanto vendidisset. Magnus ille *p*) *Themistocles* tria vix talenta possidebat ante, quam accedebat ad rempublicam: ac duo talenta *q*) dos habebatur satis ampla homi-

i) *Suidas*, *Thom Mag.* etc.
l) Ἡμῖν τε καὶ τοῖς φίλοις.
m) Τοῖς ἑταίροις καὶ ἐπιτηδείοις.
n) Βατράχ. p. 184. edit. *Basil.*
o) Ep. v.
p) *Plut.* Themist.
q) *Terent.* Heaut.

nis diuitis filiae. *Alexander Magnus*, cum totius terrarum orbis dominus esset, donum misit *Xenocrati* philosopho triginta talentum, vel, vt alii tradunt, quinquaginta; quam r) *Cicero pecuniam temporibus illis praesertim maximam* vocat. Stimulabatur vero ad istam tam admirabilem liberalitatem munificus *Alexandri* animus s), odio in *Aristotelem*. Quam igitur munificus, imo vero, quam profusus *Archelaus*; qui de exiguo et paupere reditu tantum dare, quantum poterat magnus eius successor in mediis thesauris *Persicis?* Sed hoc omne in fumum abibit; vbi cogitaueris, esse donum sophistae; qui etsi in verbis liberalis, reapse tamen soluit nunquam.

Iam vero exigui momenti quaestio, opinor, erit, vtrum *Sabirius Polla*, vt *Apollonides* ait, an alius quidam sophista auctor Epistolarum sit habendus. Vtrisque igitur, et his, et illi, vale dicam; postquam idem, quod *Sabirio*, officium *Apollonidae* fecero. Nam, vt nomen vnius lego, Σαβίδιος Πολλίων loco Σαβίριος Πόλλων: ita pro Ἀπολλωνίδης ὁ Κηφεύς, substituere non dubito, Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεύς. Illius nusquam, nisi hic, facta mentio; huius meminere *Laertius*, *Harpocration*, alii. Scripsit is libros varios, quorum vnum *Tiberio* t) dedicauit. Tempus igitur respondet huic emendationi: cum enim sub isto imperatore floreret, citare scriptorem *Romanum*, *Sabidium Pollionem*, potuit. Sed vt omnes eximam scrupulos; hic ipse liber *de Falsa Historia* ab *Ammonio* v) attribuitur *Apollonidae Niceno*: Ἀπολλωνίδης, inquit, ὁ Νικαεὺς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Κατεψευσμένων· plane, vt scriptor Vitae *Arati*: Ἀπολλωνίδης ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ περὶ Κατεψευσμένης Ἱστορίας.

r) Tuscul. v.
s) Laert. in Arist.
t) *Laertius* in Timone.
v) De Diff. Vocab. v. Κατεΐχνεῖν.

DISSERTATIO
DE
FABVLIS AESOPI.

Facile esset, ostendere multo plura huius generis scripta commenticia esse; Epistolas *Anacharsidis*, *Heracliti*, *Democriti*, *Hippocratis*, *Diogenis*, *Cratetis*, aliorum. Sed erunt fortasse, qui me aliquando *hortentur* ad hanc Dissertationem, amplo auctam commentario, *Latine* reddendam. Quamdiu, plura differere de variis istis auctoribus, differam; nunc ad id, quod postremo loco proposui, *Fabulas Aesopi*, accedam.

Ac laetor quidem, magnam partem operis iam esse confectam. Vir enim doctissimus, *Bacher S. de Meziriac*, *Vitam Aesopi Gallice* scripsit: in quem librum etsi nunquam incidi; tamen ex magna eruditione auctoris, reliquis eius scriptis spectata mihi et cognita, coniicere licet, locum hunc quadam ratione exhaustum esse. *Vauassor* quoque, *de Ludrica Dictione*, Fabulas, quae nunc sunt, non ipsi *Aesopo*, sed *Maximo Planudae* attribuit. Vide etiam non pauca hac de re disputata in doctissimi *Bailei Diction. Histor.* Quibus omnibus fit, vt laudes amplissimas, quibus *Aesopeas Fabulas*, vt nunc exstent, extulerit *Guilielmus Temple*, vnde haec tota disputatio oritur, tanquam παράδοξον intuear, ab omni ratione alienum; nec dignum magno auctore, nec reliquae parti praeclari eius operis par et simile. Nam, nisi vehementer fallor, efficiam profecto, vt, de omnibus *Fabulis Aesopeis*, quas nunc habeamus, et postremas, et pessimas esse, appareat; Nec tamen, ex instituto ea de re differere, in animo habeo; sed tantum pauca quaedam, ab aliis praetermissa fortassis, perstringere.

I.

Num scripserit suas fabulas Aesopus. Suidae *et aliorum error. scholiastae* Aristoph. *error.* Aesopus *fabularum actor.* Γελοῖα, Aesopi *Fabulae.*

Ipsene *Aesopus Fabulas* aliquas, literis consignatas, reliquerit, res valde incerta est: apud *Aristophanem* Fabulas eius in conuiuio, non e libro, dilcit a), senex:

Αἰσωπικὸν γελοῖον ἢ Συβαριτικὸν
Ὧν ἔμαθες ἐν τῷ συμποσίῳ —

Est apud eundem b) alius locus:

— — κὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας·

a) in Vespis p 357. b) In Auib. p. 287.

quod in prouerbio fuisse, *Suidas c*), et, eum secuti, *Erasmus*, *Scaliger*, alii, tradunt: *Ne quidem* Aesopum *legisti* (cum sermo fiat de illiteratis). Vnde colligas, *Aesopum* fabulas suas literis consignasse ipsum, easque in omnium manibus fuisse. Sed ipsa verba poetae declarant, non esse prouerbium. Nam alteri neganti; *Unquam ante se audiuisse; aues terra antiquiores esse*; alter respondet: *Indoctum cum esse, nec* Aesopum *frequentasse*; dicentem: „*Alaudam* rerum omnium primam fuisse; „eamque mortuum patrem suum, postquam quinque dies in- „sepultus iacuisset, quod nondum terra esset, tandem in suo „capite sepeliuisse“. Quid, amabo, ibi prouerbii simile? Sed obserues, velim, hanc fabulam non esse in nostra συναγωγῇ; manifesto indicio, esse nostras non ipsius *Phrygis* opus.

Dabo alium poetae locum: vt possim, hac occasione, gravem errorem scholiastae corrigere. Est ille in *Vespis*, p. 330.

Οἱ δὲ λέγουσι μύθους ἡμῖν, οἱ δ' Αἰσώπου τι γελοῖον·

vbi Αἰσώπου γελοῖον de *Aesopo* quodam, *ridiculo tragoediarum actore*, dictum accepit. Sed magis etiam ridiculus scholiasta noster, si modo is ipse fuerit, qui hoc scriberet, ac non potius nugator aliquis, qui eo scholia interpolaret. Nullus enim tempore *Aristophanis* in *Graecia* actor fabularum, *Aesopus*: confudit eum cum celebri *Aesopo*, qui tempore *Ciceronis* floruit, tragoediae *Romanae* actore; eoque minime ridiculo:

Quae grauis Aesopus, *quae doctus* Roscius, *egit*.

Sed *Aesopus*, ad quem respicit noster comicus, ipse *Phryx* est, cuius fabulae *Ridicula*, Γελοῖα, vocabantur: sic, in loco iam citato, Αἰσωπικὸν γελοῖον. *Hesychius*; Αἰσώπου γελοῖα· οὕτως ἔλεγον τοὺς Αἰσώπου μύθους· De nostro *Aesopo*, *Dio d*) *Chrysostomus*; Ἠνείχοντο αὐτὸν, inquit, ἡδόμενοι ἐπὶ τῷ γελοίῳ καὶ τοῖς μύθοις. *Auienus* Praefat. Aesopus, *responso* Delphici Apollinis *monitus*, RIDICVLA *orsus est*.

II.

Fabulas Aesopeas *versibus scripsit primus* Socrates, *etc.*

Primus omnium, quantum scimus, qui *Fabulas Aesopeas* versibus comprehendere conatus est, *Socrates e*) philosophus fuit. Vnica tantum fuisse fabula defunctum eum, singnificare *Laertius* videtur; et id quidem, exitu non valde felici: eius principium hoc erat:

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι,
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Obseruandum rursus, non dicere *Socratem*, *Libro* se vsum *Fabularum*: sed, *Scribebam*, inquit, ὧν ἠπιστάμην, *quas noue-*

c) Voc. Πατῆσαι.
d) Orat. LXXII. p. 631.
e) *Plat.* in Phaedone, *Plutarch.* de Aud. Poet. *Laert.* in Socrat.

ram, *et quarum primum poteram recordari.* Neque etiam haec fabula in nostris est; si tantum ex eo conficere nobis liceat, quod *Coriurbios* nominat.

III.

Demetrii Phalerei *Λόγων Αἰσωπείων Συναγωγαὶ*, *etc.*

Post *Socratem f)*, *Demetrius Phalereus* fecit Λόγων Αἰσωπείων Συναγωγάς· quae forte in suo genere primae fuerunt, quae scripto mandarentur, in forma libri nempe. Videntur hae sermone soluto conscriptae: ac fortassis erunt, qui putent, esse illas ipsas, quae nunc exstent. Vtinam essent: tum enim bene fuissent conscriptae, cum venustate et sale. Sed demonstrabo, nostras esse manus recentissimae; ac totus habitus et quasi color earum, non esse *Demetrii*, declarat.

IV.

Fabularum Aesopearum, *elegis scriptarum*, *meminit* Suidas. *earum fragmenta quaedam*, *etc.*

Fuit postea, cuius nomen nunc latet, qui elegis *Fabulas* ederet; quarum qui meminerit, praeter *Suidam*, inuenio neminem: Atque is sub nomine Μύθων, aut Μυθικῶν saepius illas citat. Apponam pauca fragmenta; vt et pateat, pertinere eas ad *Fabulas Aesopeas* quod nondum, quantum scio, obseruatum, et iudices, num, si fieri posset, vt nostras cum illis commutaremus, istoc pacto non lucraremur.

g) Τἄνεκα τὴν ἰδίην ἄτις ὄπωπε δύην·

pertinet ad fabulam de duobus saccis, quos quisque portet; alterum ante, in quo aliorum, alterum post tergum, in quo sua vitia condat. Meminere eius *Catullus*, *Horatius*, *Phaedrus*, *Galenus*, *Themistius*, *Stobaeus*, etc. eiusque defectus nostris vitio est.

h) Αἰπειναῖς ἐλάταις ἔρισεν βάτος· ἡ μὲν ἔειπε
Καὶ ναῦς καὶ νηὸς *i)* τεμνομένη τελέειν·

et, Αἰπεινὴν ἐλάτην ἔρις ὤρορεν αἴσυλα φάσθαι·

et, *l)* Οὐδὲ οἱ ἑδ' αἴθων ἅδε πάρδαλις, ἕνεκα θυμῷ
Ἐμπλείη — —

et, *m)* Πικρὴ μέν τε λύκοισιν, ἀτὰρ χιμάροισιν ἀκηδής.

Sunt, quae versibus hexametris conscriptae videantur:

— *n)* Ὅθι στυφελῶν ἐπὶ πετρῶν
Ὀστρακόεντά τε νῶτα καὶ ἀγκύλα γυῖα κεάσθη.

Facile inuentu est, ad quas fabulas haec fragmenta pertineant; et, nisi fallor, omnes in nostra συναγωγῇ exstant.

f) *Laertius* in Demetr.
g) *Suidas* in Δύη.
h) Id in Αἰπεινή.
i) Vulgo, τεμνομένην.
l) Idem in Ἄδεν.
m) Id. Ἀκηδής.
n) Id. Στυφ. et schol. *Aristoph.* p. 220.

V.

Babrius Aesopeas Fabulas *choliambis scripsit. eo deterior longe* Gabrias, Aesopearum Fab. *scriptor*, *etc.*

Fuit hic, vt exempla docent, auctor non contemnendus: ac post eum *Babrius* quidam o) fuit, qui in nouam formam choliamborum Fabulas redigeret. Si *Suidam*, *Auienum* et *Io. Tzetzen* excipias, qui eius meminerit, noui neminem. Superest quidem *Gabrias* quidam, qui singulas fabulas quatuor prauis versibus iambicis comprehendit: sed nostri *Babrii* longe alia ratio est; cuius liber si nunc exstaret, merito opponi *Latino Phaedro*, si non praeferri, posset. Conseruata integra eius fabula est ad finem illarum *Gabriae*, de *Hirundine et Luscinia*. Citantur quaedam eius a *Suida*; quae omnia, poetam egregium fuisse, docent; vt haec, de *Aegroto Leone*:

— — p) Οἷά τις νούσῳ
Κάμνων ἐβέβλητ᾽, οὐκ ἀληθὲς ἀσθμαίνων·

et, de *Sue*:

Φρίξας δὲ χαίτην q) ἔνθορε Φωλάδος κοίλης·

et aliae complures.

VI.

Aesopeae Fabulae *hodie exstant duplicis generis*; *neutrum* Aesopi *opus*, *etc.*

Vt scriptores *Aesopearum Fabularum Latinos*; *Phaedrum*, r) *Iulium Titianum*, et *Auienum* praetermittam, quorum duo priores iambicis scripserunt versibus, tertius elegis: diligentius in *Graecas* istas fabulas, quae nunc exstent, ipsius *Aesopi* inscriptas nomine, inquiram. sunt eae duorum generum; et quidem aliae, antiquiores, numero CXXXVI. in lucem primum prodierunt e bibliotheca *Heidelbergensi*, cura *Neueleti*, A. D. CIↃIↃCX. Eas male *Aesopo* attribui, recte obseruat ipse editor, quod SS. monachorum s) ibi mentio fiat. Addo; Esse ibi dictum e libro *Iobi*: t) Γυμνοὶ γὰρ ἤλθομεν οἱ πάντες, γυμνοὶ σὺν ἀπελευσόμεθα: *Nudi venimus omnes, ac nudi abibimus.* Quoniam vero duo haec loca in ἐπιμυθίῳ sunt, nec ad ipsam pertinent fabulam: merito suspiceris, esse tantum iis interpolatum verum librum. Quocirca alias, easque meliores rationes in medium proferam, quibus probem, esse opus recentissimum. Atqui *Aesopi* ipsius esse non posse, demonstrat fabula CLXXI. Est enim narratio *Demadis* rhetoris; qui amplius ducentis annis post tempora *Phrygis* nostri floruit. Fabula

o) *Suid.* in Βάβριος.
p) *Suid.* in Ἀσθμ.
q) *Suid.* in Ἔνθορε.
r) *Ausonius* Ep. XVI.
s) Φιλερήμοις κατὰ Θεὸν Μοναχοῖς, fab. 152.
t) Vid. fab. 228. *Iob.* 1, 21.

CXCIII. de *Momo* agit, deorum opera reprehendente. Notatur ibi in tauro hoc vitium: *Non esse oculos eius in cornibus positos, quo possit videre, quod feriat. Lucianus v)* eandem fabulam commemorans, sic habet: *Cornua non ante oculos eius esse posita: x) Aristoteles* tandem sic: *Cornua non esse posita prope humeros eius, quo validissime posset ferire; sed in capite, parte tenerrima.* Praeterea in homine reprehendit *Momus: Eius φρένας non esse in exteriori parte corporis, vt possint conspici eius cogitationes:* apud *Lucianum y)* vero: *Non esse ei fenestram in pectore.* Quibus probabile videtur, non scripsisse *Aesopum* librum Fabularum suarum: neque enim tum tam diuersimode rem narrassent Aut saltem, si, quas nunc habemus, *Aesopi* sunt, ex hoc exemplo coniecturam facerem, *Lucianum* suo ipsummet ludo vicisse.

VII.

Babrii *varia fragmenta* Fabulis Aesopeis, *quae nunc exstant, mista, etc.*

Esse autem eas *Babrio*, qui ipse vnus de postremis bonae notae scriptoribus, recentiores etiam, hac via deprehendi. Varia in iis obseruabam loca, quae non eiusdem cum reliquis essent generis; sed formam quandam haberent, et quasi speciem poeseos: vt fab. CCLXIII. cuius principium: Ὄνος πατήσας σκόλοπα χωλὸς ἑστήκει. Videbam, esse choliambum; ac statim suspicabar, depromptum a scriptore ex illis *Babr*. Nec fefellisse opinionem, hoc eius *z)* fragmentum, ad eandem fabulam pertinens, docuit:

Ὁ δ' ἐκλυθεὶς πόνων τε κἀνίας πάσης,
Τὸν κυνηκίαν χάσκοντα λακτίσας φεύγει.

Sunt enim in fabula, soluto sermone scripta, haec verba: Ὁ ὄνος δὲ ΛΥΘΕΙΣ ΤΟΥ ΠΟΝΟΥ, ἐπὶ τὸν λύκον ΧΑΣΚΟΝΤΑ ΛΑΚΤΙΣΑΣ ΦΕΥΓΕΙ· Ex quo intelligas, auctorem istius συναγωγῆς, quam edidit *Neueletus*, nihil egisse aliud, quam ex illis *Babrii* excerptas fabulas in sermonem solutum conuertisse. Dabo plura exempla. Fabulae CCLXI. principium est: Ὄνῳ τις ἐπιθεὶς ξόανον ἦγε; quod scazontis partem esse statim animaduertas; atque ita in *a)* fragmento *Babrii* est:

Ὄνῳ τις ἐπιθεὶς ξόανον εἶχε κωμήτης·

Fab CLXVI. de *Vulpe* cum *stupa:* Ταύτην δὲ δαίμων εἰς τὰς ἀρούρας τοῦ βαλόντος ὡδήγει. Quis scazontem hic non agnoscit *Babrii?*

Εἰς τὰς ἀρούρας τοῦ βαλόντος ὡδήγει.

Fab CCXLIII. e choliambis in sermonem solutum conuersam,

v) In Nigrin.
x) De Part. Anim. l. III, p. 54.
y) In Hermotimo.
z) *Suid.* in Κυνηκίας.
a) *Suid.* in Κωμῆται.

manifesto patet; nam tota conflata est vel ex partibus, vel integris versibus:

— — ἡλίε πλέον λάμπει·

et, Ἀνέμε δὲ συῤῥεύσαντος, εὐθὺς ἐσβέσθη·

et, Ἐκ δευτέρε δ' ἅπτων τις — —

et, — — Φαῖνε λύχνε καὶ σίγα,

Τῶν ἀςέρων τὸ Φέγγος ἔποτ' ἐκλείπει.

Fab. CCXCIII. haec *Babrii* sunt:

Πέση γὰρ ὁλκῆ τ' ἐ μον αἷμα προσθήση·

et, Ἔςαι μάγειρος, ὅς με συντόμως θύσει.

et, — — καὶ πάλιν κερεῖ με, καὶ σώσει.

Fab. CLXV. principium hoc est: Ἀνὴρ μεσοπολιὸς δύο ἐρωμένας εἶχεν· ὧν ἡ μὲν μία νεᾶνις, ἡ δὲ ἄλλη πρεσβύτις· quod apud *Babrium* sic fuisse, opinor:

Ἀνὴρ μεσοπολιὸς δύ' ἐρωμένας εἶχεν,

Ὧν ἡ μία νεᾶνις, ἡ δὲ πρεσβῦτις·

vel, Ὧν ἡ μὲν ἦν ν.

In his omnibus clarissima vestigia sunt, quibus imitatorem consequare: plerumque tamen adeo fabulas transformauit, vt nemo, *Babrii* fuisse, diceret. Fab. CCXLV. de Sacerdotibus *Cybeles*, praeter siccam narratiunculam, nihil habes, nec vlla carminis vestigia. Est vero egregium fragmentum *Babrii*, ad eandam fabulam pertinens; quod hic apponam, vt et corrigam (qui *b*) enim eius copiam nobis fecit, male descripsit) et, quantum perdiderimus, ostendam:

Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη
Ὄνος τις ἐκ εὔμοιρος, ἀλλὰ δυσδαίμων·
Ὅςις Φέρῃ πτωχοῖσι καὶ πανάργοισι
Πείνης ἄκος δίψης τε, καὶ κακὴν τέχνην.
Οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθες κώμην
Περιϊόντες ἐλέγοντο· τίς γὰρ ἀγροίκων
Οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν, ὡς ἐπηρώθη;
Τίς ἐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
Ἁγνῷ Φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης;

VIII.

Fabulae Aesopeae a Planude conscriptae, etc.

Patet igitur, alteram *Fabularum* nostrarum partem, nomine *Aesopi* inscriptam, mille amplius annis ipso recentiorem esse. Alteram vero, ante *Neueletum* editam, propius etiam nostra tempora esse, omniumque postremas, deprehendes. Non esse *Aesopi* ipsius, ex fab. LXX. *de Serpente et Carabo*, intelligas, quae sumta est e quodam σκολίῳ, *Aesopo* longe antiquiore, quod est apud *Athenaeum c*), sic corrigendum:

b) Natal. Com. l. IX. c. 5.

c) l. XV. c. 15.

Ὁ καρκίνος ὧδε ἔφα, χαλᾷ τὸν ὄφιν λαβών·
Εὐθὺν χρὴ ἑταῖρον ἔμεν, καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν·

Ac rationes grauissimae sunt, cur credas, a *Planude*, vno de infimae aetatis *Graecis*, qui in patrium suum sermonem *Ouidii Metamorphosin*, *Disticha Catonis*, *Caesaris Commentarios*, et *Macrobium* conuertit, esse conscriptas. Nullus enim MS. codex est, plus CCC. abhinc annis scriptus, qui habeat *Fabulas* congruenter isti exemplari. Praeterquam, quod loca varia sunt, quae infimae aetatis scriptorem prodant; vt fab. LXXVII. Βάταλις, auis; fab. XXXIX. Βάνευρον, bos; vtrumque incognitum antiquis; et fab. CXXIX. βοῶν ἐν τῇ καρδίᾳ, *clamans in corde*, *Hebraea* loquendi ratio, vt *Eccles.* XI. I. εἶπον ἐν τῇ καρδίᾳ μου. Fab. LXXV. de *Aethiope*, ad verbum fere translata est ex VI. *Aphthonii* rhetoris, cuius exstant adhuc *Fabulae* quaedam *Aesopeae*. Fab. IV. vt postrema eius sententia declarat, paraphrasis est illius, quae in *Neueleti* συναγωγῇ numero CCLXXXIV. legitur; quae συναγωγή, vt supra ostendi, interpretationem illarum *Babrii* continet: inprimis in hac ipsa fabula vestigia sunt versuum eius;

— — κατῆλθεν εἰς βαθὺν κρημνόν·
et, — — μετενόει, καὶ βοηθὸν ἐζήτει.

Est igitur haec συναγωγὴ altera recentior; cumque primum vna cum *Aesopi Vita*, a *Planude* conscripta, prodierit in lucem, merito eiusdem scriptoris esse creditur.

IX.

Iudicium de *Vita Aesopi*. Ebibere mare, *etc.*

Stultus iste monachus librum nobis reliquit, quem *Aesopi Vitam* appellat; qui forte nullo alio sermone exprimi potest, prae verborum sonitu inani, nulla subiecta sententia nec scientia. Collegerat is duas aut tres veras narrationes; *Aesopum* seruiisse *Xantho* cuidam *d*), peram gestasse, consuetudinem cum *Croeso* habuisse, ac *Delphis* interfectum. Harum vero rationes, ac reliquae eius narrationes, excogitatae ab ipso sunt. Inducit *Xanthum*, *Lydum* de vulgo, aut *Samium*, vt *philosophum e*); quod nomen istis temporibus nondum cognitum, sed inuentum postea a *Pythagora*. Adhaec eum inducit, tanquam qui, quemadmodum *Plato* et *Aristoteles*, coetus iuuenum habuerit, quos Σχολαστικὰς appellat; licet istaec nominis significatio adhuc incognita fuerit, etiam *Aristotelis* tempore. Quaestio *f*) erat regis *Aethiopiae*, *Amasidi*, *Aegypti* regi, proposita: *Quemadmodum ebiberet mare.* *Planudes* vero eam *Xanthi* facit, qua certauerit cum aliquo discipulorum suorum. Ne de grauissi-

d) *Eustath.* in x. Od. p. 785.
e) Ξάνθος ὁ φιλόσοφος.
f) *Plutarch.* In Conuiu.

nis erroribus, qui ſint eius in ratione temporum, dicam; quis ſine indignatione legat futilia iſta, quae *Xanthus* cum ſuo *Aeſopo* diſſeruerit, nihilo meliora, chartis *g*) noſtris ludicris, quae in ponte *Londinenſi* numulo proſtent?

X.

Aeſopi *deformitas. vapulat* Planudes, *quod ita eum depinxit. ſtatua eius.* Rhodopis *eius contubernalis, etc.*

Ex omnibus autem iniuriis, quibus *Aeſopum* affecerit, minime praetermittenda illa, quod monſtrum tam deforme eum fecit: facinus indignum illud, cuius opinio adeo omnium oppleuit animos, vt a temporibus inde *Planudis* pictores noſtri omnes forma et ſpecie, quantum poſſent, deformi eum fecerint. Vetus *h*) haec erat *Graecorum* opinio; Reuixiſſe *Aeſopum*, ac ſecundam vixiſſe vitam. Quid, ſi tertium reuiuiſceret, videretque picturam, praemiſſam libro, in quo eius nomen inſcriptum: num ſuam imaginem eſſe, an ſimiae potius, beſtiaeue alicuius peregrinae, quam in Fabulis ſuis induxerit, opinaretur? Quo vero inſtinctu monacho huic cognita *Aeſopi* deformitas fuit? Neque enim conſueta via ac ratione, ſed viſo aliquo, id didicerit, oportet. Vixit hic circiter *i*) duobus millibus annorum, illo poſterius: neque omni iſtoc tempore ſcriptor vllus fuit, qui vel minimam ſignificationem deformitatis *Aeſopi* daret: Quid eſt igitur, quod ſtupido monacho, poſt tot ſaecula primum rem narranti, credas? In *Plutarchi Conuiuio*, *Aeſopus* vnus de conuiuis eſt cum *Solone*, et reliquis ſapientibus *Graeciae*. Ibi multa iocoſe dicta; inprimis in *Aeſopum*: nemo tamen faciem eius ridet; quae, ſi tam fuiſſet deformis, difficulter intacta manſiſſet. Dixeris fortaſſe, rude et inhumanum fuiſſe, deformitatem corporis tangere. Non fuiſſet, ſi modo factum molliter et iocoſe. In *Platonis Conuiuio*, in faciem *Socratis*, illi patris *Sileni* reſpondentem, multa iocoſe dicuntur: in hoc ſeruilem *Aeſopo* conditionem exprobrant; cuius culpa non magis tenebatur, quam, ſi deformis fuiſſet, deformitatis. Scripſit duo libros Imaginum *Philoſtratus*; harum vna *l*) *Aeſopi* eſt, choro ſtipati animalium. Eſt ibi expreſſus *leniter ridens*, *oculis in terram demiſſis*, *habitu meditantis aliquid;* ſed nihil de deformitate eius; quae, ſi vere fuiſſet, non potuiſſet ſilentio praeteriri in deſcriptione picturae. Statuam ei poſuerunt *Athenienſes:*

g) Angl. *Not a bit better, than our* Penny-Merriments, *printed at* London-Bridge.

h) *Suid.* in Αἴτ. et Ἀναβιῶναι. ſchol. *Ariſtoph.* p 357, et 387.

i) A. D. ↀↄCCCLXX,

l) p. 735.

m) Aeſopo *ingentem ſtatuam poſuere* Attici,
Seruumque collocarunt aeterna in baſi;
Patere honoris ſcirent vt cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.

Si vero tale fuiſſet monſtrum, quale *Planudes* ex eo fecit; ſtatua nihil aliud fuiſſet, quam monumentum deformitatis eius: melius certe conſultum eius memoriae, ſi ſolam reliquiſſent. Erat autem opus celebris illius artificis, *Lyſippi.* Tantine ergo artificis manu opus ad molem tam deformem faciendam? Exſtat *Agathiae* in iſtam ſtatuam *n*) epigramma:

Εὖγε ποιῶν, Λύσιππε γέρων, Σικυώνιε πλάςα,
Δείκελον Αἰσώπȣ ςήσαο τȣ̃ Σαμίȣ, κ. τ. λ.

Quod ſi tanta eius fuiſſet deformitas, qui potuiſſet ille quoque ſilentio eam praeterire? Sunt varia apud *Graecos* in deformes proverbia: Θερσίτειον βλέμμα, Εἰδεχθὴς Κορυδεύς, etc. Tanta ergo deformitas *Aeſopo* ſi fuiſſet, primum inter eos locum occupaſſet, inprimis, ſi ſtatua ipſius illic fuiſſet poſita, vt vnumquemque admoneret. Erat *Croeſo*, regi *Lydorum*, in deliciis; qui legatum eum miſit *Corinthum* et *Delphos.* An vero tale monſtrum, quale depinxit *Planudes*, aptus principi amicus? an legatus, vt, quocunque veniret, exſibilaretur a pueris? *Plutarchus*, *Solonem* reprehendens, quod rudius tractaſſet *Croeſum;* Eſſe autem viuendum cum principibus *o*) ἢ ὡς ἥδιςα, ἢ ὡς ἥκιςα, *aut iucunde, aut plane non; Aeſopum* depingit, tanquam omni politum humanitate, accommodatumque aulae. Num ergo, aut talis conditio, aut talis deſcriptio in eum quadraret; ſi, qualem nunc vulgo depingunt, fuiſſet? Vtinam autem id agere poſſem, *Phrygis* noſtri cauſa, vt pictores, aliter eum pingere, cogerentur! Nam certo conſtat, non deformem; ac probabile eſt, fuiſſe pulcherrimum. Nam, ſiue *Phryx*, ſiue, vt alii volunt, *Thrax* fuerit; certe a mangone venditus, *Samum* vectus ſit, oportet. Conſtat autem iſtuc genus hominum formoſiſſimos, quos inuenire poſſent, emiſſe; quod plus lucri inde caperent. Imo memoratur par ſeruorum, eiusdem contubernii, *Aeſopus* et *Rhodopis* femina; ac ſi ex *p*) contubernali eius coniecturam fieri licet, dubitari non poteſt, quin ſpecie fuerit pulchra. Erat enim iſtaec *q*) *Rhodopis* ſuae aetatis omnium pulcherrima; vt etiam in conſuetudinem prouerbii venerit;

Ἅπανθ᾽ ὅμοια, καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή.

m) *Phaedrus* l. II. vlt.
n) *Antholog.* l. IV. Εἰς φιλοσ.
o) *Plut.* in Solon.
p) *Plinius* XXXVI. 12.
q) *Herodotus*, *Suidas*, *Strabo*.

RESPONSVM,

QVO

DISSERTATIONEM SVAM, DE EPISTOLIS PHALARIDIS,

VINDICAT

A

CENSVRA

CAROLI BOYLE,

EQVITIS.

Mordear OPPROBRIIS FALSIS, mutemque colores?
FALSVS HONOR iuuat, et MENDAX INFAMIA terret
Quem, nisi MENDACEM et MENDOSVM? —

Horat. Epist. I, 16.

PRAEFATIO.

In Dissertatione *mea*, *de* Phalaridis Epistolis, *edita A. D. MDCXCVII. meum esse, duxi, quaedam notare ad locum, qui est in Praefatione*, Epistolis Phalaridis, *biennio ante vulgatis, praemissa. Quod his verbis feci:* „*Nouissimi editores* Phalaridis, *in Praefatione sua, inter* „*alia diligentiae documenta, contulisse se narrant MS. re-* „*gium vsque ad epist.* XL. *voluisse quidem omnes conferre;* „*negasse vero* pro singulari sua humanitate *eius copiam* „*vlteriorem bibliothecarium. Sentis aculeum in me emis-* „*sum, iam tum honorifico isto munere apud Regem fun-* „*gentem. Optime, fateor, instituerunt, eiusdem generis,* „*et praefationem, et librum facere; nam vtroque, et ty-* „*ranni iniustitia, et artibus sophistae sunt in hac columnia* „*vsi. Equidem nunquam dignam eam iudicassem, quam* „*publice refutarem, sed, vt insulsas calumnias oportet,* „*despexissem; nisi amico meo promisissem, scripturum me* „*hanc in* Phalarin *Dissertationem. Vbi calumniae istius* „*silentium tacita confessio esset. Res sic se habet: Venit* „*ad me bibliopola, vt nomine editorum copiam manuscripti* „*peteret. Is tum in mea custodia non erat: ego autem,* „*quam primum meae esset potestatis, sponte ad eum ire,* „*offerre, hortari, vt statim conferri curaret; me enim,* „*breui vrbe relicta, duo menses absentem fore. Liber tra-* „*ditus, collatus, redditus. Qui perferebat, ne verbum* „*quidem, nec ego suspicari, collationem nondum finitam.* „*Nam, expertus loquor, plures dies, quam horas opus* „*esset, conferendum habuerunt. Est liber valde paruus,* „*et lectu aeque facilis, quam typis descriptus. Collatio* „*interea, vt videtur, imperfecta* Oxoniam *missa, et in* „*me, vt opinor, culpa translata. Ego aliquot mensibus* „*ante editionem finitam iterum domum bibliopolae adire;* „*de vlteriore copia manuscripti nihil. Inde* Oxoniam, „*vbi tunc typis describebatur liber, plures dies commora-* „*tum proficisci; versari in eodem collegio, vbi editores,*

„*Ibi ne γρῦ quidem de manuſcripto. Non multo poſt pro-„dit noua editio, cum hoc aculeo velut in ore. Ego obſtu-„peſcere, hercle, cum ibi legerem, manuſcriptum noſtrum „non eſſe totum collatum. Nonne poſt reditum meum re-„petere eum potuiſſent? Profecto nec* humanitatis, *nec* „ſingularis humanitatis *erat, in rei veritatem non inqui-„rere ante, quam typis committerent; gladium puero, „aiunt. Sed nihil ſine cauſa; ac breui myſterium apertum. „Accidit enim, vt videtur, mala mea fortuna, vt priuato „quodam colloquio dicerem, Epiſtolas eſſe commenticias, et „noua editione indignas. Hinc illae lacrimae. Hinc ille „ſcrupulus, qui tam acriter ſtimulabat, pungebatque: ac „de manuſcripto mecum locutum fuiſſe, id fuiſſet, commo-„dam occaſionem me vlciſcendi praetermittere". Hoc tum ſatis eſſe, ad me vindicandum ab iſta calumnia, putabam. Quoniam vero ex eo inde tempore male admodum me tra-ctarunt iſti homines; cum maxime coactum me, ſentio, ad rationem reddendam quarundam rerum, quas tunc omiſi, partim, quod querelis de priuata iniuria moleſtus eſſe aliis nolebam, partim, vt ne editoris officerem nomini.*

Cum primum nouam Phalaridis *Editionem apud virum quendam honoratum, cui dono data erat, viderem; nec adhuc publici iuris eſſent facta reliqua exemplaria: ſtatim decreui, ipſa illa veſpera* Oxoniam *literas dare ad* Carolum Boyle, *eique rem omnem exponere, vt, literis meis perlectis, librum diuulgari ante, prohiberet, quam locum iſtum mutaſſet, ac denuo deſcripta typis eſſet pagina; quod vnius diei tempore, et quinque denariorum diſpendio fieri potuiſſet. Non quidem diſertis verbis ab eo petiui, vt verba iſta deleret, ac paginam denuo deſcribendam typis curaret; quod nimis videbatur humile: dixi tamen, quantum ſatis ad hominem, ingenue educatum, mihi obſtringendum, quod cauiſſem, ne facinus longe turpiſſimum faceret.*

Equidem doleo, quod ipſas literas proferre in medium hac occaſione nequeo: ſed nec earum exemplum feci, nec

Boylei *responsum conseruaui. Neque enim tum cogitabam, eo rem erupturam fuisse.* Boyleus *vero iam tum, vt videtur, consilia quaedam agitauit, maioremque curam mearum literarum habuit; quarum partem p. 19. sic edidit:* Petiit a me *Bennetus*, vt copiam sibi facerem manuscripti *Phalaridis*, quocum eum conferret; quod iuuenis nobilis, nomine *Boyle*, *ex aede Christi*, editionem eius curaret. Cui ego respondi, Posse iuuenem nobilem istius nominis et gentis, cui tot ego nominibus essem obstrictus, quam que semper in honore haberem, quodcunque in mea potestate esset, imperare. *Haec* verba officiosa *esse, ipse fatetur, ib. et p. 4. nec dubito asseuerare, reliqua omnia eiusdem generis fuisse. Imo, vt fragmentum hoc meae epistolae nobis impertiuit scriptor Censurae, quod, vitium in eo se videre, putabat, de quo mox: ita, si vel aliquid in istac epistola, siue in verbis, siue in rebus, fuisset, quod posset ansam praebere calumniandi; plura sine dubio, inde excerpta, nobiscum communicasset: quae enim eius in me voluntas sit, facile poterit, et e* Praefatione, *et e* Censura *eius, intelligi.*

Quid vero is ad mea tam officiosa verba? *Post aliquot dierum silentium; vt, scilicet, quod merito suspiceris, liber interea posset vendi (vt vere factum), et in publicum prodire; responsum accepi, his vere verbis:* Posse verum esse, quod pro me dixissem; *Bennetum* tamen longe aliter rem narrasse: si prius literas meas accepisset, earum rationem fuisse habiturum: nunc vero, publici iuris cum factus liber esset, posse memet, quacunque ratione vellem, mihi satisfacere. *Haec summa responsi, vt probe memini: ac ne minimum quidem indicium tibi, prohibuisse se, aut prohibiturum, ne liber vulgaretur ante, quam res diligentius esse explorata.*

Ipse Boyleus, *in nouissimo suo opere, p. 4. eiusdem epistolae meminit; ac verba sua sic exhibet:* Se, *si, quod ego narrassem, compertum haberet*, vt iniuriam fecisset, ita publice mihi satisfacturum. *Doleo vero, eius verba*

officiosa prolata esse triennio, quam par esset, serius. Minus etiam, quam haec, satisfactione, accepissem: sed non erat, se mihi satisfacturum, *sed,* posse memet mihi satisfacere: *quod responsum ad locum quaedam meae epistolae,* fieri forte posse, vt, publica existimationis meae vindicatione opus esse, arbitrarer. *Atque hoc, vt quidem ego accipio, tantum aberat a iusta* satisfactione, *vt me noua iniuria prouocatum, clare viderem.*

Est quidem, Boyleum *inter et me, leuis aliqua de loco, qui in eius responso est, dissensio; sed ipsae rerum rationes declarabunt, opinor, vter verum dixerit. Num enim credibile est, eum tam amplam propositurum satisfactionem; librum tamen, cum adhuc prohibere posset, diuulgari, passurum? Quod si vel verbum statim per tabellarium ad me dedisset, se exemplaria custodiri curasse in officina libraria, nec passurum, vt plura foras prodirent, donec res esset rite explorata: id demum aequum et officiosum fuisset. Tum autem, si, male edoctum se a bibliopola, comperisset, potuisset paginam, mutatam, denuo describendam typis curare; quae et aequissima omnium, et facillima, et paratissima fuisset satisfactio.*

Fuerunt, qui, falso huius rei rumore inducti, crederent; ipsum editorem, siue literis scriptis, siue coram, a me MS. petiisse. Vellem, factum; neque enim tum nata vnquam fuisset haec controuersia. Sed nolebat isto me honore afficere Boyleus. *Modo verbum ad me dedisset, aut per virum aliquem doctum, quod vellet, significasset, non solum libri copiam fecissem, sed ipse pro eo contulissem. Quod vero nostrum vtriusque infortunium est; rem omnem curaene, dicam, an negligentiae bibliopolae commisit, ac primum me compellauit ipse, verbis istis humanissimis, in sua Praefatione typis descripta.*

Obstupui, cum intelligerem, hominem Honoratum (Honourable) *existimare, se de iniuria mihi illata, rationibus, cur id fecerit, postea demum inuentis, plane semet purgasse. Fac enim, verum esse, quod narrauerit;*

cumque typis deſcriberetur iſtaec Praefatio, eum non niſi alteram partem audiuiſſe: num hominem ſui loci decebat, publice iniuria me afficere, ſolis bibliopolae querelis motum, in quo reſidere culpa videri poſſet? Quid, quod nunquam inquiſiuit, eſſetne male ab eo edoctus? cum tot rationes eſſent, cur ſuſpicaretur; eum culpam in me tranſtuliſſe, quo negligentiam ſuam excuſaret? cum tot haberet opportunitates rei ex me exquirendae, ſiue directe, ſiue per communes aliquos amicos? In quamcunque partem rem vertas, rationes eius tam ſunt mirabiles, vt non poſſis non ſuſpicari, fuiſſe cauſas quasdam huius iniuriae, nondum prolatas in medium. Vt vt eſt; ſpes vana eſt, fore, vt calumniam iſtam, in Praefatione ſua, veram eſſe, probet talibus teſtimoniis, qualia, cum typis deſcribendam eam committeret, ne quidem cognoſceret. In ſuam ipſius reprehenſionem incurrit, p. 2. Scripſiſſe primum Praefationem, dein rationes, cur id fecerit, inueniſſe.

Cum primum in lucem prodiret eius Phalaris, *amici mei, calumniam eſſe, facile ſibi perſuaderi paſſi, meum eſſe, vt qui Regi a bibliotheca eſſem, muneris iſtius dignitatem a tanta iniuria defenderem, exiſtimarunt. Verum tamen, partim fuga iurgiorum et litium, partim ipſius cauſa editoris, rem omnem ſilentio praeterire decreui.*

In hoc ſtatu biennium res manſit, ac ſemper manſiſſet; niſi accidiſſet, vt neceſſitate quadam compellerer ad rationem eius publice reddendam. Promiſeram antea optimo Wottono, *me rationes, cur* Phalaridis Epiſtolas *commenticias arbitrarer, nec* Aeſopi *ipſius eſſe, quas haberemus,* Fabulas Aeſopeas, *literis conſignatas, ei impertiturum. Quod cum facerem, non poteram non mentionem facere iſtius calumniae: nam taciturnitas mea, confeſſio, fuiſſet habita; inprimis, cum ad animum reuocarem, quibus artibus eſſet effectum, vt falſus iſte rumor totam Angliam peruaderet: nam, vt vulgo fieri ſolet, fallacia alia aliam truſit.*

Placuit Boyleo *p. 4. 24. etc. declarare, eſſe hoc omne* figmentum; *me autem ſcripſiſſe Diſſertationem iſtam,*

caussa vindictae, et tantum, vt copia esset rei narrandae: verum contrarium; nam fugiebam istam Dissertationem, quod coactus essem ad reddendam rei illius rationem: vt clare intelligas ex Wottoni *testimonio, quod habeo, ipsius signatum manu:*

I do declare, that in the Year 1694. when my *Discourse about Ancient and Modern Learning* was first put to the Press, Dr. Bentley at my desire undertook to write a Dissertation about *Phalaris* and *Aesop*, to be added to my Book. But being called away into the Country, he could not at that time be as good as his word. Afterwards when the Second Edition of my Book was in the Press, I renew'd my request to him, and challeng'd his Promise. He desir'd me to excuse him; because now the case was alter'd, and he could not write that Dissertation without giving a Censure of the late Edition at *Oxford*. But I did not think that a sufficient reason, why I should lose that Treatise to the World, by receding from the Right and Power that he had given me to demand it.

W. WOTTON.

Lector obseruet, velim, Wottoni *Dissertationem primum editam A. D. MDCXCIV.* Phalarin *anno post. Vt pateat, male calculos subduxisse* Boyleum; *cum dicat, me primum ad Dissertationem istam conscribendam animum adiecisse tantum, vt in librum suum inuaderem. Tantum a* vindictae *cupiditate* animus *aberat, vt, modo editor, aut ipse, aut per alium, significasset, permittere se mihi, suo nomine dicere;* Male eum edoctum; *tota haec res omnesque maculae editionis eius in obscuro mansissent.*

Nono circiter, post editam Dissertationem meam, mense Phalaridis *editor secundo opere homines literatos sibi obstrinxit, cui nomen,* Censura Dissertationis *Bentleii* (Dr. *Bentley's* Dissertations examin'd). *Orsus est opus istud elaboratissimum a narratione huius rei, quam illis quae a me essent dicta, opponeret: idque, fretus destimoniis* bi-

bliopolae, eius, qui contulisset MS. *et tertii* delatoris, *qui, quaedam differentem, me audiuisset. Equidem ad singulas partes, quae in testimoniis eorum insunt, clare, et quantum satis, respondebo, nec dubito, quin planum sim facturus, scriptori Censurae non solum impositum ab auctore Epistolarum* Phalaridis, *sed aliis longe inferioris conditionis.*

Testatur bibliopola, p. 6. Opera sua vsum *Honoratum Boyleum*, et quidem sua vnius, vt copia ipsi fieret MS. *Phalaridis* a *Bentleio*. Quem postquam NOVEM circiter menses precibus sollicitassem, *inquit*, in meam custodiam fuit traditus, nullo eius reddendi tempore definito. *Equidem cum maxime intelligo, grauiores mihi rationes fuisse, quam tum viderentur, cum in* Dissertatione *mea dicerem: Errorem in tempore viam ad fraudes assequendas verissimam esse, certissimamque. Ac* Boyleus *concedet, vt spero, argumentum, e tempore ductum, sufficere ad refutandum bibliopolam; quamuis nolit, ad suum auctorem: Bibliopola, vt videmus, diserte testatur, non esse sibi copiam factam MS.* nisi, postquam NOVEM circiter menses precibus me sollicitasset. *Atque ipse* Boyleus, *p. 6.* Me NOVEM circiter menses precibus, vt copia eius fieret, sollicitatum: *et p. 5.* Bibliopolam sibi permisisse, *ait*, vt declararet, paratum eum esse ad firmandum id, vbi res postularet, IVREIVRANDO. *Quod si iam demonstravero, inter tempus, quo primum bibliothecae custodia mihi sit demandata, illud, quo non tantum acceperit, sed etiam reddiderit MS. bibliopola,* VNIVS *tantum spatium mensis fuisse; omnibus, ni fallor, persuasum erit, non solum fidem, sed ipsum* IVSIVRANDVM *huius testis parui esse faciendum.*

Diploma regium, quo REGI a bibliotheca *sum constitutus, (quod inspici apud me non tantum, sed etiam in commentariis regiis, licet) datum est D. XII.* April. *MDCXCIV. Verba sunt:* In cuius rei Testimonium

has Literas noſtras fieri fecimus Patentes, Teſtibus Nobis ipſis apud Weſtmonaſterium, Duodecimo Die Aprilis, Anno Regni Noſtri Sexto. *Iam vero teſtes compello omnes, qui, quid in diplomata requiratur, ſciant, ni cauſa morae, quae talibus rebus adferri ſolet, tuto ſtatui poſſit, reliquam partem iſtius menſis ante praeteriiſſe, quam ad finem perduci res tota potuerit. Scriptum in commentariis meis inuenio, accepiſſe me diploma D XVIII. iſtius menſis: ut facile concedi poſſit, reliquam menſis partem conſumtam eſſe variis officiis, quae exinde ante, quam admitti in bibliothecam poſſem, eſſent obeunda. Sed adſunt duo teſtes inuicti, quibus rem probem, praeceptores ſcholarum* S. Pauli *et* S. Iacobi; *qui hoc mihi teſtimonium dederunt, ſua ſingnatum manu:*

Some time after the Death of Mr. *Juſtell*, late Library keeper to His Majeſty, we ware deſir'd by his Grace the Lord Archibiſhop of *Canterbury*, then Lord Biſhop of *Lincoln*, in purſuance of a Command from the Late Queen of Bleſſed Momory, to take a Catalogue of the Royal Library at S. *Jameſ's*. We began it in *October* 1693. finiſh'd, and had it tranſcrib'd, and preſented to Her Majeſty by the *Eaſter* Following, during all wich time we had the Key of the ſaid Library conſtantly in our keeping, as alſo ſome Weeks longer. And then as we were directed, we deliver'd it up to Sir *John Lowther*, now the Right Honourable the Lord *Lonſdale*, wo was at that time Vice-Chamberlain to His Majeſty.

JO. POSTLETHWAYT.
RICH. WRIGHT.

Stat igitur, cum publico inſtrumento, tum Poſtlethwayti *et* Wrighti *teſtimoniis, re vera ante menſem* Maium *mihi non patuiſſe bibliothecam regiam. Eo anno enim feſtum* Paſchatis *celebratum D. VIII.* Aprilis. *Atque hic teſtatum, bibliothecae clauem Illuſtriſſimo* Lonſdale, *a quo*

accepturus eam essem, non nisi aliquot dierum hebdomadis *post festum Paschatis traditam fuisse.*

Ipso autem illo mense Maio *MS. bibliopolae tradidi: nam, vt antea dixi*, quam primum in mea potestate erat, sponte bibliopolam adii, librumque obtuli. *Nondum, e re sua, visum bibliopolae, negare, sibi traditum librum mense* Maio; *et, ne stimuletur ad id postea negandum, alio instrumento probabo, librum vsurpatum, redditum, et in bibliotheca regia collocatum ante finem mensis istius. Causa enim, cur breui reddi MS. vellem, erat, quod iter mihi faciendum* Worcestriam, *vt ibi, aedis, quae illic est, Canonicus, praesens essem: atque* Worcestriae *me fuisse ad D. 1. mensis proximi*, Iunii, *ex testimonio hoc intelligas, quod penes me est:*

It appears by the Chantor's Rolls kept to note the Presence of the Dean and Prebendaries of the Cathedral Church of *Worcester*, that Dr. *Richard Bentley* Prebendary of the said Cathedral Church was present at Prayers in the Quire there on the First day of *June* in the Year 1694. and continued his Attendance there till *September* the 26th following, not absenting more than Two Days at any one time all the while. Witness my Hand this 25th Day of *May* 1698.

ANDREW TREBECK, Chantor.

We have seen and examin'd the Chantors' Rolls above mention'd, and do find them, as He hath above certified; and we did see him sign this Certificate,

JO. PRICE, Chancellour.
CH. MOORE, Pub. Not. Reg.
THO. OLIVER, Pub. Notary.

Liceat autem lectorem monere, album praesentium mense Maio (*the Residence Roll for the Month of* May), *diligenter licet inuestigatum, inueniri non potuisse. Quod si quando reperiatur, non dubito, appariturum, fuisse me praesentem aliquandiu* Worcestriae, *illo ipso mense* Maio.

Dies enim, quo primum eo veni, longe praecessit primum Iunii. *Vltima temporis nota, ante quam me itineri commisi, quam in commentariis meis inuenio, est XV.* Maii. *Quin literas, D. X.* Maii *ad me datas* Surriae, *inuenio, quibus iter faustum mihi optetur. Quibus omnibus inducor, vt credam, me* Londino *profectum die* Lunae, XXI. Maii, *redditum MS. praecedente* Saturni, *vespera.*

Sed vt mittam hoc; ex diplomate regio, opinor, testimoniis Postlethwayti *et* Wrighti, *et albis templi* Worcestriensis *(Residence Rolls of the Church of* Worcester) *clare apparet, MS. traditum, vsurpatum, redditum, mensis spatio* VNIVS, *postquam bibliothecae custodia mihi esset demandata. Vt testimonium bibliopolae,* Non potuisse se compotem MS. fieri, nisi, postquam NOVEM circiter menses precibus me sollicitasset, *falsum esse, manifesto pateat: cumque praeterea declarauit, sua sententia, periurium esse; eius, quoad liber iste superstes erit, poenas sibimet ipse publice dat.*

Testes fide dignos habeo; auctores calumniae huius, cum primum audiuissent, posse me ipsa temporis, quo datum diploma esset, nota refellere, quod narrarent, NOVEM menses me precibus sollicitatum; *eo confugisse, vt dicerent, mihi, non nisi ad mensem* Maium *absoluto licet diplomate.,* NOVEM *ante mensibus iam potestatem bibliothecae adeundae fuisse. Sed ne dicam, ineptam esse exceptionem, id quo primo adspectu apparet (quo enim iure clauem bibliothecae, ante datam mihi eius potestatem, peterem?)* Postlethwaytus *et* Wrightus *disertis verbis testantur;* clauem in sua custodia fuisse omni illo tempore, quod mensem *Octobrem* inter et *Maium* esset; *vt MS. ante, quam eius copiam facerem, in mea potestate non fuerit. Quin ipsum edictum regis, quo primum munus istud mihi delatum, D. XXIII. Decembr. MDCXCIII. demum datum. Vt inter rumorem, de custodia bibliothecae mihi demandata primum sparsum, et tempus, quo copiam haberem MS.* QVINQVE *non amplius menses essent.*

Atque haec ipſa adeo ratio conuincit, bibliopolam peierare voluiſſe, cum ad iurandum eſſet paratus, NOVEM circiter menſes ſollicitatum me precibus. *Sed fac, vere* NOVEM *menſes fuiſſe inter datum edictum, et aditum mihi ad bibliothecam patefactum: quam tamen ingenue dictum;* nouem menſes precibus me SOLLICITATVM? *Ineſt in iſto verbo haec accuſatio; potuiſſe me, modo voluiſſem, libri copiam iis facere: quod, nunc apparet, calumniam eſſe; quoniam eius, quod in mea poteſtate non eſſet, arguor.*

Induxerit forte aliquis animum ſuum verbis his, precibus SOLLICITATVM, *vt credat, identidem per plateas ac vicos eum cucurriſſe, vt me precibus ad dandum MS. ſollicitaret. Dixi ante,* bibliopolam ad me veniſſe nomine editorum: *quibus verbis plus, quam pro labore ab eo inſumto, conceſſi. Nam, ſi bene memini, nunquam copiam MS. a me petiit, niſi in ſua taberna, aut forte obuiam ſibi facto. Nec recordor, aut eum, aut tironem eius, domum meam, aut bibliothecam, vnquam adiiſſe, copiam MS. petitum; donec, tempore a me ſtatuto, miſerit, qui MS. perferret, eumque acceperit.*

Dixi, Me fuiſſe hortatum eum, vt ſtatim conferri MS. curaret; nam, breui vrbe relicta, duo me menſes abſentem fore. *Quod aut negandum bibliopolae, aut totum teſtimonium eius nullius momenti fuiſſet; nam culpa nihilominus in eo reſideret. Ait ergo*, nullum tempus eius reddendi definitum fuiſſe. *Quid ergo huic cauſae fiet? habes teſtimonia duo contraria; ac, re ſine arbitris tranſacta, neuter citare teſtem poteſt. Cauſam dicam, vt* Aemilius Scaurus *contra* Varium Sucronenſem, *apud* Valer. Max. III. 7. *Varius Socronenſis* ait, *Aemilius Scaurus* negat. vtri creditis, Quirites? *Spero, verba mea maiorem aliquando fidem, quam bibliopolae huius, meritura, inprimis, poſtquam, teſtimonium eius,* de nouem menſibus, *falſum eſſe, compertum ſit.*

Sed rem ipſam diligentius intueamur. Num credibile

eſt, me traditurum ei MS. nullo addito mandato, vt poſt iuſtum tempus, quo vteretur, redderet? Singularem profecto de lectoribus ſuis opinionem habeant, oportet, cum, talia ſe, putent, iis poſſe perſuadere. Adhaec ex inſtrumento apparet, me breui poſt copiam MS. factam itineri me commiſiſſe; quod non inopinatum: ſexto enim ante menſe tempus definitum fuerat, non eſſem praeſens futurus. Cum itaque MS. bibliopolae traderem, non poteram non certior eſſe de futuro itinere; nec probabile, neglecturum me, bibliopolam eius admonere, niſi ſtatuas, clam conſilium tum habuiſſe, eos vſu MS. defraudandi.

Verum, praeterquam quod hic ipſe publice declaro, ex ipſis rei rationibus apparebit, opinor, me nihil tale in animo habuiſſe, ſed contra ea voluiſſe, et deſideraſſe, copiam iis MS. facere. Nam quae cauſa eſſet, amabo, cur eos prohiberem? Neque odiſſe poteram editorem, qui ante nec auditus mihi, nec cognitus; quemque, vt primum fuit, dignum iudicaui, quem honore proſequerer, et vere ſum proſecutus, ob generis ſplendorem. Neque erat, quod gloriam vulgandi MS. ei inuiderem; aut aegre ferrem, tali laudis occaſione me priuatum: nam, aut fallor, aut ſola mea Diſſertatio clariſſime probat, me nunquam Phalaridis *edendi conſilium habuiſſe ipſum.*

Sed clarius etiam voluntatis meae, in copia MS. facienda, argumentum eſt: licet proferre non poſſim, niſi me ipſum accuſem. Exigit enim muneris ratio mei, vt non, niſi iuſſus, librum aliquem e bibliotheca regia auferri, ſinam. Norunt id cum alii, tum doctiſſimus Millius; *qui, cum, tempore deceſſoris mei, libris quibusdam opus haberent, non, niſi ſcripto mandato regis, obtinere eos potuerunt. Quod ſi ergo copiam libri editori facere noluiſſem; quae cauſa melior, qua me excuſarem, quam haec? „Quidquid in me eſſet, facturum* Boyleo; *lege vero fuiſſe ad„ſtrictos deceſſores meos, vt ne, librum ſine regio mandato „auferri, paterentur. Non audere me, accepto primum „munere, contra legem facere; ſi pro more mandatum obti-*

„neret Boyleus, *tum vero primo quoque tempore MS. „traditurum".* *Hac ratione recuſare MS. potuiſſem, non ſine ſpecie officii. Sed ſingulari quodam ſtudio bene merendi de editore, officium meum deſerui, et clam, iniuſſu regis, libri copiam feci. Fateor, poſtea meritas me poenas pro eo dediſſe; et quos obſtringere mihi conabar, ii ipſi inimici mei fuerunt, (vt ſcriptum ediderunt) iſtac ſola de cauſa. Quod ſi in officio firmiter manſiſſem, nec nimio ſtudio iis inſeruiendi fuiſſem latus; nullus calumniae locus fuiſſet. Spero tamen, cautiorem in poſterum me fore, vt ante paulo melius cognoſcam homines, quam me iis tradam.*

Negaueram, me ſuſpicari, collationem nondum finitam: *contra ea bibliopola teſtatur*, me ipſum interpellaſſe de libro die *Saturni* circa meridiem; manſiſſe, miſſo aliquo a ſe ad eum, qui conferret MS. ac nuncium redditum, non eſſe collatum. *Fieri poteſt, vt tum bibliopolam interpellauerim: cum enim ante, quam itineri me committerem, negotia quaedam in area templi* Paulini *(in* Paul*'s Church yard) peragenda eſſent, ibique amicis quibusdam valedicendum, iſtac occaſione bibliopolam interpellaui, hortatus, vt, promiſſi memor, die* Saturni, *veſpera, librum redderet. Me vero ibi manſiſſe, donec nuncius ab eo, qui conferret, rediret, non memini. Sed fac, manſiſſe; quid tum?* circa meridiem, *ait, nunciatum, tum librum non eſſe collatum. Probe bibliopola nouit; nec deſideraſſe me ante veſperam, neque accepiſſe manuſcriptum. At domi non fuerit, qui conferebat, circa meridiem, et, vt opinor, vna alteraue pagina defecerit. Num putare debebam, nondum hora nona nocturna domi eſſe? Eſt id genus argumentandi, quo quidem ego vti non ſoleo. Nam, etſi ne vnicam paginam circa meridiem contulerat; plus ſatis tamen temporis habebat, ad totum librum ante veſperam conferendum. Eſt enim, vt ſupra dixi,* lectu aeque facilis, quam typis deſcriptus, *recentis manus, ſine literarum compendiis; deficiunt vna et viginti epiſtolae, quae in editis exemplaribus exſtant, quae*

totius libri pars ſeptima; vt tanto minore labore conferri potuerit. Placuit, vt rei periculum facerem, conferre primas quadraginta epiſtolas: plures enim collatae non erant. Atque id factum vnius horae et quadrantis circiter ſpatio; licet parum feſtinauerim. Plus tamen quinquaginta variantes lectiones notaui, licet vnius ſolum meminerit editor. Quod ſi ergo potuerunt quadraginta epiſtolae, horae vnius et quadrantis, totus MS. qui CXXVII. tantum epiſtolas comprehendit, conferri ſpatio quatuor horarum potuerit. Qui igitur contulit, modo aſſiduus fuiſſet, ſpatio meridiem inter et ſeram veſperam, quando redditus liber, bis contuliſſet.

Quod ad eum, qui MS. contulerit, attinet; nec hominem, nec eius ingenium noui: nec mihi quidquam cum illo, niſi vnum hoc; teſtimonium eius eſſe aeque inutile, et imperfectum, atque collationes. Difficilis certe coniectura, quem in finem id prolatum ſit (p. 7.). Summa haec eſt: Repetitum ante MS. quam finiuiſſet; *quod confeſſi omnes. In rem magis, ſi dixiſſet, quid omni illo tempore, quo MS. haberet, egerit. Dico,* quinque vel ſex dierum; *bibliopola, p. 20.* paucorum; Boyleus non novem. *Breuiſſimo, nunc apparet, vt antea dixi;* plures eum dies, quam, horas, opus eſſet, habuiſſe conferendum. *Quid eſt vero, quo poſtremum iſtud tempus pomeridianum triuerit, quod toti negotio perficiendo abunde ſufficeret? Siue id mercede, ſiue gratis, ſuſceperit; certe non multum fuit, quod ei editor deberet.*

Addit bibliopola; Noluiſſe me ſinere, vt haberet manuſcriptum vltra diem *Saturni*, quamuis ſolummodo peteret in diem *Solis* mane, promitteretque, facturum, vt, qui conferret, totam iſtam noctem pervigilaret. *Quam hoc falſum et ineptum, prudens lector facile videt, et agnoſcit. Tranſacta haec* die Saterni circa meridiem, *vt ipſe bibliopola confeſſus eſt. Ac tum licuit ei habere, habuitque ad veſperam. Tota vero collatio opus horarum quatuor, vt experimento docui. Nec ta-*

men puduit eum, dicere, facturum, vt, qui conferret, totam noctem peruigilaret, quo absolueret; cum totum ante tenebras bis potuisset conferre. Fac vero, rogatum me; cur noluerim, retineri in diem Solis *mane, causa non vna erat. Profecturus* Worcestriam *eram die* Lunae *ad horam quintam matutinam: nec die* Solis *vacabat, librum in bibliotheca collocare: tum enim apud virum plurimum reuerendum, episcopum* Worcestriae *eram, longo a bibliotheca interuallo. Erat quoque ianuae exterioris clauis tunc in alterius custodia; qui forte die* Solis *offendi non posset. Ne dicam, satis superque tempus fuisse die* Saturni *ante vesperam; qui erat, quod, propriis rebus neglectis, aliorum ignauiae et pigritiae obsequerer?*

Sed *negat*, vllam sibi spem factam a me, fore, vt, si, post reditum in vrbem, me compellaret, reliqua conferri, liceret. *Credo equidem, me nullam spem fecisse disertis verbis. Cur enim facerem, cum haberem persuasissimum, ante MS. totum collatum iri, quam vrbem relinquerem? Quid vero in me viderit, cur desperaret, vbi esset occasio, non exputo. Nouerat, librum repetitum, itineris causa mei. Tam diu absens eram futurus, vt, omni istoc tempore periclitari iacturam libri, commodum non videretur. Igitur bibliopolae dixi*, me duo menses absentem fore. *Iam vero apparet ex instrumento, quatuor me menses fuisse* Worcestriae. *Quo tempore quanta rerum vicissitudo fieri poterat? Num ego, qui fidem meam obstrinxeram, qui diuinis humanisque legibus poteram postulari, sine vllo scripto mandato talem fortunam experirer? Calumnientur, quantum velint, editor, eiusque testes: velim profecto, tanto iure defendere me posse, quod copiam MS. fecerim, quam quod eum repetierim.*

Concludit tandem bibliopola, p. 6. Me, quotiescunque de *Boyleo* loqueretur, quaedam commentatum (That I made some Reflections); sed, habita ratione ordinis sui, alienum videri, ea narrare. *Quare eas partes Doctori cuidam* King, *vni de curia* Londinensi *(to*

one Dr. King, of the Commons), *vt eum vocat ſcriptor Cenſurae*, *concedit*. *Quid vero* commentari *appellet*, *quidue noceat*, commentari, *non aſſequor*. *Scripſit vir quidam magni nominis*, vnus de gente ſcriptoris Cenſurae *(p. 3.)*, *librum integrum* Commentationum (of Reflections), *nec vnquam audiui*, *id crimini ei datum*. *Nec magis accipio*, *quid velit*, *cum dicat*, Ab ordine ſuo alienum eſſe, quae ſim commentatus, narrare. *Ordinem eius*, *vt bibliopolae*, *honeſtiſſimum*, *arbitror*, *niſi ipſe dedecori ei ſit*. *Quo ſi ſit*, *vt* alienum *ſit ab ipſo*, *falſum teſtimonium aduerſus alium dare*, *ficta* narratione harum commentationum: *multo magis a Doctoris perſona*, *cui iſtuc operis committit*, alienum, *arbitror*. *Forte Doctor*, *pro arte*, *quam profitetur*, *aſtute magis et callide id fecerit: ſed tanto crimen grauius*. *Sed teſtimonium Doctoris audiamus*. *In eo ſtilus cernitur tam mirabilis*, *tantum virus acerbitatis*, *quod* inſolenti ore *euomit; vt animum alicuius poſſit ad* Rupilii (King) Regis, *non minimi de maioribus Doctoris*, *memoriam reuocare*, *quam ſub ſplendido hoc titulo ad poſteritatem tranſmiſit* Horatius, *Sat. I. 7.*

Proſcripti *regis Rupili* pus atque venenum.

Etſi non bonorum; *tamen virtutum* Rupilii *heredem factum Doctorem*, *omnes fatebuntur; vt ipſa eius ſcripta declarabunt; Teſtimonium hic aduerſus me datum*, *loca ſcurrilia in doctiſſimum* Liſterum, *et alia quaedam monumenta eruditionis eius*, *et morum*.

Conatus ſum, *inquit Doctor*, *p. 8.* quantum in me eſſet, in memoriam redire, quae, de MS. Epiſtolarum *Phalaridis*, *Bennetum* inter et *Bentleium* eſſent tranſacta. Certum non habeo, de ALIIS rebus, eo pertinentibus, niſi inter alia dixiſſe *Bentleium;* Manuſcriptum, collatum, in poſterum nullius pretii eſſe. *Lector obſeruet*, *velim*, *Doctorem hic palam fateri;* Se certum non habere, de aliis rebus, eo pertinentibus: conatum *tamen*, quantum in ſe eſſet, in memoriam redire: *et*, *ibid.* contemtione et deſpicientia faſtus et

ſuperbiae, naturaliter ſibi inſita, factum, vt recordaretur, quod ceteroquin fuiſſet oblitus. *Quod ſi itaque Doctor, erectus licet ſua* contemtione et deſpicientia, *recordari tantum* VNIVS *rei potuit; ſi iſtuc rei nihil habet, quod ad* B. *ſpectet, nec quidquam ſimile* faſtus et ſuperbiae: *quae cauſa eſt, cur hic, vt faſtu plenum, et ſuperbum, me traducat, et iniurium* Boyleo? *Quod ſi, quemadmodum fatetur, Doctor* VNAM *tantum rem a* memoria *habet, reliqua ab* inuentione *habeat, oportet Eſt profecto, quod debeam Doctori; nam reuera ſemet ipſe in teſtimonio ſuo refellit. Primum enim,* VNAM *tantum rem ſe ſcire, ait; ſtatim tamen defertur ad accuſationem, cuius nulla pars ex ea re confici poteſt. Ac talene teſtimonium, quale hoc, valeret* in curia Londinenſi (in Drs. Commons)? *Aut vehementer fallor, aut Senatores iſtius curiae cum ſumma indignatione id reiicerent.*

Vt igitur ad iſtam VNAM rem *accedam, de qua* certum habeat *Doctor. Bono cum venia lectoris res aliqua paucis narranda. Deſignatus praefectus bibliothecae (nondum tradito diplomate) intellexi de ſingulis generibus librorum in* Anglia *editorum, ſingula exemplaria, quae ex decreto ſenatus ſupremae curiae (by Act of Parliament) bibliothecae regiae deberentur, inde ab aliquo tempore non fuiſſe, conuenienter iſti decreto, in bibliothecam delata. Igitur praefectum collegio* bibliopolarum *(the Maſter of the* Stationers *Company), prout decretum iubebat, adii, et exemplaria ab eo petiui. Quo factum, vt ad mille voluminibus diuerſi generis augeretur bibliotheca. Cum haec agebantur, accidit, vt* Bennetum *adirem (qui variis mihi nominibus erat obſtrictus), eumque certiorem ea de re facerem, ratus, promtiſſimum fore ad complendum numerum pro portione ſua; quae tum valde exigua. Sed, quod mirere, audacter reſpondit, Neſcire ſe, quo iure, de alieno eſſe liberali, ſupremae curiae ſenatui liceret; ſperare, id recuſaturum collegium* bibliopolarum, *et iure experturum: Eſſe corpus, eique commune aerarium;*

aliaque huc pertinentia. Poſt aliquanto, cum iterum eum conuenirem, ac denuo de manuſcripto Phalaridis, *cuius copiam, quam primum poſſem, ei facturum, ante promiſeram, loquerer; rogaui, qua cauſa, cum bibliothecae regiae debitum, ex ſenatus ſupremae curiae decreto ſoluere nollet, tum commodum inde exſpectaret, quod librum ſuum cariorem faceret, viliorem manuſcriptum?* Nam, vulgatis variis lectionibus, MS. ſimilem eſſe pomi aurei, cuius expreſſus ſuccus ſit, et parui in poſterum pretii. *Cum igitur experiri contra bibliothecam conſtituiſſet; fas eſſe, ut libro aliquo iuſti pretii eam donaret, quo damnum, quod caperet, cum ipſe manuſcripto vteretur, reſarciret.*

Haec eſſe, quae diſſeruerim, bene memini, ac teſtes habeo, opinor, qui ea narrantem me audiuerint, longe ante teſtimonium Doctoris publicatum; qui certum habeo, ea ipſa eſſe, quae audiuerit Doctor King. *Fateor parumper differre verba; me,* parui *pretii in poſterum fore MS. Doctore,* nullius, *dicente. Sed diſcrimen leue, et facile excuſandus Doctor, qui in verbis parum accuratus. Meminerim autem, tum adfuiſſe Doctorem? Non: neque, vnquam: Non enim noui eum; et forte* faſtus et ſuperbia *mea in eo poſita, quod hominem* tanti nominis et auctoritatis *(p. 5.) non noueram. Vt igitur concedam, haec eſſe,* quae priuatim diſſeruerim *(the* free Conferences), *vt ſcriptor Cenſurae loquitur, p. 9. audita a Doctore, pauca, in eius narratione, ſunt obſeruanda.*

Ac primum quidem apparet, temerariam eius commentationem, in qua ineſſe aculeum tam acriter pungentem putabat, ineptam eſſe. Quod hoc magis obſeruabam, *inquit,* quod cogitabam; manuſcriptum, collatum, nullius pretii! *Egregia obſeruatio, et minutis iſtis animis digna, qui noctu ad feneſtras auſcultando aliena ſectentur et quaeuis aegre audita carpant. Verum eſt, o bone, vt manuſcriptus non collatus, iſtoc nomine, aliis nullius ſit pretii: idem tamen pluris aeſtimandus poſſeſſori, ſi pretium ei ſit ſtatuendum. Ac puto manuſcriptum, recens allatum*

e Graecia, *nec adhuc typis descriptum, ceteris paribus, pluris venire, quam alium iam descriptum. Num tu putas, manuscriptum* Alexandrinum, *post editam in lucem* Anglicam Polyglotton, *tanti adhuc esse pretii, quanti, cum primum regi* Carolo I. *dono daret* Cyrillus, *patriarcha* Graecus? *Sed quid de MSS. cum eo dissero! qui tantulum etiam harum rerum sensum habet, vt cogitato neget, p. 8.* Credere se, VLLIVS libri varias lectiones tanti esse, vt *Boyleus*, quo eas obtineret, tam male tractaretur. *Atque hoc dicit, cum* testimonium *dat: vbi omnis vis declamatoria, et supra simplicem et nudam veritatem exaggeratio, illicita, et proxime a periurio abest. Verum existimandum non est, Doctorem* pretia *cognoscere* librorum: *magis enim versatus est in Catalogis cum aliarum, tum illarum potionum, quas in praeclaro suo Indice recenset (in the Catalogues of Ales, his* * Humty-Dumty, Hugmatee, Three-Threads, *and the rest of that glorious List), quam in Catalogis manuscriptorum. Sed quid est, amabo, quod* male tractaui *Boyleum?* VNIVS *tantum rei meminit Doctor: et ea nihil attinebat ad* Boyleum. *Equidem persuasissimum habeo, ne nominatum quidem* Boyleum *in istoc colloquio. Neque enim hoc dictum tum erat, cum manuscriptum repeterem; sed longe ante, cum nondum diploma accepissem, nec esset bibliothecae custodia mihi tradita. Fac vero, tum* Boyleum *nominatum; certum habeo, factum honorifice. Nam quomodo* male *tractare eum poteram, negando copiam manuscripti, qui tum in mea potestate non esset? Ante colloquium istud habitum, promiseram, facturum me, vt, quamprimum manuscripti compos fierem, eum obtinere posset* Boyleus; *et id quidem, vt ipse* Boyleus *fatetur, p. 4. et 19.* verbis officiosissimis: Posse iuuenem nobilem istius nominis et gentis, cui tot ego nominibus essem obstrictus, quamque semper in honore haberem, quodcunque in mea potestate esset, imperare. *Re vera autem his*

* See his *Journey to London.*

vſum me verbis, ipſe bibliopola teſtis eſt: nam, niſi fuiſſem, nunquam fuiſſet paſſus, typis ea deſcribi, non addito, falſa eſſe. Iam vero quaero, ſitne credibile, me tam officioſe, *tum etiam tam* male, *aliquem tractaturum? Certe, bene potus ſit, oportet, (A man muſt be doſ'd with* Humty-Dumty) *qui tam parum ſibi in verbis conſtet. Qui vero male tractare poteram iuuenem nobilem, plane mihi incognitum, non prouocatus ante, palam, et coram eius amicis? Dicant omnes, qui me norint, num talia de me ſuſpicentur.*

Quidquid igitur audiuerat Kingius, *id ſpectabat ad bibliopolam. At de manuſcripto quidem, quem promiſeram ante, certum habebat* Boyleus. *Id vnum volebam, vt, male factum, intelligeret bibliopola, quod, cum bibliothecae regiae legibus debitum negaret, tum commodi aliquid inde peteret. Adhaec profiteor, per iocum tantum factum, cum, librum dandum bibliothecae regiae, dicerem, quo vſum MS. compenſaret; nec alio conſilio, niſi, vt eius perſtringerem audaciam, quod vellet iure experiri. Quam primum enim poteram manuſcripti copiam ei facere; gratis, ne quidem pretio, quo concio ſacra, typis deſcripta, veneat, bibliothecae dato, acceperat. Licet meminerim, cum aliquando viro cuidam magno factum narrarem, eum reſpondiſſe, me, etſi non ſerio egiſſem, tamen debuiſſe.*

Ait bibliopola: Ab ordine ſuo alienum eſſe, quid ſim, cum de *Phalaride* loqueremur, commentatus, narrare. *Sed ſemel ei expediam, et vnum narrabo, quod optime recordor. Rogauerat aliquando me bibliopola, nouamne* Phalaridis *editionem, quae tum typis deſcribebatur, multos emtores nactum iri, arbitrarer: Sua enim intereſſe, et ſperare, futurum, vt bene veniret; cum tantis laudibus eſſet elata in ...* Diſſertationibus (*in ...* Eſſays), *quantae poſſent eam reddere cariſſimam. Reſponderam, ſatis ſaluam rem fore; cum ſua nihil intereſſet, niſi, venire librum: nam magna nomina eorum, qui commendarent, non*

paucos cupidos eius emendi redditura: Esse, quod tamen ei soli dictum, librum commenticium, nec dignum noua editione. Videtur eius ordo *potuisse pati, ad eos haec deferri, quorum esset editio, quemadmodum mihi aliunde constitit. Atque huc animum intendebam, cum antea dicerem:* Accidisse mala mea fortuna, vt priuato quodam colloquio dicerem, Epistolas esse commenticias, et noua editione indignas. *Quid hoc ad* humanitatem, *in* Praefatione Phalaridi *praemissa, attineat, alii iudicabunt. Sed profiteor, me, praeterquam hoc vnum, nihil tum temporis, quo male de* Boyleo *mereri poteram,* commentatum *fuisse. Si hoc peccare est, fateor. Et, si nulla alia via est, qua gratiam ab eo ineam, nisi vt credam,* Phalarin *bonum esse scriptorem; forte mea, qua exclusus eius amicitia sum, contentus ero.*

Obseruat Boyleus, *p. 9.* Ad *Bennetum* tam parum pertinere hanc controuersiam, vt tuto possis in eo acquiescere. *Tam parum, scilicet, vt quaestus eius praecipua pars ex ea pendeat. Nam status causae nonne hic est? Negotium bibliopolae dederat* Boyleus, *vt, regium manuscriptum conferri, curaret. Bibliopola, qua erat negligentia, cum officio defuisset, ne forte iram* Boylei *experiretur, neue emtorem tam commodum amitteret, culpam in me contulerat. Hinc ortae simultates, quae tandem in iniuriam, publice factam, eruperunt. Credo equidem, in initio bibliopolam non fuisse opinatum,* Boyleum *tam graviter rem laturum: quod nisi fuisset, inuenisset forte aliud, quo negligentiam suam excusaret. Sed factum dein infectum fieri non poterat; atque is semel implicatus controuersiae, qua coeperat, via pergere cogebatur. Videbantur commoda eius omnia pendere a* Boyleo, *eiusque amicis. Nimiae profecto illecebrae: ac deum precor, vt ei ignoscat.*

Cum itaque, vt quidem ego opinor, satis superque respondi ad singula, quorum me accusant testes scriptoris Censurae: parum curo, quid porro inde colligat is, aut quantum salis amari spargat, quaue sorbeat aera sanna.

Corruunt enim omnia, et in auctoris caput decidunt, sublato, quo ſint excitata, fundamento. Nihilominus tamen perſtringam ſingula, quae dixit, quae teſtimoniis teſtium eius non ſint comprehenſa.

Videbatur, *inquit, p. 4. Bentleio* ſatisfactum, isque controuerſia ſuperſedere velle, cum nihil amplius hac de re ad me ſcriberet, nec *Bennetum* conueniret, ad quem literis meis referebam. *Volebat, fateor*, Bentleius ſuperſedere controuerſia; *ſed alterutrane, an vtraque harum rationum*, Boyleum *induxerit, vt;* ſatisfactum mihi, *crederet, politiores iudicabunt. Literas* officioſiſſimas, *vt ipſe fatetur, p. 19. ad eum dederam, conqueſtus de fraude bibliopolae, ac longe aliter, quam is narrauerat, re expoſita. Aliquot diebus poſt, vulgatis iam exemplaribus, tandem acceperam reſponſum, quo haec venia dabatur, vt mihimet ſatisfacerem, et, vt hic ait; ad bibliopolam referebat, quem conuenirem. Quis vero paulo animoſior, qualem modo innocentia aliquem reddit, poſt repetitam hanc iniuriam, aut ad* Boyleum *literas daret, aut de ea conquereretur cum bibliopola, praecipuo auctore iniuriae? Certe* Boyleus *ſingulare* cerebrum *(p. 106.) habeat, oportet, cum, aut me, aut vllum, putet, iſtas indignitates eſſe paſſurum. Quod meum erat, feceram, in tempore literis ad eum datis, quibus rem omnem* verbis officioſiſſimis *ei (p. 4.) exponerem. Cum vero accepiſſem officioſum eius reſponſum, quo mihimet ſatisfacere, me iubebat, et ad bibliopolam referebat;* nec me tam humili *(p. 21.)*, nec tam excelſo *editorem loco collocatum*, putabam, neque *calumniam* tam *terribilem*, vt talem repulſam paſſus, ſecundum ad eum me applicarem. *Conſtitueram, fateor*, controuerſia ſuperſedere; *non, quod aut agnoſcebam, aut declinabam, ſed quod deſpiciebam calumniam; conſcius mihimet, falſam eſſe, et probe gnarus, poſſe me, quandocunque vellem, refellere auctores.*

Adeo etiam cauillari ſolet Boyleus, *vt ne tum quidem,*

cum maxime ferio agendum fit, abftineat. Dicam grauiffimam mihi fcribit, p. 18, 19. quod dixi, editores *Phalaridis; et, alio in loco*, contulerunt. Quid eft, *inquit*, quod hac ratione fim multiplicatus? *Age, ferulae magni huius Ariftarchi manum fubiiciam: quamuis numeros mutandi licentiam, omnibus, quantum fcio, linguis, tam veteribus, quam nouis, communem, habere me, arbitrer. Quis eft; qui nefciat*, τοὺς περὶ Πλάτωνα, τοὺς περὶ Ἀριστοτέλη, *faepe folum* Platonem *et* Ariftotelem *effe?* Vt QVIDAM veftrorum POETARVM dixerunt, *inquit Apoftolus: folum tamen* Aratum *refpicit. Quoties autem dicimus*, nos, *cum de nobis ipfis folum loquimur; nihil minus putantes, quam* multiplicatos *nos effe, aut geminatos, vt, in* Plauti Amphitryone, Sofiam? *Nec dubito, quin, fi operae pretium effet, ea inueftigare, huius generis exempla in ipfo eius libro inuenirentur. Scio, alio in loco, vfum eum eodem loquendi genere, quod hic ridet. Dixeram, obftupuiffe me, cum ibi legerem MS. noftrum non effe totum collatum.* Manufcriptum noftrum, *inquit fcriptor Cenfurae, p. 21.* id eft, regis et meum. Putat, fibi cum rege communem effe manufcriptum. Eft fimile huic Cardinalis *Wolfey:* Ego et rex meus. *Acute, et ingeniofe! vt eadem ratione dictum ipfius* Boylei, *p. 43.* Durum erit *Siculo* NOSTRO principi, *interpretandum fit*, Mihi et *Phalaridi* meo. *Cumque toties in ore habet*, NOSTER criticus *(p. 109, 142.), me nominans; accipiendum id eft, quafi aliquod in me dominium habeat; quo honore indignus fum. Et cum ipfe faepius vtor verbis*, NOSTRI editores, *aut*, NOSTRA editio, Boyleus *ad hanc normam colligat forte, velle me partem editionis* Phalaridis *mihi vindicare: quo nihil acerbius in me dictum adhuc, putem.*

Eft quaedam animorum vis atque natura, quam PHALARISMVM *vocat* Cicero *(ad Attic.* VII. 12. Iftum quidem, cuius Φαλαρισμὸν times, omnia teterrima facturum, puto), propenfionem ei *Phalaridis* fimi-

lem; *ac forte suspiceris, esse de* Phalaridis *interpretibus, in animis quorum pars eius aliqua insideat. Plus semel* Boyleus *in suo libro clare significauit, fieri posse, vt, si vlterius* Phalarin *persequerer, depugnandum mihi esset singulari certamine. Magni profecto animi minae, inprimis, quibus theologum insequaris; qui nec telis, nec praeceptis, ad istud genus controuersiarum aptis, solet instrui. Elucet similis animi magnitudo, licet tanta non sit, cum,* cavillari me, *vetat p. 285.* quod, quamuis apte fiat, a mea persona alienum sit. *Firmissima tamen, imo sola, quibus ipse vtitur, argumenta, cauillationes, sunt. Vt* nos duo, *vt ait, Praef.* controuersiae huius finem facere, oporteat; *tamen curat diligenter, ne vlla mihi tela concedat, quibus ipse pugnet. Amplissimum certe, et candoris eius, et fortitudinis, testimonium! Nihilominus tamen morem gerere sum conatus, et, vbicunque potui, omnem amovi iocum: et, si quando* opus istud singulare *eius (p. 68.) risum mihi extorserit, contentus ero, si, quae maxima eius libri virtus est, maximum vitium mei habeatur.*

Videtur lepidus iste scriptor Censurae cum ipso Phalaride *certare velle* PHALARISMO. *Neque enim vna morte aduersarii* satisfactum *ei; sed semel atque iterum me interficere vult. Bis ab eo perii, duplici genere mortis, altero, in prima pagina libri eius, altero, in vltima. In ea, qua liber inscribitur, mortem morior* Milonis Crotoniatae.

— — Remember *Milo*'s End
Wedg'd in that Timber, which he strove to rend.

Quod sic accipiendum: Quemadmodum *Milo*, postquam sextum vicisset *Olympia*, tandem victus et confectus sit, luctando cum arbore; ita me, post factam aliquam eruditionis opinionem, conculcatum iri pedibus quorundam stipitum. *Sed, in extremo libro, tauro* Phalaridis *me inclusit, putauitque, se* iam mugientem *(p. 290.) me audire. Bene habet; quoniam stat, in tauro me esse, partes eius, qui concrematur, egi. Vt enim lamenta eius,*

qui excruciabatur in in tauro Senioris Phalaridis, *ope tuborum, qui in machina latebant, in cantilenam, qua se tyrannus oblectaret, vertebant: ita querelae, quas mihi exprimunt cruciatus, hoc Responso ad aures* Boylei *delatae, omnes ei dicantur, vt delectationi ei sint, et voluptati. Verum tamen miror, cum inciperet* Phalarin Iuniorem *ludere, eum non deterruisse omen. Nam, vt tandem in suo tauro* mugiit *Senior tyrannus: ita eius imitatorum erat, animum inducere, posse fieri, vt, quae essent machinati, tandem in suam ipsorum perniciem verterent.*

Sed morte mea contentus non est: nisi mecum intermoriatur nominis existimatio mei. Facinoris me accusat longe turpissimi, Quod, cum aliquando ab *Edwardo Sherburno* manuscriptum accepissem, edendum a *Graeuio;* hac lege, vt, cuinam acceptum referre deberet, certiorem eum facerem, quo posset honorificam illius mentionem facere; celato *Edwardi* nomine, mihi eius rei laudem assumerem, quo factum, vt mihi liber diceretur, nec vlla fieret illius mentio. *Accusatio et turpis valde, et falsa; licet nec doleam, nec mirer, quod, vulgatam typis, videam: nec doleam quidem, quod referre ei tantum possim, vt apud omnes ingenuos lectores laudi mihi sit futurum; nec mirer, quod nihil aliud a* PHALARISMO *exspectem.*

Equidem certum habeo, illos ipsos, qui typis vulgarunt, pulchre scisse, esse mihi, quod responderem: nam ante aliquid de ea audiueram ex communibus quibusdam amicis, quam erat vulgata typis; qui quin iis exposuerint, quemadmodum me defenderem, nullus dubito. Nec tamen, vt videtur, hac calumnia destiterunt: nam, vt aliquando in bello vtile est, falsum rumorem spargere, licet certo futurum sit, vt intra biduum aut triduum refellatur; ita hic vtile visum mendacium, modo paucos menses fidem haberet. Ne dicam, veterem esse opinionem, grauiter accusando effici, vt aliquid haereat: perinde fama, vt vita hominis est; qui suae non parcit, alienae dominatur.

Curaueram ego nouam Manilii *editionem; quo consilio cognito, factum, vt in notitiam peruenirem* Edwardi Sherburni, *qui librum istius poetae primum carmine olim* Anglico *reddiderat, et amplo explanauerat commentario. Collegerat is vetustas quasdam, rariores editiones, quarum copiam mihi humanissime faciebat. Adhaec* Antwerpiae, *opera cuiusdam bibliopolae, emerat cistam schedarum celebris* Gaspari Geuartii, *cui eiusdem poetae editionem curanti mors anteuerterat. Quae ipsius* Geuartii *erant, nullius esse momenti, videbam. Sed erat Dissertatio, de* Theodoro Mallio, *alia scripta manu, sed sine nomine, digna, cuius haberetur ratio. Ac forte fortuna inter alias epistolas, vnam offendebam, eadem, qua Dissertatio ista, scriptam manu, et signatam* A. R. *nec difficilis coniectura ex argumento epistola, esse* ALBERTVM RVBENIVM. *Sic comperto auctore istius Dissertationis, statim ego* Edwardum *adire, rem indicare, hortari, vt, aut* Oxoniam *mitteret, curaretque, inter Miscellanea quaedam edi; aut* Traiectum *ad* Rhenum, *doctissimo* Graeuio; *qui, cum opera quaedam postuma eiusdem* Alberti Rubenii *vulgasset, iure quodam suo huius edendae curam sibi vindicaret. Probata posteriori sententia, ego in* Hollandiam *literas ad* Graeuium *dare, rem omnem exponere, promittere, nomine* Edwardi, *si editionem curare vellet* Graeuius, *statim me librum ei missurum. Non multo post tempore responsum accipiebam a* Graeuio; *vbi inter alia*, Officiosissime meo nomine salutes, *inquiebat*, doctissimum et nobilissimum virum, *Edwardum Sherburnum;* qui si mihi committere *Rubenium* velit, statim typis describendum curabo, et, cui debeant literati, palam faciam. De commentario eius in primum librum *Manilii* nihil adhucdum audiueram: sed ex tuo testimonio certum habeo, esse bonae notae; atque ideo emam. *Literis his cum* Edwardo *communicatis, liber missus in* Hollandiam *per amicum.*

Proximis litteris Graeuii *adiuncta erant sex exempla-*

ria Rubenii, *typis descripta. Valde mirabar, tam subito editum librum, multo magis, cum, mihi dicatum, viderem; quem honorem non exspectassem, etiamsi non tantum reperissem, sed etiam possedissem manuscriptum. Sed supra, quam dici potest, commouebar animo, cum, silentio ibi praetermissum* Edwardum Sherburnum, *viderem; et, quam essem ea de re sollicitus, explicabam amicis quibusdam. Testis mihi inprimis vir plurimum reuerendus, Episcopus* Norwicensis, *quem honoris causa hic nomino, quam ea res me sollicitaret, angeretque, cum vnum de exemplaribus ei offerem. Et aliquanto post, cum idem vir illustrissimus per me mitteret* Graeuio *collationem operum philosophicorum* Ciceronis, *factam cum optimo et vetustissimo manuscripto (nam vt bibliotheca libris omnium fere in* Anglia *instructissima ei est: ita se praebet facillimum in iis communicandis cum aliis) ipsum* Graeuium *testem compello, qui forte etiamnum literas istas habet, num non vellem, ne mihi acceptum referret istuc beneficii; neue, vt ante* Edwardi Sherburni, *obliuisceretur, Viri illustrissimi facere mentionem. Aliud exemplar* Rubenii *offerebam ipsi* Edwardo; *et partim querebar, partim excusabam* Graeuii *negligentiam, cum, quod debuisset* Edwardo, *mihi dicasset. De me vero; nulla opus habebam defensione apud* Edwardum, *quoniam ipsas literas, quibus* Graeuius *promittebat, facturum se honorificam eius mentionem, legerat; ac fecisset sine dubio ille, nisi multiplici studiorum genere, aliisque negotiis factum fuisset, vt obliuisceretur. Possem ipsum* Edwardum *citare: sed, quae extrema eius senectus, quaeque eam comitantur, mala sunt, testis parum idoneus est, atque istoc nomine ex animo eius ignosco infirmitati, quidquid aliorum suppeditauerit malitiae.*

Narrauit scriptor Censurae, quasi laudes, quibus me ornauit publice Graeuius, *solum niterentur, quam falso mihi assumerem, editione* Rubenii. *Res itaque postulat, vt pauca Dedicationis istius, quae eo spectent, lectori impertiar: quo videat, num tantum isti beneficio sit tribu-*

tum, vt, ſi alterius ſit, quantulacunque etiam nominis mei fama euaneſcat.

Viro Cl. *Richardo Bentleio* S. P. D.

Ioannis Georgius Graeuius.

Redit ad te, quam mihi dono miſeras, *Alberti Rubenii* commendatio de *Theodoro Mallio*, ſane quam docta et polita. Pro qua, cum illam mecum communicare voluiſti, non poſſum non tibi et meo et rei literariae nomine gratias agere publice. Plurimum igitur tibi debebunt manes *Rubenii*, ſi quis manium ſenſus eſt, qui tam egregiam eius diatriben ex tenebris, in quibus, absque te fuiſſet, perpetuo quaſi ſepulta iacuiſſet, in dias luminis auras protraxiſti. — Nec manes tantum *Rubenii*, ſed omnes humanitatis cultores tibi pro hoc in ſe merito deuinxiſti. Hi nunc tuas curas in *Manilium*, *Heſychium*, aliosque ſcriptores deſiderant, et exſpectant cupide. Nam eruditiſſima illa Epiſtola, quam ſubtexuiſti *Malalae Chronicis* tam multa recondita nos docuit, vt incredibilem exſpectationem tui ingenii commmouerit. Nihil nobis longius eſt, nihil deſideratius, quam vt illa videamus, quorum ſpem feciſti cum publice omnibus, tum mihi de tuis in *Callimacho* animaduerſionibus, quarum pulcherrimum ſpecimen mihi miſiſti. Hanc vt propediem expleas, Vir Eximie, Deum precor, vt ſaluus, incolumis, felix aetatem agas, meque tui ſtudioſiſſimum amare pergas.

Quidquid hic dicit, aut dicere de me potuit Graeuius, *ratione vulgati* Rubenii, *hoc eſt:* Se, et ſuo, et rei literariae, et ipſius auctoris *Rubenii*, ſi quis manium ſenſus ſit, nomine, gratias mihi agere, qui manuſcriptum in lucem protraxerim. *Quod vero ad reliquam Dedicationis partem attinet; laudum, quibus ibi me ornavit, alia, niſi fallor, ratio eſt. Nolim, candidus lector tam me ineptum putet, vt laudes, quibus*, Graeuius, *aliique magni nominis viri me ornauerint (forte, vt ad incepta ſtimulos admouerent) aſſumam, quaſi debitas mihi.*

Sed tantum hic occasione earum mentionem facio, vt pateat, esse nostrae aetatis inter erudissimos viros qosdam, quorum aut candor sit maior, aut aliud iudicium, quam Boylei *suorumque. Iubet me* Boyleus, Hermogenem *adire, vbi agat* Περὶ τοῦ ἀ·· ταχθῶς ἑαυτὸν ἐπαινεῖν, Quemadmodum possit aliquis semet sine inuidia et vanitate laudare. *Posse autem tum, ibi lego*, vbi calumnia et obtrectatio necessitatem eius adferat.

Quin profiteor, me perinde bene de Rubenio *meritum, ac si omnis laus, qua me priuasse* Edwardum, *criminantur illi, vere mea fuisset. Neque enim verbum vllum de me, ratione* Rubenii, *dictum a* Graeuio, *quod non sit verissimum. Qui enim* cum eo manuscriptum communicaui, *ego; qui* ex tenebris protraxi, in quibus, absque me fuisset, perpetuo sepultus iacuisset, *ego. Iam enim aliquot annos schedas* Geuartianas *possederat* Edwardus: *sed Dissertationem istam non magis nouerat, multo minus, quis auctor eius esset, quam si nunquam fuisset scripta. Imo, si fur tam impudens fueram, quam me traducere* Boyleus *volebat, non tantum* Edwardum *potueram, sed ipsum* Rubenium *etiam, istius Dissertationis* laude priuare. Edwardus *enim mihi totam cistam commiserat schedarum, quas non, nisi forte numero, aut pondere, nouerat. Vt facile clam auferre* Disputatiunculam istam *potuissem, et, vt meum opus, postea vulgare. Quod vnum sufficit ad calumniam hanc contundendam. Quis enim credat, me cum patefacturum ingenue opus, quod celare, vt meum, potuissem; tum adeo iniquum fore, vt eam exigua istac* laude, *quae operis alieni, quod quid esset, nesciret, diuturna possessione ei obtigisset*, priuarem?

Cum primum, vulgatam typis hanc accusationem, viderem, nulla ratione facilius eam, posse refutari, arbitrabar, quam si literas Graeuii *proferrem; vbi gratias egerat* Edwardo *pro spe, sibi facta, obtinendi manuscripti, promiseratque, se honorificam mentionem eius facturum. Statim itaque schedas meas executiebam; sed, quod doleo,*

ſtudioſiſſime licet quaerenti non apparebant. Proximum erat, vt meas ad Graeuium *literas proferrem, quibus ipſe* honorificam Edwardi, *eiusque humanitatis,* mentionem *feciſſem. Sed non erant in mea poteſtate iſtae literae; ſemel enim tantum, vt alias ſoleo, eas ſcripſeram, nullo facto exemplo.*

Vnum itaque ſuperrat, vt, per literas, exemplum, ſi quod haberet epiſtolae ſuae nouiſſimae, a Graeuio *peterem, aut, ſi forte fortuna conſeruata adhuc illa eſſet, ſiue ipſam meam epiſtolam, ſiue eius exemplum, mitteret, aut denique, ſcripta denuo epiſtola, cauſam meam defenderet; cum fieri aliter non poſſet, quin, monitus, recordaretur, miſiſſe me* Rubenium, *non vt meum, ſed vt* Edwardi Sherburni, *librum. Ac literas, quibus mihi reſcripſerat is, accipiebam, quarum pars ad verbum hic expreſſa. Ac,* Boyleo *quidem obſtrictum me, profiteor, quod in tempore calumniam hanc inſtruxerit, cum omnes, qui contundere eam poſſent, adhuc ſupereſſent.*

Ioannes Georgius Graeuius S. P. D.
Richardo Bentleio, — —

Literis tuis, quas *Februario* ſuperiore dediſti ad me, quamuis mihi iis acceptius et optatius mihi potuit afferri, ſerius reſpondeo; non quod immemor fuerim officii, ſed quod Epiſtolam illam, qua nonnulla fragmentis *Callimachi* adiici volebas, quae ego Prooemio inſerui, cum iam omnia cetera typis eſſent deſcripta, diu fruſtra quaeſiui. Nec enim exputare poſſum, vnde illa, quae tua negas eſſe, excerpſerim. Itaque non putabam me ante tibi poſſe ſatisfacere, quam illam inſpexiſſem Epiſtolam, et num me mei oculi, aut memoria fefellerit, inde cognouiſſem. Quamuis vero mihi non perierit, qui omnia tua cuſtodio diligentius nigris vuis, neſcio tamen, in quem ſe angulum Bibliothecae abdiderit, ex quo nondum potuit erui. Nunc viſa tua nouiſſima Epiſtola, quam pridie, cum ex itinere menſtruo fere domum reuertiſſem, inueni

domi meae; diutius cessandum non duxi. Ad priores, pro quibus tibi δίδακτρον debeo, breui respondebo. Iam ad has, quas XXIX. Aprilis exarasti, haec habe.

In literis, quas *Londini* in aedibus *Episcopi Wigorniensis* scripseras IV. Iulii MDCXCII. haec tu ad me. „Est apud nos *Edwardus Sherburnus*, Eques Auratus, „qui librum primum *Manilii* Anglice vertit, et com„mentario doctissimo auxit. Is abhinc annis aliquot „apparatum *Gasp. Geuartii* ad *Manilium* ab eius herede „emit *Antwerpiae*, mihique non ita pridem, quem „nouam eius scriptoris editionem parare inaudiuerat, „schedas *Geuartianas* perlegendi copiam fecit. Com„peri autem, virum Clarissimum omnem operam in „eo posuisse, non qui *Manilii* textum corrigeret, vel „illustraret, sed qui infelicem suam (mea quidem sen„tentia) coniecturam de *Theodoro Mallio Cos.* quem „*Astronomici* auctorem esse voluit, aduersus *Barthios* „et *Salmasios* et *Tristanos* et *Possinos* defenderet. Nihil „tamen in medium profert, quod momenti habeat „quidquam ad opinionem suam stabiliendam, praeter„quam quae dudum in lucem ediderat in *Papinianis* et „*Variis Lectionibus*. Itaque cum toties repetita crambe „mihi fastidium moueret, mirifice tamen recreatus „sum aureolis duabus Epistolis, quae in isto charta„rum fasce latitabant, quaeque celeberrimum *Graeuii* „nomen ferebant inscriptum. Illud vero me perculisse „fateor, quod ad *Geuartii* sententiam de aetate *Manilii* „videris accedere.„ Et quae sequuntur de hac opinione *Geuartii*, quam damnas. Post haec addis: „Erat „autem praeterea, quod me aduersaria ista versantem „non mediocri voluptate affecit. Dissertatio scilicet „bene longa et perquam erudita de vita *Fl. Manilii* „*Theodori Cos.* auctore, vt casu comperi, *Alberto Rubenio*, cuius *Opuscula Postuma* te obstreticante in lu„cem prodierunt. Hanc meo iudicio minime dignam, „quae cum blattis et tineis diutius conflictetur, curabo

„tibi mittendam, ſi eius Editionem te procuraturum „fore polliceris, et quidem vel vna cum aliis quibus„dam, vel etiam ſola non incommode edi poterit.„

Haec αὐτολεξεὶ in Epiſtola tua, ex quibus luce meridiana clarius patet, non tuam, ſed meam culpam eſſe, quod, cum Commentationem *Rubenianam* ederem, non meminerim huius Epiſtolae, et propterea non debitas gratias perſoluerim Viro Nobiliſſimo *Edwardo Sherburno* pro communicato cum vtroque noſtrum hoc *Rubenii* libello. Ipſe aut negligentiam aut obliuionem meam deteſtor, et culpam deprecor. Meae reſponſionis nullum ſeruaui exemplum, aeque vt nec aliarum. Illud memini, me *Sherburni Manilium*, quem ex tua Epiſtola cognoui, plane mihi ante ignotum, ſaepe deſideraſſe.

Vale, — et tibi perſuade, te doctos omnes viros maximi facere, *rumpantur vt ilia Codris;* ſed neminem eſſe, qui te maioris faciat, et magis aeſtimet, quam ego te facio.

His Graeuii *literis, vt equidem arbitror, plura addantur, neceſſe non eſt, ad contundendam turpem iſtam calumniam. Ipſa meae Epiſtolae verba deſcripſerat; quae planiſſime declarant,* Fuiſſe manuſcriptum *Edwardi Sherburni;* eum feciſſe mihi copiam illius perlegendi; ſi, illius editionem ſe procuraturum, polliceretur *Graevius* ei miſſum iri. *Etſi autem exemplum eius epiſtolae, qua meae reſcripſerat, et* Edwardo *gratias egerat, idque publice facturum ſe, pollicebatur, non habebat: optime tamen eius meminerat, agnoſcebatque,* ſua, non mea, culpa *factum, vt ſilentio eſſet praetermiſſus* Edwardus; *et* culpam, ſiue negligentia, ſiue obliuione commiſſam, deprecabatur.

Prior epiſtolae Graeuianae *pars alio ſpectabat, quod alienum a* Boyleo: *nec tamen tam id eſt remotum a noſtra cauſa, vt non aliquis eius commemorandi locus hic ſit. In Praefatione nouiſſimae editionis* Callimachi Graeuius; In

epigrammate XLIX. *inquit*, *Bentleianae συναγωγῆς*, versum secundum sic legendum esse, postea nobis scripsit celeberrimus *Bentleius*;

Τῶῤῥα μένων αἰγᾶν οὐ καθιμᾶσ᾽ ὁ Κύκλωψ.

et sic vertendum:

Illic manens capras non dimisit Cyclops.

Hoc est, gregem non dimisit expascuis suo tempore. Τῶῤῥα, *Hesychius*, Τῷ ῥα, διὸ δή. Idem, Τό ῥα, ὅπερ δή.

Cum primum haec legerem, summo opere mirabar, correctionem mihi adscribi; quasi per literas communicatam a me; cuius ne syllabam quidem reminiscendo recordari poteram; nec vlla pars est, quin sententiae meae sit contraria. Prima vox, Τῶῤῥα, *male reddita*, Illic; *et hoc falso firmatum* Hesychii *verbis. Is enim reddit*, διὸ δὴ, *i. e.* Quamobrem, *et*, ὅπερ δὴ, *i. e.* Quod quidem: *quibus duabus vocibus, quid est, quod commune intercedat cum* Illic? *Tum tertium, nomen*, Αἰγᾶν, *vt* Doricum, *ibi videtur positum, pro* Αἰγῶν. *Sed in isto declinationis ordine* Dorienses *nunquam* ων *in* αν *mutabant: dicebant enim*, τᾶν φρενῶν, *non*, τᾶν φρενᾶν. *Et in quinto verbo*, καθιμᾶσ᾽, *tria non minus vitia insunt: primo accentus notandus*, καθίμασε, *non*, καθιμᾶσε: *dein, syllaba* , θι *hic breuis facta: cum semper longa est; vt discas ex* Aristophane, *aliis: denique redditur hic*, dimisit; *sed notat*, demisit. *Praeterea sententia tota ieiuna est, et indigna* Callimacho. *Quapropter nego, haec vnquam a me scripta, aut mea esse. Videbunt quoque viri illustriores aliqui, quos nominare hic nihil attinet, in exemplaribus, breui post vulgatum librum sibi oblatis a me, nomen meum in isto loco deletum, et correctionem incognito suo auctori relictam.*

De hoc Graeuii *errore agebam in istac epistola, ad quam hic rescripsit is in principio suae:* Diu quaesiuisse se istam epistolam, qua *(vt putabat)* interponi iuberem hanc emendationem; sed nusquam potuisse reperiri.

Nec mirum profecto, frustra *quaesitam: neque enim unquam scripseram eiusmodi epistolam. Sed* Graeuius, *naturali, vt videtur, et facile excusando vitio, erat oblitus, quisnam fuisset, qui istam sibi correctionem mitteret. Forte in schedula, epistola inuoluta, fuit scripta; atque, epistola et schedula seiunctis, facilis error, falso eam auctori adscribere. Equidem ex animo huic, quantulaecunque, viri excellentis negligentiae ignosco; nec dubito, quin excusaturus me sit, quod publice profitear, non esse meam istam correctionem. Vt enim, quae summa eius eruditio est, nulla ratione, suspicari nos, finit, esse eius correctionem: ita, quae singularis eius ingenuitas et candor est, facile sinet, me, quod meum non sit, repudiare. Sed, bona cum venia, duo hinc cogam, ratione scriptoris Censurae. Primum, nisi fallor, idem hic accidit, quod in causa* Edwardi Sherburni. *Cumque, me inscio, in* Callimachi *editione sic erratum est; potuit idem in editione* Rubenii *fieri. Deinde ex hoc exemplo, tam singulari, apparet, quam sit aptus* Boyleus *ad censuram de meis scriptis faciendam; qui, licet (vt eius liber docet) meas in* Callimachum *notas, meamque de* Ioanne Antiôchensi *Dissertationem legerit, non alia de causa, quam vt vitia in iis reperiret, non potuit errores hos tam graues, tamque apertos, detegere.*

Non possum, quin hac occasione corrigam, et explanem, istius poetae epigramma LI.

Τὴν ἀλίην Εὔδημος, ἐφ᾽ ἧς ἅλα λιτὸν ἐπελθὼν
Χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγεν δανέων,
Θῆκε θεοῖς Σαμόθραξι· λέγων ὅτι τήνδε κατ᾽ εὐχὴν,
Ὦ λαοὶ, σωθεὶς ἐξ ἀλὸς ὧδ᾽ ἔθετο.

Vbi, quod est in manuscripto, ἐπελθὼν, *non tantum me, sed ingeniosissimam doctissimamque* Dacieriam, *in errorem induxit. Putabamus,* ἅλα *hic esse* mare, *atque adeo* ἀλίην, nauim: *eamque interpretationem exigere dii* Samothraces *videbantur; credebantur enim hi tempestatibus liberare nauigantes. Postea vero, aliam esse epigramma-*

tis sententiam, comperi. Ἁλίη salinum *est, et* ἅλα salem. *ac primus versus si corrigendus:*

Τὴν ἁλίην Εὔδημος, ἐφ' ἧς ἅλα λιτὸν ἐπέσθων·

totumque epigramma sic vertendum:

Salinum *Eudemus*, in quo salem tenuem comedens
Procellas magnas effugit vsurarum,
Donauit Diis *Samothracibus:* dicens, quod hoc ex voto,
O populi, seruatus a sale hic posuit.

In hoc epigrammate, Eudemus, *magno aere alieno obrutus*, *eo se liberauit*, *parce admodum pane et sale*, *victu pauperum*, *viuens: cuius rei vt exstaret memoria*, *salinum suum* diis Samothracibus *dicauit. Ingeniosissimum epigramma est*, *cuius acumen positum in ambigua vi vocum* ἁλίην, ἅλα, ἁλὸς, *similitudine verborum* ἐπέσθων *et* ἐπελθὼν, *et nominum* δανέων *et* ἀνέμων. *Totum* Parodia *est. Citat partem eius* Suidas, *cuius indicio veram hanc certamque explicationem debeo.* Ἐπέσθων, *inquit*, ἐπεσθίων, εὐωχούμενος. Τὴν ἁλίην Εὔδημος, ἐφ' ἧς ἅλα λιτὸν ἐπέσθων χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγε θῆκε θεοῖς Σαμόθραξιν. *Omissum nomen* δανέων *apud* Suidam; *sed dubium nullum nunc est*, *quin ita legendum sit. Quod si modo* Boyleus, *cum carpere scripta mea conaretur*, *vnum hoc epigramma correxisset*, *a nemine nostrum*, *qui in* Callimacho *interpretando*, *versabamur*, *tum intellectum; hoc vno*, *quantulocunque*, *exemplo plus ad veram suam laudem*, *quam toto suo libro*, *contulisset.*

Sed vt ad Edwardum Sherburnum *reuertar; aggreditur scriptor Censurae ad ea probanda*, *quae in accusatione insunt*, *vt ne vllus exceptioni locus relinquatur.* At fieri potuit, *inquit*, *p. 16.* vt peccatum *Graeuii* esset, isque oblitus, gratias *Edwardo* agere. *Ain tandem?* Fieri potuit, vt *Graeuii* peccatum esset? *Nonne causa erat*, *cur supra dicerem*, *me certum habere*, *auctores huius calumniae cognouisse*, *culpam esse* Graeuii? *Atque haec ipsa defensio et opinio eorum nonne planum id facit?* Sed vix, *inquit*, credi potest, eius oblitum fuisse *Graeuium*

si disertis verbis dixisset *Bentleius*, ea lege manuscriptum ipsi traditum. *Vero: nisi pluribus in rebus occuparetur* Graeuius, *quam scriptor Censurae, eiusque adiutores. Qui vero cogitauerit, quot et quanta sint* Graeuii *negotia: non mirabitur, eum, non dicam, oblitum fuisse,* Edwardi Sherburni *mentionem facere, (quem non nisi ex epistola mea cognouerat); sed etiam edere ipsum manuscriptum. Sed, bona cum venia scriptoris Censurae, non erat opus, aut* attingi id, *aut* disertis verbis dici Graevio. *Non egebat is calcaribus ad gratias agendas. Nec mihi occasio aut* attingendi, *aut* disertis verbis dicendi, *quid exspectaret* Edwardus: *nam sponte sua* Graeuius *ante, quam missus ei liber erat, promiserat, se* Edwardo *satisfacturum. Nequeo quidem proferre* Graeuii *literas, quod mala fortuna eas amisi, nec ille earum exemplum habet. Sed vir plurimum reuerendus, Episcopus* Norwicensis, *cuius nomine hoc dico, optime meminit, me secum communicasse literas, ibique gratias* Edwardo *egisse* Graeuium, *promisisseque, palam se facturum, cui deberent literati.*

Fac vero, *inquit, p. 16.* culpam omnem residere in *Graeuio:* cur non statim *Bentleius* ad *Edwardum* mittebat, excusatum se? *En verum* PHALARISMVM! *Non refert, verum, an falsum; modo sit e re eorum. Plus quam* mittebam: *nam statim* Edwardum adibam, *vt excusarem factum; quod haud frustra me fecisse, ex vultu eius totoque habitu, tum, et postea aliquamdiu, coniiciebam; ac tum ei donabam vnum de exemplaribus, a* Graeuio *missis. Imo persuasissimum habeo, esse illum ipsum librum, quod ei donaueram, in quem* retulerit Memorandum, *p. 15. prolatum a scriptore Censurae.*

Et cur, *inquit, p. 16.* non curabat *Bentleius*, excusari hanc negligentiam, proximis Actis Literariis *Batauis* (in the next *Holland* Iournal)? *Pulchre scilicet inuentum, quo se expediret! Res, puto, magni momenti erat, sciri, cuius cista esset, in qua manuscriptus. Ta-*

men, vtut leuis erat, vtut laus eius exigua, conſtitueram, et receperam Edwardo *me ſatisfacturum, loco magis idoneo, quam in* Actis Literariis *Batauis. Parauεram tum editionem* Manilii, *quae iam vulgata fuiſſet, niſi caritas chartae, inopia typorum elegantiorum, alia obſtitiſſent. Ac ſpoponderam quidem* Edwardo, *me in iſto libro ei ſatisfacturum de* Graeuii *negligentia. Alio enim nomine ibi gratiae ei erant agendae, cuius, ne quid amplius ei debeam, nunc mentionem faciam. Inter ſchedas iſtas Diſſertationem doctiſſimi* Godefridi Wendelini, *de aetate* Manilii, *inueniebam. Erant duo eius exempla, vnum, ipſius manu* Wendelini; *alterum*, Geuartii, *ſcriptum: et eorum alterum mihi dabat* Edwardus; *quia, aut totam edere, aut inde excerpta quaedam, in mea* Manilii *editione, vulgare, conſtitueram. Pro eo hic gratias ago* Edwardo; *quandocunque autem prodeat in lucem* Manilius; *facile, opinor, mihi ignoſcent eruditi, quod, nunc a me ſatisfactum ei, putem.*

Pergit ſcriptor Cenſurae, qua coeperat, laudabili via falſo me accuſare. Peregrinus quidam illuſtrior, *inquit, p. 14.* querebatur, quam eſſet male a *Bentleio* tractatus, in cauſa, meae fere ſimili. Sed, venia nondum accepta, non licere mihi, puto, eam patefacere. *Cuius ſumma eſt;* Τὸν δεῖνα queſtum eſſe τὸ δεῖνα, quod, quid ſit, dicere nolit *Boyleus. Fateor, cum haec et ſimilia, vulgata nomine* Boylei, *legam, non poſſe me non ſuſpicari, plura eſſe ſcripta commenticia, quam* Phalaridis *Epiſtolas. Ignoſcat mihi* Boyleus, *ſi, haec auctore Indicis potionum (the* Humty-Dumty *Author), quam ingenio iuuenis nobilis digniora, putem. Quod ſi tales tamque vagae accuſationes, probationes, habentur, quis tandem vacare culpa poteſt? Quam primum ſcriptori Cenſurae* licuerit, *hanc rem* patefacere, *nullus dubito, quin, aeque falſam, demonſtraturus ſim, atque calumniam, de* Edwardo. *Interea, quantos progreſſus habeat in arte obtrectandi, apparet ex eo, quod, cum ſimulat, nihil ſe*

dicere, plus toto dicit. Nam insinuatione suspicionem iniicit τοῦ δεῖνα, *quod acciderit* τῷ δεῖνα, *de quo coniecturam faciat lector, et, quam velit, grauiter statuat. Memini, peregrinum quendam, cuius nomen nunc oblitus sum, pro ea, qua esset modestia et aequitate, a me petiisse, vt, manuscriptum* Alexandrinum *domum, in quam deuersaretur, adferri, sinerem, quo posset totum conferre; cui operi vix labor semestris sufficeret. Difficillimum erat, continere se, tam inepta conditione proposita, humane tamen respondebam, causamque interponebam, cur, minus concedi id posse, arbitrarer. Si hic ille* homo *fuit*, qui querebatur *apud Boyleum*, quam esset a me male tractatus, *vt probabile est; non equidem* Boyleo *amicitiam hominis* illustrioris *inuideo.*

Sed alius, *vt videtur, p. 14.* ad *Bentleium* se applicabat, vt tantum inspiceret manuscriptum *Alexandrinum*, cui nihil aliud respondebatur, nisi, occasionem visendae bibliothecae non esse. *Habes aliam accusationem vagam, non addito nomine hominis; vt difficilis valde defensio sit. Sed contigit ei, quod omnibus leius narrationibus et argumentis, vt falsa sint, atque adeo possis ipsummet iis refelleret. Ex eo enim tempore, quo primum meae curae commissa bibliotheca* S. Iacobi *fuit, semper domi meae seruaui manuscriptum istum, hac ipsa de causa,* Vt posset ab aliis inspici, etiam non visa bibliotheca. *Centum amplius, puto, nunc esse in* Anglia, *qui, me custode, manuscriptum viderint: ac dicant omnes, ni domi meae, non in bibliotheca, viderint.*

Sed videamus, quid sit de eo commentatus scriptor Censurae: Lepida excusatio, *inquit, p. 15. (bibliothecae visendae occasionem non esse)* custodis bibliothecae, quadriennium isto munere functi. *Non potuisse me vti hac excusatione, vt ne conspiciendum praeberem manuscriptum* Alexandrinum, *satis apparet, opinor. Sed fateor, saepe me dixisse, et conquestum fuisse,* Non esse occasionem visendae bibliothecae. *Quod si tantum vitium esse*

in custode bibliothecae putat, *id*, *quantum poterit*, *exprobret. Sed si iusta causa exprobrandi ei esset*, *in quem hic inueheretur? Prouidisset aliquantum acerbus noster Censurae scriptor*, *nec temere tela iecisset*, *nisi vidisset ante*, *in quo essent adhaesura. Quid*, *si vilius conclaue erat*, *et angustius*, *quam pro librorum copia*; *si vetustate nimis sordebat*; *si situs inopportunus*; *si aditus inhonestus*; *num culpa custodis bibliothecae est? Num*, quadriennio, quod isto functus fueram munere, *nouam bibliothecam meis sumtibus exstructam*, *volebat? Sed nihil re vera hic est*, *quod reprehendas*, *nisi scriptoris Censurae impudentia. Erat enim iustissima excusatio impensarum calamitatumque longinqui belli*, *quare publica cura in nouam bibliothecam exstruendam non intenderetur*; *nec tamen dubitandum est*, *fore*, *vt*, *si paucorum pace annorum*, *regnante feliciter rege nostro*, *fruamur*, *non amplius hoc exprobrari nobis possit.*

Habes, *opinor*, *omnia*, *quorum me accusauit*, *in principio libri sui*, *scriptor censurae: nunc videamus eius de libro meo*, *querelas. Primum queritur*, *insinuatione me vsum*, *vt suspicionem iniicerem*, *non esse* Phalarin *a se redditum* Latine: *dixisse enim me*, *ei* attributum, *eiusque* nomen inscriptum in editione, *et* menda, quae inessent, non esse ei, sed eius doctoribus, vituperationi: *adhaec*, *vocasse* editores, interpretes, *et* magna ingenia. *Habes*, *quaecunque sint*, *aut possint e Dissertatione mea depromi*, *ad hanc actionem conflandam. Iam duobus prioribus*, *longe abest*, *vt negetur*, *esse eum verum auctorem. Nam* attributus *mihi hic liber est*, *et nomen meum* inscriptum *in editione; tamen*, *meum esse*, *spondeo. Erit itaque tertium*, Menda esse eius doctoribus vituperationi; *cui consequens*, *non esse eius. Sed bona cum venia dixerim*, *siue eius*, *siue doctorum eius*, *si hoc argumentum*, *est illud infirmum valde. Nam ipse fatetur*, *sibi*, *tum valde* iuueni, *non tantum fuisse*, *in cuius* tutela *esset*, *sed* studiorum suorum *quoque* rectorem: *quo posito*, *fie-*

ri potuit, *vt* menda *re vera essent eius*, vituperatio *illorum*, *qui*, *ea publicari*, *fuissent*. *In Dedicatione custodi suo dicit*, eius ope adiutum opus *esse*:. *atque hic*, *in Praefatione;* studiorum suorum rectorem, *ait*, a se consultum, vbi aliqua difficultas esset. *Qua declaratione*, *omnes mecum etiamnum censebunt*, *et custodem*, *et rectorem studiorum*, *teneri in mendis*, *quae in editione* Phalaridis *insint*, *licet re vera sint alumni*. *Videtur quidem* Boyleus, *in Praefatione*, *p*. *5*. *excusare custodem; declarat enim*, Praeter rectorem, nullius opera se adiutum fuisse; imo vix versus, *inquit*, ab vllo, quantum scio, ante finitum opus, visus est. *Sed*, *si hoc verum*, *quid est*, *cur custodi gratias agat pro* opere eius ope adiuto? *Videat lector*, *possitne haec duo loca conciliare; quod ad me attinet*, *tantam repugnantiam*, *inter* Latinum Phalarin *et* Anglicam Censuram, *vidi*, *vt*, *ad ea componenda aggredi*, *non audeam*. *Sed ad id semet ipse offert* Boyleus, *cum*, *p*. *199*. *ait* alia ratione potuisse custodem se adiuuare in editione, quam conferendo manuscriptos, vertendo *Graeca*, et commentarium scribendo. *Vero: potuit; potuit impensam aliquam in editionem fecisse*, *librumque strenae loco discipulis*, *qui in aedibus suis deuersarentur*, *dare*. *Sed respondet hic* Boyleus, *quod nunquam ex eo quaesitum*. *Neque enim quaestio est*, verteritne, *aut* commentatus sit, custos; *sed* videritne, *et* correxerit.

Cum itaque difficulter credi vtrique simul potest, Anglicae Censurae *credere malo;* Custodis operam nullam fuisse *in vertendo* Phalaride. *Constat enim*, *plus eum ingenio*, *plus eruditione*, *plus valere iudicio*, *quam qui in eiusmodi interpretationem operam suam contulisset*. *Multo minus*, *aliquam eius operam in* Anglica Censura *fuisse*, *arbitror; quod omnium*, *quotquot postremis his ducentis annis in lucem prodierunt*, *in suo genere* (*id est*, critico) *vitiosissimum opus est*. *Qrod*, *nisi ex hac mea Responsione apparet*, *nulla*, *licet*, *huius descriptionis ratio habeatur:*

ſed expertus ſcio, optimis iudicibus ſic iam perſuaſum eſſe; ac reliqui ſenſim eorum ſententiam amplectentur. Fatendum eſt ergo, quae cuſtodis merita ſunt, nullam ſuſpicionem relinqui, aliquam eius operam in Cenſura *fuiſſe. Vnum tantum eſt, quod eius amici deſiderent, quod non prohibuerit, quo minus aliqui, quorum ſtudiis ſit praefectus, facta quadam quaſi conſpiratione, viliſſimi cauſa libri, occaſionem praeberent rumori, qui inprimis ad ſuum, totiusque Societatis nomen et famam ſpectaret.*

Quod ad rectorem ſtudiorum attinet, cum Boyleo *ſentio, potuiſſe fieri, vt* ſit conſultus, vbi aliqua difficultas eſſet; *tamen omnia menda, in* Latina *interpretatione, fugerint eum, aut eius ſint. Eſt eiusdem ordinis eruditorum, cum nouiſſimo Editore* Aeſopearum Fabularum. *Modo carmen tolerabile, in quo duo aut tria leuia vitia inſint, facere poſſunt, ſtatim animum ad ſcribendum applicant; quo populares ſuos foris, domi ſemet in contemtionem adducant. Hic* rector *ille eſt, qui nouiſſime* Ouidii Metamorphoſes *cum Paraphraſi et Notis edidit,* Oxon. Theat. MDCXCVI. *quam ſimul atque inſpexeram, ſtatim duo haec documenta ingenii excellentioris et eruditionis inueni. Sunt loca in oratione* Vlyſſis, *lib. XIII,* 252.

Cuius equos pretium pro nocte popoſcerat hoſtis,
Arma negate mihi, fueritque benignior *Aiax*.

Id eſt, Dolon pretium popoſcerat equos *Achillis* pro nocte: ego, qui *Dolonem* cepi, et ſubegi, arma ſolum *Achillis* peto, quae longe minoris pretii, quam eius equi, ſunt. Quae ſi mihi negabitis, *fuerit benignior* Aiax, *id eſt*, ipſe *Aiax*, vtut inimicus meus eſt, cumulatius mihi gratiam retulerit. *Rector vero ſic:* FVERITQVE BENIGNIOR AIAX. Sitque melius de vobis meritus *Aiax*, quam ego. *Sed qui poteſt* benignior *eſſe* melius meritus? *Orationem poetae affinxit, quae nec* Latina *eſt, nec ſententiam vllam ſibi ſubiectam habet. Sed alium locum intueamur, ib.* 273.

Reppulit *Actorides* ſub imagine tutus *Achillis*
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.

Patroclus, *inquit poeta*, tectus armis *Achillis*, repulit *Troianos* a noſtris nauibus, quae alioquin concrematae fuiſſent cum illis, qui eas defenderent. Defenſore, *mutatione numeri*, *poetis familiari*, *hic eſt* defenſoribus, Graecis, *qui e nauibus pugnarent*, *et proinde*, *nauibus concrematis*, *vna fuiſſent concremati. Noſter vero ſic verba iungit:* TROAS CVM DEFENSORE, *Troianos* cum *Hectore* eorum propugnatore; *quod abſurdum*, *in quamcunque partem vertas. Qui enim* Hector *dici hic poſſet* defenſor, *cum ille eſſet*, *qui* aggrediebatur? *aut quae tanta ſeiunctio verborum*, *ſi*, *quam expreſſit rector*, *ſententia eſſet? Ne dicam*, *totam ſententiam*, *quam is effinxit*, *ieiunam eſſe et ineptnm; et eius*, *quam* Ouidii, *carminibus digniorem. Is igitur num non idoneus* ſtudiorum rector? *Nonne is ſingularis praeceptor iuuenis*, *nobili genere oriundi*, *et eximiis animi virtutibus praediti; qui*, *ſi nunquam incidiſſet in iſtius hominis*, *dignus fuiſſet viſus*, *qui in peritioris manus incidiſſet?*

Sed vt ad Boylei *querelas reuertar; ſi neque e verbo*, attribui, *nec*, nomen inſcribi, *nec*, vituperatio doctorum, *colligi poteſt*, *putare me*, *librum eius non eſſe ab ipſo conſcriptum: ſuperſunt tantum*, *quae hoc nomine notari poſſunt*, *verba*, editores, interpretes, *et* magna ingenia, *omnia in plurali numero. Sed ad haec iam reſpondi ipſe; nunc* Boyleum *audiamus. Ipſe confeſſus eſt*, vbi aliqua difficultas eſſet, conſultum rectorem: *vt duo ſaltem habeamus*, *qui operam ſuam contulerint in editionem* Phalaridis, *niſi ſemet plane excludat* Boyleus. *Quod ſi ergo vere*, *de pluribus verba iſta accipi*, *voluiſſem*, *nihil dixiſſem aliud*, *niſi*, *quod* Boyleus *verum eſſe concedit. Quid eſt autem*, *quod tam late patere debeant verba mea*, *cum tuto ſtatui poteſt*, *ad vnum tantum ſpectare? Nam etiam* Boyleus, *p. 198. in Praefatione* Phalaridi *praemiſſa*, QVANTVM SCIMVS, *inquit*, *et*, NOSTRO LABO-

RE; *et tamen, non nisi de se vno loqui se, affirmat. Quid est ergo, quod, quum* editores *dicam, et* interpretes, *non solum eum respicere possim?* Quasi vero *(p 199.)* plurali numero pro singulari nunquam vtrentur scriptores?

Liber itaque sum crimine, quo accusor, quod Boyleum *iure suo in* Phalarin *priuem. Et quamuis vulgo creditum sit, aliena opera eum adiutum fuisse; id libro meo vitio verti nequit. Contra rumore, qui iam persuaserat orbem, factum est, vt ita verba mea acciperentur. Rem enim in medio reliqueram, neue negando, neue affirmando,* Boyleum *esse auctorem. Quique veri eius amici erant, istue institutum, ab humanitate profectum, colligebant; et, plus ad laudem eius pertinere, ducebant, si repudiaret, quam si assumeret editionem cum omnibus eius vitiis.* Boyleus *alteram viam ingressus, vt suam, vindicauit; quo exitu, euentus nunc docuerit. Plus semel iam a scriptis, typis vulgatis, intellexerat, quid ea de re homines opinarentur. Ac vereor, ne maiorem istam opinionem fecerit secundo, quam primo suo conatu. Is enim, qui nomen suum inscribit in libro, ex tam diuersi generis et naturae rebus mixto, et vestimenti decoloris ad instar foedo, qui non tantum cum priore suo opere non congruat, sed male cohaereat ipse; in quo stili tanta sit dissimilitudo, quanta purpuram inter et pannos; in quo diuerso ignorantiae et cauillationis gradu, oratio modo se ipsa superior, modo inferior sit; is, inquam, qui se tam miscelli generis scriptorem* festiue exhibet, *ingenii esse* Planudei *videtur.* Neque enim esse *(p. 273.)* tam stultus aliquis potest, vt id sibi sumat, nec somniari ipse *Planudes*, tantam esse suam auctoritatem.

Porro me Boyleus *accusat, quod ipsum conuiciis petiverim; nam quod in Praefatione sua narrauit, (p. 11.)* calumniam insulsam, iniustitiam, similibusque nominibus, *voco. Hos quasi flores, ait, esse,* quibus singulas fere paginas Epistolae meae consperserim. *Iam ve-*

ro hoc, singulas fere paginas, *simile valde est illi bibliopolae*, nouem menses: *nam e CVIII. paginis, quibus comprehensa ea Epistola est, octo non amplius sunt, quae ad* Boyleum, *aut eius editionem, spectant. Quod ad reliquam partem actionis attinet; ingenue causam dicam: fateor enim, istis me nominibus tum narrationem eius vocasse, quorum aliqua nunc etiam repetii; recte, an secus, alii indicabunt. Nec est, quod eiusmodi dictis delecter: doleo magis, quod mihi dicendi, quam, quod ea audiendi occasio sibi data sit*, Boyleus. *Sed si* rem malam *facere* Boyleus *vult, excusabit me, quod* vero *suo, atque adeo* malo, nomine *eam appellem. Quod si ipse libere, quae vult, dicit, ea, quae non vult, audiet. In istis causis lex communis est hoc comici;*

Si mihi pergit, quae vult, dicere, ea, quae non vult, audiet.

Sed artium nequissimarum eum accuso *(p. 11.)*; *quod si esset verum, puderet me, fateor: nam, si vel maxime pro meritis esset, dictum id rudius, quam pro me. Sed, si locum inspexerit lector, statim* artem *animaduertet in hac accusatione. Verba enim mea sunt ipsa* Boylei, Moribus Nequissimis; *neque ea ad* Boyleum *relata, sed* Aciboum *quendam, in Epistolis, vbi, tanquam nequissimus, describitur.*

At (p. 11.) Graeci prouerbii auxilio, directe asinum eum voco. *Facta censura de loco, in* Latina Boylei *interpretatione, cui nihil commune cum* Graeco *exemplo esset*, Quo, *inquiebam*, fit, vt recorder veteris prouerbii *Graeci:* „Alia *Leucon*, alia portat asinus.„ *Vbi, quum* asinum *dico, manifesto* Sophista *est, quem antehac* asinum in pelle leonis *vocaueram. Quod si tanto opere* Phalarin *suum diligit* Boyleus, *vt locum cum eo commutare ibi velit, num mea causa est? Testor solum, partes ei* Leuconis *a me datas esse; quas si cedere velit*, certent *(p. 25.)* duo amici mutuis inter se officiis.

Siccine vero Boyleus *comparare similitudines? Num*

res, quibuscum compares, directe ad eos spectare de quibus sermo fiat, existimandae sunt? Si malum criticum comparo (p. 11.) imperito mangoni, qui in detrito lebete loco vnius, duo relinquat foramina: *num accusandus ego sum, quasi mangonem eum dixerim? Hac ratione* Homerus *heroes suos dixerit lupos, sues, canes, tauros. Cumque* Horatius *hanc sui comparationem facit, Sat. I. 9.*

Demitto auriculas, vt iniquae mentis asellus:

Boyleus *dicet*, Eum semet directe asinum vocare. *Sed meminerit* Anglici *prouerbii, (that* Similitudes do not walk upon All Four) Similitudines, *ductas licet ex asinis*, quatuor pedibus non insistere.

Bona cum venia lectoris, generaliter hic defendam, quidquid, siue in Dissertatione *mea, siue* Responsione, *dictum grauius videatur. Illud vnum mihi peto, imo pro iure meo postulo, vt, causam meam suam esse, ponat: tum autem, si candide dixerit, se minori cum aegritudinis significatione ad tot calumnias fuisse responsurum; eius iudicium subire, non recusabo. Sed per est difficile ei, ad quem iniuria non pertineat, aequum esse arbitrari. Facile putabit, eius, qui sit laesus, nimiam esse iram; quod minus afficitur animi, qui videt, quam, qui sentit, iniuriam. Ipse* Iobus, *qua erat patientia, accusatus ab amicis est, qui malorum participes non erant, quod minus constanti esset animo. Praeterea humanae naturae commune vitium est, quod* Graeco *vocabulo exprimi liceat,* Ἐπιχαιρεκακία. *Est quaedam in animo latens voluptas, quam ex conspectu malorum alterius capias, tutus ipse; atque ita, spectatores, videmus, cum aliquis luctando in terram deiiciatur, recreari spectaculo, oblectarique. Egregium dictum* Solonis, *apud* Laert. *in Sol. et dignum sapientissimo de septem; qui interrogatus,* Πῶς ἥκιστα ἀδικοῖεν οἱ ἄνθρωποι; Quemadmodum quam minime iniuriam facerent homines? Εἰ ὁμοίως, *inquit,* ἄχθοιντο τοῖς ἀδικουμένοις οἱ μὴ ἀδικούμενοι. Si non passi iniuriam aeque, atque passi, grauiter ferrent. *Modo lector viri illius excellentis consilium sequa-*

tur, et aeque grauiter ferat iniuriam, mihi factam, ac si sibi sit illata; quauis sponsione contendam, non temere eum sibi persuasurum, nimia me vsum acerbitate.

Odi femineas querelas iniuriarum: quod proximum vitium ei, quo istis dignus fias. Multo minus Boyleum *imitabor, qui pauca ista verba* Dissertationis *meae, quae aliquam aegritudinem spirabant, collegit, et sexies repetiit. Si enim singulas iniurias exsutere vellem, totus eius liber describendus esset, qui, quantus cunque est, nihil nisi errorum et calumniarum cumulus est.*

Sed vnum est, dictum rudius, quam quod praetermitti possit, quod aeque in alios, ac me cadat. Satis mihi apparet, *inquit, p. 232.* quam sit alienum a vita et rationibus amanuensis, euehi ad dignitatem professoris theologiae. *Equidem mihi persuadeo, ingenuum lectorem fore nullum, quem non offendat eius insolentia, cum haec audeat dicere; quae, et in totum ordinem episcoporum, et in totam vniuersitatem literariam, iniuriosa et contumeliosa sunt. Quasi is, qui, iuuenis, fuit amanuensis episcopi, isto nomine fieri nunquam possit doctor theologiae; quasi omnes, in vniuersitate, qui isto eum honore mactarunt, et praui aestimatores sint meritorum eius, et officii sui ignari. Nunquam puduerit me, quod vir plurimum reuerendus, episcopus* Worcestriensis, *in aliqua disciplina, ministro me vsus sit. Sed nunquam viri illustris, aut alius, amanuensis fui: nec ille vnquam vsus amanuensi est. Tam parum, quod deceat, quodue verum sit, scriptor hic Censurae curat. Primum custos filii viri illustris fui, dein ipsi a sacris; semperque et honori, et felicitati, mihi ducam, quod quatuordecim annos cum eo vixerim familiarissime; quem gloriam ecclesiae nostrae et nationis esse, ne ipsa quidem Inuidia negabit; cuius, praeter ingenium altissimum sagacissimumque, in omni disciplinarum genere tanta eruditio, quanta aliorum post eum maxima est in aliqua. Ac mihi persuadeo, virum hunc excellentem, nec de mea pro-*

bitate, nec eruditione, tam male sentire, vt, quas mihi instruxerit scriptor Censurae, calumniis credat.

Quod porro ad generalem descriptionem, et quasi picturam, attinet, qua exprimere me conatus sit Boyleus, *tanquam qui nec habeam eruditionem, nec iudicium, nec vim rationis, nec scientiam in libris, nisi indicibus et lexicis, quaeque alia plura sunt contemtionis extremae testimonia, praecipua argumenta libri eius; ea silentio a me praetermitti posse, arbitror. Neque vnquam, de his rebus, inter nos orietur controuersia. Sit, quam magnum putet ipse, eius nomen; meum vero, quam id putet, paruum. Sed tum disceptandum ei erit cum quibusdam aliis, quorum, de me meisque scriptis, publice exstant testimonia, quam quae maxime, contraria* Boylei *sententiae.*

Ac primum quidem bellum criticum indicat Ezechieli Spanhemio, *viro illustri, qui sic de me, Obs. in* Iulian. *p. 19.* Sed de hoc *Philostrati* loco meliora forte nos docebit, qui noua versione, et luculento commentario eundem auctorem explanandum et illustrandum suscepit, nouum idemque iam lucidum literatae *Britanniae* sidus, *Richardus Bentleius. Et, in* Callim. *p. 445.* Talia autem in *Hesychium*, ὅσα κόνις, irrepsisse, et quibus foede inquinatae sint eius glossae, et pridem ad eum vidimus, ac passim animaduertimus; et nouissime etiam in eruditissima ad *Io. Millium* Epistola, post *Io. Malalam* edita, luculenter adductis pluribus eam in rem exemplis adseruit oriens nouum literatae *Britanniae* sidus, *Richardus Bentleius. Et, ib. p. 605.* An vero nihil vspiam de illa fabella, quamquam ab aliis passim memoretur, a *Sophocle* sit memoratum, quod statuit in Epistola *Malalae* addita vir eruditissimus, et a quo magnum praeclaris doctrinarum studiis incrementum licet augurari. *Laudes, puto, non vulgares sunt, quibus vir hicce magnus me ornauit; nec consecutum me eas priuato aliquo officio,* Boyleo, *spondeo: nam ne vllas quidem vnquam literas adhuc ad* Spanhemium *dedi.*

Vt, quidquid de me dixerit, sponte sua dixerit; atque exitus docebit, num hac disputatione de Phalaride *perficiatur, vt eius rei ipsum poeniteat.*

Impugnet stilo suo formidoloso Graeuium, *qui, praeter Dedicationem iam citatam, in Praefat. ad* Callim. *sic de me:* Videbis hic, Lector studiose *Musicarum* cupediarum, et aliud, quod tuo palato, simul ac gustaris, sat scio arridebit mirifice. *Richardus Bentleius*, potentissimo regi *Gulielmo* a bibliotheca, nouum, sed splendidissimum *Britanniae* lumen, certior a me factus de hac *Callimachi* Editione, perferri ad nos iussit eruditissimas animaduersiones in quaedam Hymnorum loca et in Epigrammata, quibus adiecit noua non pauca, quae lucem antea nunquam adspexerant; alia, quae quidem ante legebantur, sed a nemine fuerant intellecta, clara luce perfudit. *Sed, puto, opponet* Boyleus, *Esse amicitiam, quae mihi cum viro hoc doctissimo intercedat, quod tam amplum de me testimonium det: sed qui candidi magis sunt, eius contrarium potius credent, me, meaque studia esse, ob quae amicitia sua dignum me existimauerit.*

Non multum, puto, Spanhemii *et* Graeuii *iudicio tribuet* Boyleus: *nam, qui tam falsus sui ipsius aestimator est, is verus aliorum haberi nequit. Sed libere dicam ei, malle me paucas has laudes magnorum istorum virorum, quam elaboratissimum panegyricum eius, suorumque. Nec vnquam consentiam, loca haec deleri, quo vna cum iis deleantur, quaecunque contumeliose in me aut scripserit, aut posthac scripturus sit. Vt enim laudari a summis viris, ea demum laus maxima est: ita vituperari ab hominibus imperitis illarum rerum, de quibus iudicare velint, minima vituperatio.*

Praeter testimonia summorum horum virorum, alia proferre in medium, nolo; ne numero, quam meritis eorum, qui me laudent, magis confidere videar. Cum hoc consentio, qui erat Contentus paucis, sed magnis lau-

datoribus. *Iterum vtar eadem argumentandi ratione, qua contra* Varium Sucronensem *vsus est* Aemilius Scaurus *(supr. p. 13.): Spanhemius et Graeuius* summis laudibus extollunt *Bentleii* eruditionem; *Boyleus*, quantum pro malitia sua potest, deprimit: Vtri creditis, *Quirites?* Vtri testimonio aetas nostra, aut posteritas credet?

Fecit scriptor Censurae descriptiones, alteram inepti scientiae ostentatoris *(of a* Pedant *), alteram* boni critici; *eo consilio, vt priore meam quasi imaginem, posteriore suam, exprimeret. Sed, si cum animalibus exemplis imagines composuerit lector, inuitus forte hic alterum locorum meum commutabit iste, vt voluntarius fecit cum sophista, (supr.) in causa* Leuconis *et* asini.

Primum certissimumque indicium, quo ostentatorem ineptum cognoscat, *(p. 93.)* est, cum aliquis scribit, non seruatis legibus humanitatis, eiusue, quod deceat, nec ratione habita personarum illorum, aduersus quos scribat. *Hoc nomine duo, a me dicta, notat, p. 94. et tamen vtrumque, et humane, et vere, dictum. Dein quaedam commemorat, in se ipsum* inhumane *a me* dicta (Course Complements), *ad quae iam respondi: solum hic dicit, se comparari a mecum* Luciani asino; *quod si verum, non* inhumane *fuisset, sed* officiosissime factum. *Erat enim in* Luciani asino *magna vis rationis, et ingenii, isque omnes suos sessores anteibat intelligentia: erat ipse* Lucianus, *in forma asini; et ad ridendum iocandumque, quam vnquam erit scriptor Censurae, licet in eo omne suum studium collocasse videatur, aptior. Adhaec, obseruet, vel id lector,* Boyleum *in hoc loco scripsisse* Luciani asinum; *sed in alio recte citat* Leuconis asinum: *dicitur tamen vterque ab eadem manu profectus.*

Sed componamus scriptorem Censurae cum pictura, vt appareat, an forte huius cum ipso aliqua similitudo sit. Num is leges humanitatis *seruauit, cum librum scripsit,*

tam ſcurrilibus, tam acerbis, conſperſum iocis, vt ſimilem nondum viderit aetas noſtra? Num is ſeruauit, quod deceat, *cum tot rumores auditionesque arripuit, quas hominem ingenue educatum repetere puderet? Num is rationem habuit* perſonae illius, aduerſus quem ſcriberet, *cum, leuiſſima ſuſpicione incenſus, contumelioſiſſime laeſit hominem ſacri ordinis, theologiae doctorem, miniſtrum domeſticum vnius de maximis regibus, quique primus fuerit, cui delatum munus orationes ſacras recitandi, quemadmodum inſtituerit magnus* Boyleus, *vnus de proximis ſcriptoris Cenſurae? Si in his nec* humanitatis *leges ſeruantur, nec* id, quod deceat, *nec* ratio habetur perſonarum: *primo certiſſimoque, quo oſtentatorem ineptum cognoſcat ille, indicio ſe ipſum, puto, prodit.*

Secundnm iudicium *(p. 93.)* eſt, cum verbo *Latino*, aut *Graeco*, aliquis vtitur in ſermone *Anglico*, vbi *Anglicum*, eſt, quod idem ſignificat (that Signifies the very ſame thing). *Quod ſi hoc vnum eſt de indiciis, quae habet, ſua ipſius confeſſione, ſtat, eſſe eum oſtentatorem; nam, in hac ipſa ſententia, quo vſus eſt, verbum,* Signifie, Latinum *eſt, et habent* Angli, *quo eandem rem exprimant (that* Means *the very ſame thing). Nec ergo iniuria eſt, ſi ſcriptorem Cenſurae, hoc nomine,* oſtentatorem ineptum ſcientiae *vocamus. Sed ſi tam generalis cenſura, quam temerarius auctor hic fecit, ſemper fuiſſet de illis facta, qui linguam noſtram* Latinis Graecis *que copiis locupletiorem faciant; quam fuiſſet miſera eius conditio? Notum eſt, vix eam, natura ſua, verba habere, niſi vnius ſyllabae. Quid ergo? an reliqua omnia inuecta ab* ineptis ſcientiae oſtentatoribus? *Hac via, quidquid nomen iſtud ignominioſi habet, in optimos quosque ſcriptores noſtros cadet; nec in quemquam grauius, quam in* Robertum Boyleum, *virum ſummum, de proximis ſcriptoris Cenſurae, cuius ſcripta verbis iſtiusmodi* Latinis *conſperſa ſunt. Sed quotiescunque ſcriptoris Cenſurae furor in me erumpit, in obuium quemque fertur, ſine vllo*

discrimine, aut animi prouisione, quem sit petiturus, siue is sit eius proximus, aut ipse etiam. Verba, in libro meo, quae arguit, sunt Commentitious, Repudiate, Concede, Aliene, Vernacular, Timid, Negoce, Putid, *et* Idiom: *quorum singula reperiuntur in libris, typis descriptis ante, quam iis vsus sim ego; pleraque autem, ante, quam natus essem. Haec autem omnia nonne formata ratione sunt, et in eodem loco, in quo in sua lingua erant, remanserunt? Cur ex* negocium *formari non licet* Negoce, *aeque atque ex* commercium Commerce, *ex* palatium Palace? *Nonne antehac idem nobiscum institutum tenuit gens* Gallica? *Nonne etiam nos vtimur* Negotiate, *et* Negotiation, *verbis, ab eadem stirpe profectis, et vulgo notis? Quid est, cur non aeque mihi, dicere* Aliene, *liceat, atque doctissimo* Henrico Spelmanno; *qui vsus eo est LXXX. abhinc annis, nec tamen vnquam habitus ostentator? Sed* Verba mea *(p. 287.)* mox, puto, prolata in lucem, exsibilata fuerint. *Si hoc; longe fuissent ante, quam prodierim ego. Cogitasset scriptor Censurae ante, quam sententiam suam tam audacter pronunciasset, quis fuerit, qui orationem suam distingueret verbis* Ignore, Recognosce, *aliis istius generis, quod eius institutum adhuc imitatus est nemo. Nam, si quid argumento suo probaret, nimium probaret; referretque gloriam suae gentis in numerum ostentatorum. Profiteor tamen, non tantum meis verbis, sed his etiam (modo parce, et semel aut bis ad summum, in CVIII. paginis) vti me malle, quam vno isto scriptoris Censurae* Cotemporary, *(p. 166, 167.), quod plane barbarum. Nam nunquam* Latini *vtuntur* co, *pro* con, *nisi ante vocalem, vt in* Coequal, Coeternal; *sed ante consonantem vel retinent* n, *vt in* Contemporary, Constitution; *vel, mollioris soni causa, in aliam literam conuertunt, vt in* Collection, Comprehension. *Vt* Cotemporary *scriptoris Censurae nomen sit suae copositionis, quod ei cogratulaturi sint literati.*

Eſt aliud oſtentatori proprium, *(p. 94.)* vſus *Graecorum* et *Latinorum* prouerbiorum. *Tamen ſemel adhuc periclitabor, et audacter vtar dicto, quod in conſuetudinem prouerbii venerit:*

Homine iniuſto nunquam quidquam iniuſtius,
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.

Dic, ſodes; cur magis eo oſtentator dicendus ſum, cum, in ſermone Anglico, Latinis, *quam* Cicero, *cum, in* Latino, Graecis *prouerbiis vtitur? Quin* Graeca *prouerbia ipſa nonne aeque decent nunc in* Anglico, *quam tum in* Latino *ſermone? Quod ſi vel tantulum a ſui* Phalaridis *Epiſtolis erit otii* Boyleo, *vt inſpiciat* Ciceronem, *nullam temere paginam inueniet, ex qua non appareat, eum eſſe de grege oſtentatorum. Si prouerbiis fuiſſem vſus in meis in* Atheos Sermonibus, *aut in aliquo argumento temporeue ſollemni, iure fuiſſem reprehenſus a ſcriptore Cenſurae. Sed reprehendere vſum eorum in Epiſtola aut Diſſertatione, qui ſemper habitus proprius eorum locus, id ipſum ſummae ignorantiae et oſtentationis eſt. Nam, aut ibi, aut in nullo ſcripturae genere, iſtorum vſus oſtentatione vacat. Vt* Ariſtoteles, Theophraſtus, Chryſippus, Ariſtarchus, *alii ex antiquitate viri doctiſſimi, tum de noſtris ſcriptoribus magnus* Eraſmus *et* Scaliger, *prouerbia vndique collecta in corpus redegerint, ſolum vt vſui eſſent* ineptis ſcientiae oſtentatoribus. *Plena eorum ſunt ipſa ſcripta* Eraſmi; *quem tamen, et minus ſapuiſſe* Boyleo, *eiusque rectoribus, et magis oſtentaſſe ſcientiam ſuam, qui putet, arbitror, fore neminem. Loca autem, ex quibus, tanquam theſauris ea depromſerit, ſunt ſcripta* Platonis, Plutarchi, Luciani; *qui*, quibusdam de faece literatorum *oſtentatores* videbuntur *(p. 99.)* fortaſſis; ab intelligentibus tamen et ſapientibus *habebuntur viri cognitionis et ſcientiae.*

Aliud *(p. 94.)* oſtentatoris inepti eſt, venditare nimio ſcientiam ſuam. *Iudicabunt omnes, vtri noſtrum, ſcriptorine Cenſurae, an mihi, haec oſtentatoris deſcriptio*

magis conueniat? Nihil adhuc vnquam publicaui, nisi rogatu aliorum. Sermones mei sacri, ex instituto Boylei *habiti, typis descripti sunt, iussu virorum ornatissimorum, eius rei curatorum (the Honourable the Trustees); Epistola mea, de* Io. Antiochensi, *rogatu viri plurimum reuerendi, Episcopi* Lichfieldiensis; *meae in* Callimachum *Obseruationes*, Graeuii; *mea de* Phalaride *Dissertatio*, Wottoni. *Vnicus liber, quem mea causa scripsi, haec Responsio est ad* Boylei *Censuram: nec istum in magno pretio apud me esse, et spondeo; errores, quos coarguit, tot sunt numero, tam graues, tam aperti, vt ne, vicisse quidem mihi valde gloriosum, ducam.*

Verum enim vero is, qui nimio *ingenium suum* venditat, *contrarium huius facit. Interponit se causis alienis; obtrudit aliis inuenta sua; licet nec amici eum rogent, nec res postulet. Haec autem nonne apte quadrant in scriptorem Censurae? Librum scripsit amplum, causa* Epistolarum Phalaridis, *qui populo adhuc oblectamento et voluptati fuit, et posthac erit, sed ratione diuersa; tamen profitetur, p. 202.* NIHIL OMNINO sua interfuisse vt eas vindicaret.

Sed *(p. 94.)* arroganter et contumaciter scribere, de rebus inprimis, quae in demonstrationem non cadant, ostentatoris est. *Vt iam omittam reliquam partem libri eius, qui nihil aliud est, nisi errorum, aliorum super alios aceruatorum, cumulus, quam arrogantissime et acerbissime scriptus; contentus ero, si, ad hoc ipsum eius libri caput, contentio fuerit facta, vter nostrum sit, ex quo ductum sit hoc exemplar. Citauit hic loca XV. ex mea Dissertatione, quae* arroganter scripta, et contumaciter, *affirmat, esse tamen* falsa, certo constare. *Cum omnia vera sunt, et* demonstrari *possunt, excepto vno, de προδεδωκότα, in quo erratum leuiter, nec id quoque scriptum* arroganter. *Sed quid* Boyleus? Vbi contrarium, *inquit*, verum esse, CERTO CONSTAT; vt est, et, esse, probatur, OMNIBVS istis exemplis,

huc relatis. *Quid est tandem, scriptum* arroganter et contumaciter, *nisi hoc est? Et tamen in quatuordecim de quindecim, quae citat, locis misere errat.*

Recedere a communi via scribendi *(p. 95.)*, vt accuratior quaedam diligentia appareat, genus affectationis est, quod sapiat ostentatorem ineptum. *Quo nomine reprehendit, quod scribam* Taurominium; GENERALITER *enim* Tauromenium *solere scribi, et olim, et nunc. Quod si iam, contrarium* verum, esse constiterit, *vter nostrum tunc erit ostentator? Quid omnes libros, tam editos, quam manuscriptos, in quibus res* Siculae *tractantur, excussit diligentissime, doctissimus* Cluuerius, *Sicil. p. 90.* Scriptum, *inquid*, aliquando *Tauromenium*, aliquando *Tauromenia*, PLERVMQVE *Taurominium. Ac* Boyleus *aliter, atque adhuc fecerit, scribat, oportet, ante, quam eius testimonium isti* Cluuerii *praeferatur.*

Parumper *hic* de via deflectit *Boyleus (p. 69.)*, vt caussam defendat ...... contra *Wottonum, qui reprehendit vsum absurdum nominis* Delphos *pro* Delphi. *Quod quoniam in ea, quam ingressus sum,* via est, *pro* Wottono *caussam dicam: nam re vera mea est; quia ipse quoque* Delphi *scripsi, spreto vulgari errore. Defendit suum* Delphos Boyleus, *hac sola de caussa, quod fuerit communis scribendi mos* Anglorum, *quorum quinque, qui sic vocent, ibi nominat. Lepidum, hercule, argumentum, dignum, quod sit eius! Quasi vero error, qui omnium sensibus patet, si quando in consuetudinem venerit loquendi, propterea nunquam sit depellendus? Dixeris, istud traditum eum accepisse a* Sacrifico *Anglo, qui* per XXX. annos *Mumsimus* legere solitus erat loco *Sumsimus*; et, quum moneretur a docto, vt errorem emendaret, respondebat, se nolle mutare suum antiquum *Mumsimus* ipsius nouo *Sumsimus. Res nota est, sed eam expressi verbis* Richardi Pacei *(De fructu, qui ex doctrina percipitur*, Basil. *MDXVII. p. 80.), viri negotiosi non tantum, sed etiam*

legati, cuius apud scriptorem Censurae, istis nominibus, auctoritas maior erit. Quod si igitur Boyleus *suum antiquum* Delphos *commutare cum nostro nouo* Delphi *nolit; habeat, quoad libuerit, suum* Mumsimus. *Sin, vt* bene Anglicum, *nobis obtrudere velit, istius gratiam facimus. Nondum in* Anglia *tam communis verbi consuetudo, quin fieri possit, imo certo futurum sit, vt rursus in Barbariam, tanquam patriam suam, mittatur. Sunt alia nobis exempla verborum, quorum et longe diuturnior vsus, et crebrior, quam quidem is demonstrauerit, fuisse sui* Delphos, *et tamen tantem* exsibilata *fuerunt. In vetere editione* Bibliorum Anglicorum, *rege* Henrico VIII. *Act. Apost. XX. 14, 15. scriptum* Asson *et* Mileton; *dein, regina* Elisabetha, *mutatum in* Asson *et* Miletum; *postremis vero curis, regi* Iacobo I. *tandem correctum fuit,* Assos *et* Miletus. *Habes causam simillimam huic scriptoris Censurae;* Miletum*; et* Asson, *primum habiti casus primi; quemadmodum* Delphos, *errore creditum, simile esse nominibus* Argos, Samos, Delos. *Sed videmus, meliora edoctos verba repudiasse. Nec regia auctoritate, nec communi consuetudine loquendi singulorum populorum, ac propemodum familiarum, in* Anglia, *ante duas aut tres aetates, prohiberi potuit, quo minus exploderentur. Ex quo manifesto apparet, omnes tum credidisse, maiorem analogiae et rationis vim esse, quam, quem longinqua et communis consuetudo iis attulerit, vulgaris erroris. In vetusta Interpretatione* Virgilii, *edita a* Phaerio *et* Thyneo, *nominantur XII. libri,* Virgil's Aeneidos; *et singulae paginae inscribuntur: I. vel II. vel III. Book of* Virgil's Aeneidos. *Dubium non est, quin iste mos loquendi tum fuerit communis omnium* Anglorum. *Vt, si scriptoris Censurae* Mumsimus *argumenti habeat;* Aeneidos *etiamnum dicendum sit; isti vero, qui vocent* Aeneis, *vt ostentatores, explodendi. Equidem spondeo scriptori Censurae, fore, vt ipsius* Delphos *paucis post annis aeque barbarum habeatur, atque* Aeneidos; *et, si forte fortuna*

alicubi fuerit conseruatus eius liber, vt sint veluti Topica, quibus contineantur loci iocandi, cauillandi, et quibuscunque modis calumniandi; haec ipsa pagina, de Delphos, *forte ante, quam ad senectutem peruenit, in testimonium contra ipsum vertat. Video, virum excellentem, Episcopum* Lichfieldiensem *(qui, vt apparet ex admirabili eius Lexico, post librum, quem vir summus, Episcopus* Wilkinsius, *inscripsit* Real Character, *edito, lingua* Anglica *omnium, qui nunc sunt, peritissimus est)* Delphi *vocare, in sua, typis descripta, licet non publicata,* Chronologia, *quam inspicere mihi contigit: atque ita doctissimum* Stanleium *dudum ante, in* Lives of the Philosophers. *Equidem non vitupero viros illos egregios, qui imprudentes in vulgarem errorem sunt adducti; at contemtio illorum, qui depellere eum studeant, quid aliud declarant, nisi ingenium hominis contumacis et ostentatoris?*

Sed captanda haec occasio est, vt aliam causam defendam Wottoni. *Nam, sperandum, ait scriptor Censurae, fore, vt publice declaret* Wottonus, *se nec adiuuasse me, nec comprobasse meam Dissertationem. Sed dimidium istius laboris suscipere possum; atque ea de causa hic testor, nec* Wottonum, *nec vllum alium, adiuuasse me, siue in hoc opere: vt solus ego tenear in erroribus, qui in vtroque insint.*

Etsi, ad hoc testimonium peritiae, quam habeat in linguis et stilo Boyleus, *plura addi, necesse non est, vt possim tuto despicere eius de mea iudicium: peto tamen a lectore, vt ne aegre ferat, quod ad ea, quae iste arguerit, quantum quidem nunc recordor, respondeam. Bis terue in suo libro illudit, quod dixi,* PRIMVS INVENTOR, *quasi sonitus inanis sit, nulla subiecta sententia. Si hoc; nouum plane genus est, et melius, puto, cadet, quam sententia* τοῦ δεῖνα; *nam et ratione, et auctoritate, innititur. Nomen* PRIMVS *ibi non est inane, nec, quum dico* PRIMVM INVENTOREM, ταυτολογία *est; nam et primus, et secundus, et plures, inuentores eiusdem*

rei esse vere possunt. Chinenses *inuenerunt tubos bellicos* (Guns), *et scripturam, quae typis fiat: atque ita* Europaei; *inscii, tum temporis, vsus, qui esset istarum rerum in* Oriente*; et cur non quaeri potest, Quis* PRIMVS INVENERIT, *sine metu, ne sonitus sit inanis? Non tantum ergo metuendum* Terentio *est, sed manifesto conuictus is est hoc, Eunuch. II. 2.*

Hoc nouum est aucupium: ego adeo hanc PRIMVS INVENI viam:

atque ita Lucretius, *vbi de doctore suo loquitur, l. V. 9.*

Qui PRINCEPS vitae rationem INVENIT eam, quae
Nunc appellatur sapientia —

Quibus plures addi e Latinis, *necesse non est: videamus, an non aliqui ex optimis scriptoribus* Graecis *in eodem vitio sint. Hos inter* Pindarum *esse, quam quem maxime, comperio, apud* Athen. 635. Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ᾽ ὁ Λέσβιος ΕΥΡΕ ΠΡΩΤΟΣ ἐν δειπνοῖσι Λύδιον ψαλμόν· *et eadem ratione* Herodotum *et* Platonem; illum, *quum dicat, l. II. p. 91.* ΠΡΩΤΟΥΣ Αἰγυπτίους ἁπάντων ἀνθρώπων ΕΞΕΥΡΕΕΙΝ τὸν ἐνιαυτόν· *hunc, in Phaedr.* Τοῦτον δὲ τὸν Θεῦθ ΠΡΩΤΟΝ ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν ΕΥΡΕΙΝ. *Aut si libris typis descriptis non credat scriptor Censurae, dabo, quod est in inscriptione Marmor.* Arundel. *l. 19.* Ὕαγνις ὁ Φρὺξ αὐλεὺς ΠΡΩΤΟΣ ΗΥΡΕΝ. *Iam vero* Boyleus *nonne peritus aestimator est, cum me cauillatur, quia verbis sum vsus, quae optimi quique scriptores toties in ore habuerunt? Nam, praeter loca hic prolata in medium, quinquaginta amplius proferri posse, spondeo: et est genus loquendi, quo optimi quique nostri scriptores communiter vtantur; inprimis* Anglicus *ille noster* Cicero, *plurimum reuerendus Episcopus* Rochestriensis, *in* History of the Royal Society: *vbi Philosophia et Eloquentia tam arcto foedere amicitiae in gratiam rediere, quam mille septingentis abhinc annis in* Ciceronis Philosophicis.

Aliud, ingeniose dictum, *cuius, vt ait ille, p. 73.* auctor ego sum, *est* The MEEN of a FACE; *quod, vt accepit ille, idem ac* The Behaviour of a Look, (habitus speciei), *aut* The Carriage of a Smile (gestus risus). *Est aliquid obscuritatis in eius verbis, nec, vt intelligo, inter lectores eius conuenit, quid animo intenderit. Videtur tamen hoc esse,* Meen *significare habitum gestumque totius corporis, nec posse tribui vni alicui parti, ori. Ex quo apparet, esse eum aeque bene versatum in linguis, quae nunc sint, atque antiquis. Nam* Meen *non est* Behaviour, *ne tum quidem, cum de toto corpore dicitur, sed species, quam videmus, eius. Nomen* Meen *a stirpe* Gallica *est profectum, vnde et in* Angliam *et in* Italiam *translatum. Vt subiecta notio vsu, qui sit eius apud* Gallos, *illustrari debeat. Quos si consulueris, intelliges, nomen* Mine, *etsi late pateat, et totius hominis speciem saepe spectet, propria tamen, et natiua sua virtute esse,* speciem oris. *Ita* Pomey, *iu Lexico suo;* MINE DU VISAGE, *(quod est ipsum* Meen of a Face) oris species, oris habitus, natiua vultus compositio. *Atque ita in nouissimo Lexico, nomine Vniuersitatis literariae inscripto;* MINE, l'air, qui resulte de la conformation exterieure de la personne, et principalement du visage. *Dixeris, scriptorem Censurae, cum ore* Balzaci *et* Bruyerii *loquentem (p. 98, 99.) audias, in scriptis* Gallorum *hospitem non esse; ex hoc tamen exemplo apparet, aeque istius linguae, ac* Graecae, *rudem esse. Sed forte, post nouissimum suum iter* Parisias, *attulerit secum redux* une mine du Visage, *etsi non transtulit secum* a meen of a Face.

Aliud, *inquit p. 97.* ostentatoris inepti est, studium vehemens, et quasi pruritus contradicendi viris summis, futilibus de causis. *Fateor, aliquando, in scriptis meis, rem postulare, vt* contradicam viris summis, *coarguendo illos errores, in quos imprudentes, aut ignari, sint adducti. Sed tum id facio sine vlla deminutione digni-*

tatis personarum; in quo si modestia seruatur, haec iis contradicendi ratio summis laudibus digna est, et est genus ostentationis, cuius scriptor Censurae, eiusque rector, nunquam arguentur. Est autem id, cuius me accusat, quod (p. 98.) verbis acerbissimis reprehendi *Grotium* et *Scaligerum*, quod numeros anapaesti ignorarent; *quod an* futilibus de caussis *fecerim. hac ipsa Responsio declarabit. Sed videamus, num possit verbis scriptoris Censurae probari forte, postremam hanc descriptionem ostentatoris, in ipsummet cadere.* Cum PLANVM est, *inquit,* vt OSTENDAM, ANTEQVAM FINEM SCRIBENDI fecero, *Bentleium* nunquam fuisse reprehensurum eos, si ipse cognouisset. *Quam horribiles minae, quam miseri conatus! Sunt ea, quae ibi in medium protulit, tam turpia, et foeda, tam indigna venia, vel in puero, tanta iis ignorantia proditur legum notissimarum* prosodiae *et* syntaxeos; *vt, modo satis scientiae habeat ad cognoscendum, cum sit refutatus (quod vnicuique uon contingit), prudenter faciat, si, quoad victurus sit, a scribendo abstineat de isto genere eruditionis.*

Quod si pruritus contradicendi *viris summis*, futilibus *de causis, ostentationem sapit; praecipua eius vis virtusque non potest non esse in eo posita, vt, sine vlla causa, viros summos contemnas, despiciasque. Ac nouimus scriptorem nouissimum, qui, in principio operis sui,* Dionem Chrysostomum *vocet* sophistam et declamatorem omnium imperitissimum, *(p. 26.) eiusque Orationes* ingratas, et insulsas *(p. 28.)*; *qui neget, in* Manilio vim vllam ingenii esse, *eumque inter et* Ouidium *tantum interesse, quantum* Thersiten *et* Nireum *(p. 238.)*; *qui dicat*, Laertium scriptorem esse ipsi *Bentleio* similem, *id est, vt is me depinxit, omnium pessimum; qui* Athenaeum rudem et insolentem *appellet, et* contumacissimum rusticum, *non aliam nactus eius occasionem, nisi quae sua ipsi ignorantia sit oblata. Paucis exponam, qua*

Athenaeum *iniuria affecerit*, *vt appareat*, *quanto molis opus fit*, *vt euadas* Phalaridis *defenfor*.

Accufat Athenaeum *fcriptor Cenfurae, quod, p. 216.* Platonem *appellet* canem *et* mendacem. *Verba* Athenaei *funt*, Antifthenem *idem dicere de* Socrate, *quod* Platonem; *fed falfum effe.* Χαρίζεται γὰρ καὶ ὁ κύων οὗτος πολλὰ τῷ Σωκράτει· Nam quoque hic *Cynicus* in multis *Socrati* obfequitur. *Erat* Diogenis *magifter, et fectae* Cynicorum *auctor*, Antifthenes: *vt* κύων *hic fit* Cynicus, *non* canis; *et tantum abfit a conuitio*, *vt ab omnibus iftius fectae adfcitum fuerit*, *tamquam nomen honorificum*. *Sed doctiffimus fagaciffimusque* Boyleus *pro* cane *accepit*, *voluitque*, Platonem, *aeque atque* Antifthenem, *participem effe nominis; quod* Athenaeus οὐδ' ἐν ὀνείρῳ. *Iam quaero, an non haec optima occafio fit fcriptorem tam excellentem vocandi* infolentem *et* contumacem rufticum? *Sed recentiffima nobis exempla funt*, *quibus pateat*, *non effe iftas virtutes folis* rufticis *proprias*.

Boyleus *vero non contentus*, *male tractaffe veteres*, *e recentioribus etiam viros quosdam principes verborum contumeliis lacerauit. Salmafium*, *ait*, *p. 225.* et *Scaligerum* nihil effe, nifi FEL, FASTVM, et OSTENTATIONEM; quo factum, vt, qua abundarent, doctrina tam eos dedeceret, vt omnes defpicerent, contemnerentque eos tum, cum ab iis difcerent. *Potuiffet addere*, *eos* defpici *et* contemni *a quibusdam*, *qui nunquam apti futuri fint*, *vt* ab iis difcant. *Haec vero* verba *effe*, quae deceant tironem in fcribendo (*Praef. p. 3.*)? *Imo vero proficifci non potuerunt*, *nifi ex ore* tironis, *et imperiti* fcriptoris, *qui nec opera fummorum virorum*, *nec hiftoriam cognofcat iftorum temporum.* Omnesne defpicere et contemnere eos, *quos admirarentur*, *et quorum ambirent amicitiam maximi principes? qui follemni legatione inuitati*, *vt*, *relicta patria*, *potentiffimam Rempublicam fua praefentia ornarent, ibique*, *ab omni onere liberi*, *ampliffimis praemiis acceptis*, *dege-*

rent? qui, vt apparet ex literis, ad eos a principibus eruditorum totius Europae *datis, generaliter tanquam splendidissima lumina suae aetatis suspicerentur? Fateor, pessime a nonnullis tractatos esse; quod tamen non a* contentione, *sed contrario animorum motu proficiscebatur. Oportet,* tiro, in scribendo *non tantum, sed etiam legendo, sit, qui putet,* Miltonum *et* Petauium *tam male de* Salmasio *existimasse ipsos, quam, vt alii existimarent, efficere conarentur. Is, qui aliquem clarum meritis, vt stultum studet, et indoctum depingere, sibimet ipse mendacii poenas dat; et vel inuidia latum se, vel corruptum, prodit, vitio factionis. Praecipue autem inuisi erant viri hi summi, causa religionis. Erant reformatae ecclesiae ornamenta, quorum opera et exemplis tanta ei addebatur vis doctrinae, quanta perficiebatur, vt triumpharet de hostibus suis, qui tum omnem eruditionis laudem sibi vindicassent, et circumscripsissent partium suarum terminis. Contemnebantur propterea, calumniisque lacessebantur, ab illis, qui, si communia cum ipsis sacra habuissent, summis eos honoribus fuissent prosecuti. Vt, qui reformatae ecclesiae sint, cautos esse, deceat, ne cui, magnorum illorum virorum ingenia et mores describenti, temere credant. Et, si qua in eorum operibus, cum supercilio scripta, et nimis animose, reperientur; iis ignoscet candidus lector, memor huius* Horatii, Sume superbiam Quaesitam meritis; *eorum ingeniis tribuet aliquid, plurimum iniuriis, quas ab inuidia et obtrectatione acceperint.* Despicere et contemnere *aliquem* tum, cum ab eo discas, *tam est vitiosi animi, quam quod maxime. Vbi ad superbiam accesserint merita, a quibusdam ei ignoscetur, sed tam turpe animi ingrati vitium despicietur et contemnetur ab omnibus.*

Dein in Ludouicum Casteluetrium *inuehitur* Boyleus *quem vocat, p. 98. Italum* OSTENTATOREM, famosum studio detrectandi, et contradicendi viris magnis, futilibus de causis: *Balzacum autem* recte *sibi videri* dixisse, Esse istum communem omnium inimicum.

An vero futurum non ſit, vt ὁ δεῖνα fiat infamis ſuo detrectandi ſtudio, *ex hoc ipſo coniecturam feceris. Fuit hic* OSTENTATOR, *quem vocat modeſtus noſter auctor, vnus de ingenioſiſſimis doctiſſimisque ſcriptoribus ſuae aetatis; eiusque ſcripta tam ſunt adhuc in pretio, vt in plerisque* Europae *partibus argento expendantur. Tria tantum teſtimonia proferam.* Lilius Gyraldus, *vir clarus, in Dialog. p. 421. ſe vidiſſe, affirmat, quaedam ſcripta eius, ex quibus cognouerit, eum eſſe* Iudicio ſane quam acerrimo et eruditione non vulgari. Henricus Stephanus, Parhaſii Epiſtolas *ei dicauit, et, Quod eſt poeticae, ſubiicio, inquit,* ſagaciae, et emunctae tuae nari, Ludouice *κριτικώτατε, et ποιητικώτατε. Ac de eo ſic* Menagius, *ad* Laert. *Ludouicus Caſteluetrius* in Commentariis illis ſuis eruditiſſimis et acutiſſimis; *et,* Omnium optime acutiſſimus *Caſteluetrius. Equidem perſuaſum habeo, noſtrum ſcriptorem Cenſurae ne quidem verſum vnquam legiſſe huius auctoris; quam adeo male tractat verbis* Balzaci, *ſcriptoris, quod ſine inuidia dicatur, aliquanto inferioris* Caſteluetrio. *Aliquot abhinc annis forte fortuna in pleraque ſcripta incidi* Caſteluetrii, *eiusque aduerſariorum; ac video, omnium moleſtiarum, quas in* Italia *perpeſſus ſit ille, vnicam cauſam fuiſſe carmen, factum ab* Annibale Caro, *in* Domum Francicam: *vt ipſum eius argumentum ſufficeret ad corrumpendum iudicium* Balzaci, *aliorumque iſtius gentis. Diſperſis, per totam* Italiam *et* Galliam, *huius carminis exemplis, et ſummo cum applauſu exceptis; miſſoque eorum vno ad* Caſteluetrium Roma *per amicum, ſuſcitatum eius ſententiam, is pauca quaedam animaduerſa reſcripſit, ea conditione, vt nec publicarentur vnquam, nec ab vllo, niſi ipſo, conſpicerentur. Sed alieni iuris facta prodierunt in lucem, eoque factum, vt adeo contra eum exarſerint animi, vt* Italia *cedere miſer cogeretur, Primi verſus carminis iſtius ſunt:*

Venite à l' ombra de' gran Gigli d' oro,
Care Muſe, devote â miei Giacinti.

Vbi Musae inuitantur, vt sub vmbram veniant liliorum. Ad quod Casteluetrius *obseruat, Musas statura Pygmaeis minores esse debere, si sub vmbram liliorum veniant, qua vix insecta tegantur.* Quis tam Lucili fautor ineptus, Vt neget hoc? *Et tamen hoc et similia vitia, aeque aperta, audacter defensa sunt ab* Annibale Caro, *suisque. Habebat enim is praesidium in illo, quod in* Vniuersitate *literaria esset, totiusque collegii patrocinio defenderetur; et, quando nec ratio, nec veritas pro iis pugnabat,* Defendit numerus, iunctaeque vmbone phalanges. *Refutarunt* Casteluetrium, *scriptis* * *libellis famosis, satyris, dialogis iocosis (Burlesque Dialogues), publice habitis orationibus, scholasticis declamationibus; et tandem* ** Breui Descriptione Ludouici Casteluetrii, forma Indicis, *plena acerbitatis et iniuriarum. Hac ratione in sua controuersia versati sunt illi: et, quamuis, viuus, eorum aduersarius multa et grauia passus sit, aequius de eo posteritas iudicauit, eiusque scriptis pretium statuit maximum: cum, quae istorum sunt, de hoc argumento (nam in aliis non sine laude versati sunt) nihil habent, ob quod nunc valde requirantur, nisi celebre nomen illius, quem laedant. Hunc autem, quem virum! nemo dixerit* OSTENTATOREM Italum, *nisi is, qui turpem scribendi rationem aduersariorum eius in exemplum sibi proponat.*

Iam tempus est concludendae huius Praefationis, id quod fiet lectorem certiorem faciendo, me, cum typis describenda ea traderetur, constituisse, in hoc volumen referre Dissertationes de *Aesopo*, et reliquis; *sed haec de* Phalaride, *cum sola, exspectatione mea, sit facta maior, illas in aliud tempus differre, cogor. Sunt itaque in hac parte quaedam, ad quae lectorem reiicio, quae hic non inueniantur; sed ea omnia disputabuntur in proximis. Iam paratas illas habeo, et, quam primum vacat, exemplum facere, quod operis tradatur, eas scriptori Censurae impertiar.*

* Apologia de gli Academici di Banchi di Roma.
** Tavola de la contenenza. *Ibid.*

Plus quam ſemel (Praef. p. I, 24.) dixit, me duo aut tres annos conſumſiſſe in ſcribenda Diſſertatione; fatetur tamen, ſe nunquam vidiſſe me; quo minus poteſt, quae ſit ſtudiorum meorum ratio, ſcire. Sed ſingulare genus loquendi eſt, quo vtitur, p. 23. at a venture. *Feci iſtam Diſſertationem, quum erat otium, paucis dierum hebdomadibus; et, quando aliae paginae typis deſcribebantur, aliae componebantur.*

Quadrageſima, opinor, quam prodiit eius Cenſura, hebdomas nunc eſt; quarum octo abſens fui, nec vllam de eo, eiusque controuerſia cogitationem habui. At ſi reliquo iſto tempore hunc librum edidi, et iam parata altera pars eſt, omnibus, credo, perſuaſum erit, non potuiſſe me triennium conſumere in priore Diſſertatione CVIII. tantum paginarum. Tamen, niſi tardius deſcripta typis fuiſſet haec Reſponſio, quod prohibere non potui, aliquot abhinc menſibus iam accepiſſet eam. Poſtremo tempore, et eo valde breui, iſtius triennii, quod totum in Phalaride *contritum, ait, Notas meas in* Callimachum *ſcripſi; ac,* Boyleo *fortaſſe obſtrictum ſe, profitebitur* Graeuius, *ſi integro ſexennio ſimiles in alium ſcriptorem ab eo acceperit. Fac autem, veram eſſe hanc accuſationem; malim equidem, omne iſtud tempus conſumtum in detegenda veritate, quam triduum in errore defendendo.*

At tota quaeſtio (p. 24.) parui valde momenti eſt, in quam cogitationem ſuam intendere vel vnam hebdomadem, ſapientem pigeat. *Nec dubito, fore non paucos, quorum ſtudia ab hoc genere eruditionis ſint remota, qui eam ſententiam ſequantur. Quibus quod reſpondeam, hoc habeo, ſiquidem diſputatio plane alina ab eorum ſtudiis ſit, non eſſe, quod ſe in eam interponant; non eſſe ipſis ſcriptam, ſed aliis, qui ſciant, quemadmodum ſit aeſtimanda illa, qui, licet praecipua pars de* Phalaride, *iam ſit relicta, reliqua, quae hic, data occaſione, quaerantur, literato non indigna iudicaturi ſint. Sed ſolam hanc quaeſtionem, ſitne* Phalaris *fictus, nec ne, non parui*

momenti esse in eruditione, doctissimus Dodwellus *testis est locupletissimus; qui, cum* Phalarin *vindicaret, conatus est, istac via, multa nouare in temporibus priscae historiae. Parui facere hanc de* Phalaride *quaestionem, ob vilitatem eius, id est spernere rotundum, quod non sit quadratum. Si non sit vulgaris vsus quaestio, paucis scripta est: nam praestantissima etiam opera, de rebus grauissimi momenti, vulgo hominum minime scribuntur.*

Lubet hic anticipare descriptionem operis Boyleani, *de* Aesopo, *quod, etsi non plane indignum suo auctore, paullo tamen ipso inferius est. Stilo conscriptum est aliquanto deteriore, quam Defensio* Phalaridis; *et quae insunt eruditionis, quod vt honorifice in se dictum accipiat, pleraque deteriora. Cum vnum est, in eius de* Phalaride *Disputatione, recte dictum, de* προδίδωμι *et* διώκω; *spondeo, ne vnum quidem fore, in illa de* Aesopo, *vbi ad rationes reuocauero. Quae ibi de* Babrii *versibus differit, illis, quae hic de* anapaestis Aeschyli *et* Senecae, *deteriora deprehendentur: cuius ibi me accusat, quasi furto, quae* Neueleti *et* Camerarii *essent, mea fecerim, magis etiam falsum apparebit, quam quod hic dicit, me descripsisse* Vizzanium, *et suas ipsius* miseras Notas; *quae ibi dixit in* Socratem *illudens, demonstrabuntur contumeliosiora, si esse vera possent, quam quod hic cauillatur, p. 184. etc.* Non esse *Bentleium* auctorem Dissertationis. *Quae cauillatio cauponam magis, quam Museum olet; nec ita comparata est, vt ei respondeam ego. Sed si quis alius responderit, sua ipsius via, probaueritque, Boyleum* non esse auctorem Censurae, *e stili varietate, ex eo, quod pugnet cum editione* Phalaridis, *quod pugnet secum, quod pugnet cum* Boylei, *viri* honorati, *persona, aut aliunde ductis argumentis; id fortasse non per iocum, sed serio responsum habebitur; aut saltem, quamuis animi causa tantum sit, ridendo tamen vere dictum, existimabitur.*

Minatur mihi Boyleus *iram* totius societatis *(Praef. p. 6.), et* magni corporis eruditorum *(p. 289.). Fa-*

teor, non satis intelligere me, quid sit, cur angar his minis; Nam, vt nullam alicui societati iniuriam feci; ita non est, cur iram eius metuam. Non liquet, Boyleo *negotium datum, vt eorum nomine sic minaretur; quod nisi est, quum eo abutitur, genus quoddam libelli famosi in eos est, quod* magnum corpus eruditorum *describatur, tanquam qui auctores et defensores sint vitiorum, qui insint in ipsius libro. Equidem omni honore et veneratione prosequor splendidam et florentem illam societatem, ad quam hic, puto, respicitur, ac valde iniuriosum in eos existimo, si suspicere, interposituros se causae* Phalaridis. *Quum enim causa defendi non potest, numero illorum, qui se interponant ei, tantum efficitur turpior.*

Cum vero minatus Boyleus *est, relaturum se, etiam ante, quam vidit meam defensionem; et si viam, qua respondendum sit, praescribere tanto ingenio nolo: puto tamen, licere mihi, dicere, quid sim, vt Non responsum, habiturus.*

I. *Si prae se fert, se non defendere,* Phalarin *suum verum; sed tantum argumentis meis non probari, esse falsum, vt calumniam habebo, qua ludificari causam conetur, et vt plane non Responsum. Nam si suspicatur, verum esse, nec tamen vllum meorum argumentorum admittit; ratio reddenda istius suspicionis est. Ac video, vnum esse, obseruatum a* Boyleo, *Praef. ad* Phal. *quod praetermiserim ego;* Nomina illorum, ad quos datae sint Epistolae, ficta videri de industria, conuenienter argumentis istarum epistolarum. *Donec alias causas protulerit* Boyleus *suspicionis suae, opinari licebit aliis, esse hanc vnicam, quam habeat. Vt, quanta sit vis eius iudicii, ex hoc aestimari debeat, Quod, quas protulerim ego, rationes omnes nihil apud eum, quam protulerit ipse, vnica, grauissima illa, plus omnibus valeat.*

Sed Siculo *suo* Principi *fortasse nunc, quam vnquam ante fidelior erit, nec vlla ratione dubitabit, quin recte inscriptae sint Epistolae. Nam* lectori affirmat, dubitationem de auctoritate Epistolarum sibi iniectam, postquam meam

Dissertationem legerit, minorem esse, et, si iterum de eodem argumento scripserim, fortasse rem sibi certam fore. *Cecidit res, vt voluit. Scripsit iterum contra eas, quo magis veras credat* Boyleus. *Equidem pro omnibus iniuriis, quas mihi fecit, grauiorem poenam nolo, quam vt, quoad viuat, veras esse, contendat.*

II. *Aut si plura testimonia adfert bibliopolae, aut familiaris sui,* qui scripsit Indicem potionum *(Humty-Dumty Acquaintance): ea vt non Responsum accipiam. Quem enim semel, constat, peierare voluisse, is testis idoneus diutius non erit: quique declarauit publice,* Non posse se, nisi vnius, recordari, *eius ratio haberi in indicio nequit, siue firmius id, siue laxius, adstringat postea (of strengthening it afterwards either with* Three-threads *or Four-threads).*

III. *Aut si rumores quosdam nouos auditionesque de me arripit, a causa alienas, instar non Responsi mihi erit. Postquam enim falsam demonstrauero accusationis summam, de manuscripto regio, tum illam, de* Edwardo Sherburno, *non curabo, si quas posthac instruxerit, calumnias.*

IV. *Aut si vtile ducit, aut eius causa alius, vt* Latine *respondeat (nam libro Latino mihi minatur, stilo imperioso* Festi; Tune referre *(p. 238.)* ad peregrinas Vniuersitates? ad peregrinas ergo Vniuersitates abibis.) *id forte vt Responsum habebo; sed quale? quod responsione mea non egeat. Nam si ex praesenti conatu de futuro coniecturam fieri licet; liber* Latinus, *ab aliquo eorum, quorum adhuc opera fuit in defendendo* Phalaride, *conscriptus, continebit ipse, quod ei respondeatur.*

V. *Sin vero referre* Anglice *mauult, atque iterum iis, quae sint eruditionis, se interponere; nisi maiori cum cautione rem agit, et cum paucioribus, quam nouissimum, opus vitiis in lucem profert, non vt Responsum habeo. Istac enim ratione aetas mea consumeretur in coarguendis foedissimis erroribus. Erit autem hoc melior eius, quam mea conditio; quod fortasse quadraginta dierum spatio, in qua-*

draginta paginis, in pluribus errauerit, quam refelli poterunt in quadringentis paginis, integro anno.

Adhaec iure postulo, vt, si pergat de Phalaride *scribere, agnoscat ista vitia, quae nouissimi sui operis esse, demonstrauerim. Idem ipse feci; et candide hic profiteor, me nullius erroris conscium esse, quem, in mea* Differtatione, *obseruauerit is, quem non agnouerim in mea Responsione. Veritatem tantum sector; nec vnquam volo tam abiecti animi notam subire, vt, cuius sim conuictus, errorem defendam. Eundem igitur candorem ab eo requiro; quod nisi praestiterit, non accipiam vt Responsum. Si enim non satis habet siue intelligentiae, vt cognoscat, cum sit refutatus, siue integritatis, vt consiteatur, non est, quod diutius contendamus.*

VI. *Aut si decreuit, praecipuum argumentum relinquere, aut leuiter tantum attingere, et, vt ait, (p. vlt. III. ed.)* paruam imaginem *Bentleii* qausi in tabella *proponere (to giue* a view of the Drs. Picture in Miniature), *stilo iocoso et ludicro, quo tanto opere delectatur; id omnium minime in Responsi loco mihi erit, quod est alienum a controuersia. Nolo enim vnquam de ista re cum eo contendere; fateor potius, ingenium ei esse non ineptum ad iocandum et ridendum. Et si nec veritas, nec doctrina, nec ingenium in eius libro appareat, quantis ipse velit, clamoribus ob reliquas istas virtutes in coelum efferatur.*

Visum fuit Boyleo, *in secunda sua editione, omnes iniurias, mihi factas, comprehendere* Breui descriptione *Bentleii*, forma Indicis (A short account of D. *B.* by way of Index). *Ac tanto exemplo excitatus, impar licet, feceram* Descriptionem, *non* Boylei, *sed eius* Conatuum, forma *Synopseos. Vbi vero tantum errorum aliorum super aliorum super alios aceruatorum cumulum videbam, species tam deformis, tam ingrata, oculis meis obiiciebatur,* Miseranda vel hosti, *vt tam seruire iracundiae non potuerim, vt humanitatem eius pari referrem.*

R E S P O N S I O
A D
C E N S V R A M
C A R O L I B O Y L E.

P R O O E M I V M.

Boyleus, facta narratione earum rerum, quae ipſum et bibliopolam ſpectarent, vbi, doleo, dicentem audire, (p. 22.) *Honeſtatis ſuae intereſſe*; ad praecipuam partem Diſputationis progreditur, *quae ſolum ad eius pertinet eruditionem*. Hanc autem *curaturum* ſe, negat, etiamſi poſſit aliquam *moleſtiam* adferre. *Nam aggreſſurum eam* (p. 22. 31.), *vt aleatorem*, *qui*, *cum minimo ludat*, *ſusque deque habeat*, *ſiue vincat*, *ſiue vincatur*.

Videtur hic *Boyleus* opus ſuum *aggredi*, non ſine temeritate, et omine: aleator enim, qui *ſuſque deque* ludum habet, nihilque *curat*, nunquam bene ludit. Praeterquam quod, ſingulari hac comparatione ſui cum *aleatore*, videtur ſignificare. nec fidem fallet, ſe, qua data occaſione, quaſi talos, in medium ſophiſmata iacturum. Sed, quod omnium peſſimum eſt, hac comparatione fit, vt recorderc rumoris, cuius auctor equidem non ſum, eſſe *luſores* alios, qui, in eius Diſputatione, *eum ludant*, cum ipſi, a conſpectu remoti, poſt velum ſecure lateant.

In principio ſtatim monet lectorem (p. 1.), Bentleium *ſcripſiſſe*, *nulla via et ratione*. Iactus audax, a quo ordiare; quo patet, nihil, niſi perfectum et magnum, ab eo exſpectandum eſſe. Primum argumenta, e *temporum rationibus* ducta, protuli, quibus, *Phalarin* commentitium eſſe, conſtaret; dein linguam, qua ſit vſus, conſideraui; tum *materiam* Epiſtolarum; ac tandem concluſi argumento, quod alto *veterum ſilentio* ſuppeditetur: et ea quidem omnia ordine diſpoſita naturali, et diſtincta apte, ſine confuſione vlla. Si hoc, *nulla via et ratione* ſcribere, eſt; ignorantia forte factum eſt, quia nouam *formam dialecticae*, editam in vſum *Caroli Boyle*, vt *In vſum Delphini*, non legi. Vbi praeclaram illam dialecticam legere mihi licuerit, et meliora inde diſcere de *via*; fieri forte poterit, vt ordinem Diſſertationis meae mutem. Interea ſingula eo in loco, vbi ante erant, reliqui, et illis, quae *Boyleus* obiecit, eodem ſeruato ordine, reſpondi.

Sed est, cur suspicer, clamores, quod *via* non scripserim, hic ab eo sublatos, tantum esse artificium *aleatorium*, quod ad arbitrium talos disponeret, atque ita ordiretur *Censuram* ab ea parte, vbi maximas turbas excitare posset. Lepide enim argumenta mea in duas diuisit partes, vt *alia ad vniuersas Epistolas, alia tantum ad priuas, vnde sint ducta, referantur* (p. 33.). *A generalibus* igitur incipit, quae tria esse, ait, e *lingua*, e *materia*, e *silentio* veterum: alia, e *temporum rationibus* (quae tunc duodecim, nunc circiter viginti erunt), si vera ponantur, pertinere tantum ad singulas, vnde petita sint, epistolas; *vt nihilominus*, SEMET CONSOLETVR ILLO SOLATIO, *reliquas esse veras posse* (p. 155.).

Non possum, quin verbo tangam lepidam hanc diuisionem, quamuis plura, alio in loco, de ea dicturus sim. Primum *perfectissimo huius aetatis scriptori* (Praef. p. 3.) valde molestus est scriptor Censurae: nam, de vniuersis, magnus ille *Memmius* pronunciauerat; *Epistolas* Phalaridis *habere plus incitati, plus acuminis, maiorem vim sententiarum, quam vllas, quas vnquam vidisset, tam veterum, quam recentiorum.* Quod si ergo is, cum *fastidioso* isto *stomacho*, vniuersas Epistolas ab eadem manu profectas, credidit (vt certe vnusquisque credit, cum stilus omnium idem est, eadem forma); iniuriosus in magni illius viri *stomachum Boyleus* est, quando putat, ad viginti epistolas, quae temporum rationibus coarguuntur, *petulantia* (p. 155.) *aut vanitate imitatorum postea* interponi potuisse, tamen esse reliquas veras. Si enim *vani* isti homines in *imitando* tantam peritiam *postea* habuerint, vt imponerent viro .... *qui* (p. 92.) *regibus scripsisset, et posset, quemadmodum scriberent reges, iudicare*; quid fiet eius argumentis, ex *acumine, tanta cogitandi libertate, tanta in verbis audacia*, vt probaret, non potuisse, nisi *Phalarin*, istas scribere? Quod si ponas, recte distinxisse *Boyleum, parum versatus in arte pingendi sit, oportet, ... qui non potuerit videre*, viginti minimum earum *exempla* esse, a *vanis et petulantibus imitatoribus* facta; sed vniuersas putauerit *veras*. Eodem eum telo petit ipse *Boyleus*, quod, ab alio iactum, tam horribili clamore obiurgat, *Virum .... nec veram aetatem, nec vera pretia cognouisse auctorum suorum.*

Sed magis etiam molestus est scriptor Censurae alii praeclaro scriptori, *Honorato Boyleo*. Ingeniosus etiam ac doctus ille iuuenis disertis verbis aduersatur nouae huic diuisioni, vt *Alia argumenta ad vniuersas Epistolas, alia tantum ad priuas referantur. Quod si*, inquid (Praefat. *Phalarid.* p. 3.) *vera refert* Diodorus Siculus, Tauromenium *non fuisse conditam, et*

eo nomine donatam, nisi post Naxum *a* Dionysio *iuniore dirutam; actum est de* Phalaridis *titulo, et ruit omnis male sustentata coniecturis auctoritas.* Huius autem *Tauromínii*, in toto Epistolarum volumine, ter tantum mentio facta est, ep. XV. (IC.) XXXI. (IIC.) et XXXIII. (C.) Vt, si, tribus solum refutatis, *actum sit de* Phalaridis *titulo*, ad omnes Epistolas, pro me pugnet praeclarus iste scriptor, contra subtilem distinctionem scriptoris Censurae; qui, licet, non dicam tres, sed triginta, de Epistolis, nec eae continua serie sequentes, sed dispersae per totum volumen, temporum rationibus refutatae sint, semet adhuc *consolatus est* inani illo *quod reliquae esse verae possuut.*

In principio Dissertationis paucis compellaui doctissimum meum *Wottonum.* Hic igitur respondendum illis, quae in breue istoc prooemium commentatus est scriptor Censurae.

Primum, Dionis *auctoritatem* quem ibi citaueram, *in hac, aut alia quacunque causa, magni momenti esse*, negat; *Esse* eius Orationes *ingratas, et insulsas; Esse sophistam et declamatorem omnium imperitissimum,* Vel ex hoc vno, quo librum suum orditur, cognoscas, quantum tribuendum sit hominis de aliis iudicio. Audiamus alios, de *Dione.* Cognominabatur is a suae aetatis hominibus *Chrysostomus* (quod nomen postea magno illi ecclesiae patri fuit), causa eloquentiae. v. *Photius* Biblioth. *Euuap.* p. 5. *Themist.* Orat. XII. *Synesius*, in Caluitii Encomio, et in Dione. Δίωνι τῷ χρυσῷ τὴν γλῶτταν. Τὴν γλῶτταν, ἣν χρυσῆν εἶχεν ὥσπερ καὶ λέγεται. Nec deterior erat posteritatis de eo opinio; si *Philostratus, Themistius, Synesius*, eloquentissimi viri, sunt audiendi. Tantum aberat, vt haberetur *sophista omnium imperitissimus*, vt et patres Christiani, et philosophi, imo ipsi sophistae, qui eo sodali se extulissent, *philosophum*, non *sophistam*, dixerint. Eodem eum in loco, apud *Traianum*, fuisse, auctor *Themistius* est, quo, apud *Augustum, Arium*, apud *Tiberium, Thrasyllum*, apud duo *Antoninos, Epictetum.* Τὸν Ἄρειον ἐκεῖνον, inquit is, Or. XII. ὁ Σεβαστὸς, ὁ Τιβέριος τὸν Θράσυλον, Τραϊανὸς ὁ μέγας τὸν Δίωνα τὸν χρυσοῦν τὴν γλῶτταν, τὸν Ἐπίκτητον τὼ δύο Ἀντωνίνω. Iungitur *Ammonio, Plutarcho, Carneadae, Fauorino*, aliis viris summis, qui, vere philosophi, politioris causa doctrinae sophistae vulgo nominabantur. v. *Philostrat.* de Soph p. 485, 489, 496. *Synesius* in Dione. *Euuap.* in Praefat. Τοὺς φιλοσοφήσαντας ἐν δόξῃ τοῦ σοφιστεῦσαι. Quid plura, cum ipsa eius opera, quae adhuc exstant, praecipue de rebus ciuilibus et philosophicis sunt conscripta? Quod veterum, idem recentiorum, de *Dione*, iudicium. Possum plures commemorare; sed, quoniam, *Casauboni* inprimis aucto-

ritatem multum, ait, apud se valere, scriptor Censurae, sufficit, monere, ab illo *excellentissimum philosophum* eum dici. v. Ep. ad H. Stephanum. Is, qui *Dionem insulsum sophistam* dicit, nec *Dionem*, nec reliquos, qui tantis eum laudibus extulerunt, se legisse vnquam, confiteri videtur.

Dein (p. 27.) *iudicii* me *singularis* esse, ait; *Nam, qui* Phalarin *despiceret, ante me, fuisse neminem: Opinionem meam omnium, qui ante me scripserint, sensibus contrariam.* Dictum praecise valde. Sed, suomet ipsius consilio, cauisset sibi *Boyleus* a *Negantibus* (p. 95.), *periculosissimo genere orationis;* inprimis *quando contrarium, quod ponitur, verum est.* Constat enim inter temporum doctores, ante nostra tempora vixisse magnum *Erasmum.* Sic autem ille, Ep. lib. 1. ep. 1. *Porro Epistolae, quas nobis reliquit nescio quis* Bruti *nomine, nomine* Phalaridis, *nomine* Senecae, *et* Pauli, *quid aliud censeri possunt, quam* DECLAMATIVNCVLAE? vid. quoque eius Epistolam tom. IV. S. *Hieronymi* praemissam. Nihil in eas profecto a me scriptum vnquam, quod maioris contemtionis conficiat significationem: est idem verbum, quo vsus sum ego; *Ecquod* declamatoris *argumentum tam immoderatum vnquam?*

Sed vt aliud exemplum *iudicii singularis* cuiusdam lectori eius impertiar; narrat *Boyleus*, esse *quendam nostrae aetatis criticum, qui contenderit* (quando et vbi, non refert), Ouidium *et* Manilium *solos de antiquis poetis fuisse, qui saperent.* Vt libere dicam, pudet me, hominem, qui semet *Honoratum (Honourable)* nominet, res tam minutas auditionesque, tam indignas eius nomine et persona, referentem audire. Nihil profecto ad me huius defensio *iudicii;* nam non noui, me vnquam haec dixisse. Nihilominus tamen, ne *Manilium* deseram, quem magni aestimo, causam nullam esse, puto, cur, hoc dixisse, aliquem pudeat. Quid est enim, amabo, cur tanto sint *Ouidius* et *Manilius*, quanto *Nireus* et *Thersites*, seiungendi interuallo (p. 28.)? Peritiores *Boyleo* iudices, aliquam inter istorum poetarum ingenia similitudinem esse, sunt arbitrati. Quando *Manilium* leget scriptor Censurae (nam ex eius iudicio coniecturam feceris, nondum legisse), in optimis editionibus inueniet, quid de eo dixerit *Scaliger: Poeta ingeniosissimus*, inquit, Praefat. *nitidissimus scriptor, qui obscuras res tam luculento sermone, materiam morosissimam tam iucundo, charactere, exornare potuerit*, Ouidio *suauitate par, maiestate superior. Inprimis omnia eius prooemia et παρεκβάσεις extra omnem aleam posita sunt. Nihil illis diuinius, copiosius, grauius, et iucundius dici potest. Audiamus itaque olorem canentem.* Videmus, vnum de principibus eruditorum, qui postremis hif-

ee saeculis floruerunt, eumque poetam summum, existimasse, optime *sapuisse Manilium*; et eum, perinde atque istum *criticum*, iunxisse *Ouidio*. Vt *Bentleio* honorificum sit, quod, in comparatione scriptorum, in eodem, quo *Manilius*, ordine ponitur. Quid est vero, quo viro . . . . quem adeo admiratur, semet excuset *Boyleus*, cum eum iungat *Ouidio* (p. 28.), *Ouidio*, inquam, quem modeste, alio in loco (p. 133.), vocat *futilem scriptorem versuum in* Ibin. Dictu difficile est, vter plus ei debeat, *Romanus Ouidius*, an *Memmius Anglicus*.

DISS. p. 4. etc.

Dixeram, auctoritate *Galeni*, *Tempore* Ptolemaeorum *artem libros adulterandi et fingendi inprimis viguisse*. Vbi varia reprehenduntur; et primum quidem, quod loca cito, *a via remota*. Mallem verum, quam falsum. Nam commendationem, accipio, posse lectorem detinere aliquo, quod sit (p. 29.) *remotum a vulgari via*; nec, vt, a me fieri, ille vult, vnquam aliis molestum me fore, spero, *vulgaribus auctoritatibus*.

At (p. 29.) *alii sunt scriptores vetusti, qui rem narrent*. Vellem, nominasset. Fateor, vnius tantum me recordari; et is dimidium tantum narrat, et est magis, quam ipse *Galenus*, *a via remotus*. Est is *Ammonius*, Comment. in *Aristot.* Categ. p. 10. Edit. Venet. 1546. Πτολεμαῖον, inquit, τὸν Φιλάδελφον πάνυ ἐσπȣδακέναι, φασὶ, περὶ τὰ Ἀριςοτελικὰ συγγράμματα, ὡς καὶ περὶ τὰ λοιπὰ, καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρȣσιν αὐτῷ βίβλȣς τȣ̃ φιλοσόφȣ· ὅθεν τινὲς χρηματίσασθαι βȣλόμενοι, ἐπιγράφοντες συγγράμματα τῷ τȣ̃ φιλοσόφȣ ὀνόματι, πρεσῆγον. videmus, *Ammonium* solum loqui de libris, *Aristoteli* attributis; quod nihil ad nostrum propositum. Sed disertius, nec minus vere tamen, id *Galenus* testatur, de omnibus scriptoribus claris.

Quis vero, in quaestione (p. 29.) *historica, testimonio medici contendi, exspectauerit?* Vnusquisque, qui opera legit istius medici; aut vnicum istum librum, quem scripsit, Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων, *De suis libris*; cognouerit is, non tantum excelluisse eum in sua arte, sed in omni genere doctrinarum fuisse peritissimum. Quid vero, si, quemadmodum *Aetius*, aut *Aretaeus*, tantum medicus fuisset? Num idcirco minus valet eius testimonium? Saepius lectorem monuit scriptor Censurae, se *liberaliter educatum*; quamuis *liberaliter educati* sit, semet eo non efferre: ac sine dubio ad istam commendationem magnus cumulus accessit hac eius in totum ordinem medicorum humanitate.

At (p. 29.) *inepte*, puto, cito: teſtem enim adduxi, qui, ſi eſſe teſtis poteſt, contra me eſt. Verba *Galeui*, quo reſpiciebam, haec ſunt: Ἐν τῷ κατὰ τοὺς Ἀτταλικοὺς τε καὶ Πτολεμαϊκοὺς βασιλέας χρόνῳ, πρὸς ἀλλήλους ἀντιφιλοτιμουμένους περὶ κτήσεως βιβλίων, ἡ περὶ τας ἐπιγραφάς τε καὶ διασκευας αὐτῶν ἤρξατο γίγνεσθαι ῥαδιουργία τοῖς ἕνεκα τοῦ λαβεῖν ἀργύριον ἀναφέρουσιν ὡς τοὺς βασιλεῖς ἀνδρῶν ἐνδόξων συγγραμματα. Teſtimonium certe ampliſſimum, *Artem libros adulterandi inprimis tum viguiſſe:* quae cauſa eſt, cur eum citaui. Fateor, vt *Boyleus* obſeruat, *Galenum* plus ſignificaſſe, quam, quod inde proferrem, res pateretur; ait enim, artem hanc *incepiſſe* iſtoc tempore: quod, alio in loco (Comm. I. in *Hipp.* de Nat. Hiſt.), diſerte magis expreſſit; *Ante tempora iſtorum principum nullum eiusmodi librum commenticium fuiſſe.* Οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα. Quod, niſi praeciſe dictum accipitur, manifeſto falſum eſt. Sunt enim varia exempla eiusmodi operum, quae non tantum ficta ſint ab hominibus, qui ante iſta tempora vixerunt, ſed etiam commemorata a ſcriptoribus, qni temporibus illorum priores fuerunt. *Ion Chius*, tragicus, apud *Laert.* in Pythag. et *Clement. Alex.* Strom. *Pythagoram*, ait, quaedam feciſſe carmina, eaque nomine inſcrpſiſſe *Orphei.* CYPRIAM *Homeri* eſſe, negat *Herodotus*, l. II. c. 117. alii tradunt, eſſe *Staſini* (*Athen.* p. 334, 682.); licet *Homero* attribuatur a *Pindaro*, apud *Aelian.* V. H. l. IX. 15. *Ariſtoxenus* varia opera commenticia commemorat, adſcripta *Epicharmo.* v. *Athen.* l. XIV. p. 648. In Epigramm. *Callimachus*, OECHALIAM CAPTAM, falſo attributam *Homero*, re vera eſſe *Creophyli Samii*, ait. *Heraclides Ponticus* edidit, ſub nomine *Theſpidis*, tragoedias. v. *Ariſtoxenum* ap. *Laert.* in Heraclid. Dedit autem meritas poenas *Dionyſio Matathemeno Heraclides.* Tragoediam enim fecit *Dionyſius* (*Laert.* in Heraclide) *Parthenopaeum*, *Sophoclis* inſcriptam nomine; qua deceptus *Heraclides*, vt veram citauit. Addo ſingulare iſtud commentum *Anaximenis* hiſtorici; licet, qui referat, *Pauſania* (Eliac. II. p. 195.) antiquiorem habeamus nunc neminem. Is, *Theopompo* hiſtorico infenſus, ſcripto acerbiſſimo inuectus eſt in tres potentiſſimas ciuitates *Graeciae*, *Athenienſem*, *Spartanam*, *Thebanam*: in quo accurate imitatus eſt ſtilum *Theopompi.* Atque ita, edito libro hoc ſub nomine *Theopompi*, inuiſum eum reddidit omnibus *Graecis.*

Sunt loge plura huiusmodi ſcriptorum commenticiorum exempla: recenſentur in vnico *Suidae* loco, v. Ὀρφεὺς, minimum decem. Quoniam vero auctores, quos nunc habemus, qui eorum meminerint, *Ptolemaeis* inferiores ſunt, nihil ex

illis efficitur, nisi vt ab iis inde temporibus ita se res habuerit. *Galenus* vero tum vixit, quando reliqui isti libri supererant, e quibus, quos nunc habemus, scriptores sua depromserunt. Quapropter vix crediderim, pro ea, qua erat, eruditione, magnum *Galenum* ignorare res tam obuias potuisse. Existimauerim potius, eum, cum dicat, artem libros adulterandi *incepisse* temporibus *Ptolemaeorum*; solum ad illos respexisse, qui essent ficti lucri causa Nam et is, et *Ammonius* speciatim de illis loquuntur. Λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων, inquit ille, μισθῶν (leg. μισθὸν) τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινος ἀνδρός· hic vero, Ὅθεν τινὲς χρηματίσασθαι βουλόμενοι. Hac via nisi excusari *Galenus* poterit, non erit, quo amplius eum defendam: nec ad me eius error. Videamus enim, quid sit, quo me accuset scriptor Censurae. *Quidquid citem e* Galeno, *ibi esse*, *confitetur*, et est verum; *sed esse aliquid in* Galeni *scriptis, a me non citatum, quod sit falsum.* Accusatio subtilis, et ingenio digna *Boylei.* Quum vnum aliquod ex isto scriptore cito, num ideo, in omnibus cum eo sentire, censendus sum? Hac ratione accusauerit me *Boyleus*, quasi defendam sententiam de quatuor humoribus corporis, aut sanguinis negem circuitum.

Fuerunt tempore S. *Hieronymi* (vid. eius Comm. ad *Titum*) critici quidam, eiusdem cum scriptore nostro Censurae generis, qui similem plane notam inurere S. *Paulo* sint conati. Citauerat is, *Tit.* I, 12. versum *Epimenidis*;

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses *semper mendaces*, *malae bestiae*, *ventres otiosi.*

Id morosi isti critici idololatriae defensionem interpretabantur; quia, isto in loco, poeta *mendaces* vocat et *bestias*, causa spreti alicuius idoli. Quasi vero apostolus, quum vnicum versum probat, quidquid in tota orationis serie inest, probare existimandus sit. Quod si *Hieronymum* inspexerit scriptor Censurae, inueniet ibi, quod respondeatur vtrisque, et istis criticis, et sibi.

Dixeram, in Dissertatione mea, fragmentum *Petronii* fingi *Budae* repertum. Non, nisi semel in taberna libraria, turpe istud commentum videram, de eius indice parum sollicitus. Quapropter, nomine scriptoris nostri Censurae, dico, nam ab eo inde tempore librum non vidi, fingi id allatum *Alba Graecia.* Nec ei inuideo, quod maior ipsi, quam mihi, cum praeclaro isto scriptore consuetudo intercedit. Miror autem, non vlterius eum progressum; nec vindicasse istud fragmentum, vt verum opus. Ea enim, qua suum defendit *Phalarin*, ratione, quidquid fuit vnquam operum commenticiorum, vindicare

poterit, vt pluribus ostendam suo loco. Si itaque scriptori Censurae suppetet vita, si otium, si adiutor, expectari poterunt nouae editiones *Berosi*, *Metasthenis*, ceterorum istius notae: splendidissimum, puto, corpus, dignum, quod eodem cum *Phalaride* et *Aristea* ordine collocetur.

DISS. p. 7—9.

Quo pateret, *Stobaeum* probasse *Phalaridis* Epistolas, *eum*, p. 7. dixeram, *tres sub nomine* Phalaridis *citare*. Quartam addit scriptor Censurae, quo me beneficio deuinctum profiterer, nisi singulae, istarum trium, quarum memini, proposito meo suffecissent. Quum vero ait, *Esse tit.* CCXVIII. *et iterum in Collectione* Antonii *et* Maximi; *me autem praetermisisse eam;* non possum non dissentire ab eo. Difficulter enim praetermittere tit. CCXVIII. poteram *Stobaei*, vbi in vniuersum tantum CXXI. erant. Non est *tit.* CCXVIII. sed *pag.* 218. (edit. Geneu. cIↃIↃcIx.); nec *Stobaei*, sed *Antonii*, qui ad calcem eius editus est. Est autem, quem citare scriptor Censurae voluit, *Stobaei* tit. LXXXIV. Num hic error sit (Praef.) *adiutoris*, *qui* scriptori Censurae *a libris consulendis fuit*, quantumue valeat is ad demonstrandum, ipsum *Boyleum* nunquam inspexisse *Stobaeum*, alii iudicabunt.

Praeter hos tres, inquiebam, ibid. (*Stobaeum*, *Suidam*, et *Tzetzen*) *de veteribus nemo eorum meminit.* Quam sit periculosum, libros festinanter edere, experior; vbi, fieri non potest, quin aut praetermittas aliquid, aut erres. Tres autem reminiscendo recordari tunc poteram; scriptor Censurae, eiusque adiutor, inuenerunt tres amplius, (p. 30.) *Photium*, in Epistolis, scholiast. *Aristophanis*, *Nonnum*, Comm. in *Greg. Nazianzen.* De primo, *Photio*, ei obstrictum me profiteor; quoniam doctus ille patriarcha clare *indicat*, (vt recte obseruat *Boyleus*, p. 32.) *suspicari se, commenticias esse Epistolas*; quum dicit, *eas attribui* Phalaridi. Τὰς εἰς Φάλαριν, inquit, Ep. CCVII. ἐκεῖνον, οἶμαι, τὸν Ἀκραγαντῖνον τύραννον ἀναφερομένας ἐπιστολάς. Factum ingenue (licet ob id alios rideat), quod *testem adduxit ille, qui, si esse testis potest, contra eum est.* Quo igitur, hanc eius integritatem grato me animo agnoscere, intelligat, de reliquis duobus scriptoribus, aliquid cum eo communicabo, quod adhuc forte ignorat.

Primum locus, citatus ex *Aristophanis* scholiast. (ad Plut. v. 142. Καταλύω, τὸ ἀφανίζω καὶ διαλύω, ὡς κἀνταῦθα, καὶ ὁ Φάλαρις, εἰ βούλεσθε ἐμὲ τὸν πρὸς ὑμᾶς καταλῦσαι πόλεμον.) falsus est: sunt enim, praeter *Phalaridis* Epistolas, alia commenticia. Non est in prima editione *Aldina*, *Venet.*

MIID.'a *Musuro* edita, sed interpositus a correctore editioni *Florentinae*, ac postea descriptus, et translatus in *Basileensem*, et *Geneuensem*. Et, quo pateat, non esse istum depromtum ex aliquo veteri codice MS. (vt fortasse dicet scriptor Censurae) interposuit idem quatuor loca amplius, omnia e libris typis descriptis, *Galeno*, edit. *Basil.* p. 43. *Athenaeo*, p. 52. 65. *Eustathio*, p. 52. Quorum vitimus commentationis causam nobis dat. Citato scholiasta *Aristophanis*, sic cauillatur scriptor Censurae: *Idem ille scholiasta,* inquit, p. 31. *quem, quum toties citat* Bentleius, *perlegisse eum dixeris.* Iam vero existimauerit aliquis fortasse, et id quidem potius hac ipsa de causa, *Bentleium* perlegisse istum; non autem scriptorem Censurae, testimonio mihi sunt ipsa eius verba. *Hic scholiasta*, inquit, p. 31. *aliquot saeculis* Suidam *praecedit*. Hoccine dixisse eum, si cognouisset, scholiastam hunc citasse *Eustathium*, aliquot saeculis *posteriorem Suida?* Nam, puto, clare patet, non animaduertisse eum, esse locum interpositum.

Sed fuerunt, qui *Suidam* ipso posteriorem *Eustathio* crederent. Videndum igitur, quid istuc rei sit: nam res nobis est cum moroso aduersario, qui, quo declinet id, quod vrgeat, quamcunque opinionem arripiat. Constat, vixisse *Eustathium* A. D. cIↃIↃLXXX. De *Suida*, deduxit is temporum rationes ad mortem imperatoris *Zimiscae*, id est, ad A. D. DCCCCLXXV. Ἀπὸ δὲ τοῦ Πορφυρογεννήτου, inquit V. Ἀδὰμ, ἕως τῆς τελευτῆς Ἰωάννου τοῦ Σζιμισκῆ ἔτη κέ. lege ἔτη ιέ. Vt Lexicon suum scripsisse videatur interuallo, quod istud tempus et mortem sequentis imperatoris, id est, A. D. cIↃXXV. intercessit. *Wolfius* quidem ad tempora longe recentiora eum refert: Praefat. enim ad *Suidam*, A. D. cIↃIↃXLIV. *Atque adeo*, inquit, *cum* Metochitam Logothetam *citet, qui sub* Palaeologis *vix, apparet, eum vix annis abhinc* CCC. *Lexicon hoc composuisse*. Cui viri docti responderunt; Videri posse isto, similibusue locis, inde a morte *Suidae*, interpolatum Lexicon. Sed quidquid id est, error *Wolfii* est. Loca enim, quae respicit, sunt in V. Ἄβαξι et Νοθεύει· vbi quidem citatur *Logotheta*, non vero iste *Logotheta*, quem opinatus est *Wolfius*, *Theodorus Metochita Logotheta*, qui mortuus est A. D. cIↃCCCII. sed *Simeon Metaphrastes Logotheta*, qui floruit saeculo X. ineunte. Verba sunt, v. Ἄβαξι, Ὁ Λογοθέτης ἐν τῷ τῆς ἁγίας Θέκλης μαρτυρίῳ· et v. Νοθεύει, Ἐν τῇ τοῦ μακαρίτου Λογοθέτου μεταφράσει, τῇ εἰς τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ. Vbi ipso nomine Μετάφρασις significatur, *Simeonem* Μεταφραστὴν respici; sed, quo res demonstratur, exstant etiamnum duo isti sermones *Simeonis*. Adhaec lector obseruet, *Simeonem* μακα-

ῥίτην a nostro dici, quo nomine nunquam, puto, vsi sunt *Graeci*, nisi de illis, qui non ita pridem, et quidem memoria eius, qui dicat, mortui sunt. Floruit autem *Simeon* tempore *Leonis*, qui mortuus est LVIII. annis ante vltima tempora, quorum, in rationibus *Suidae*, mentio fit. Si ergo *Simeonis* aequalis fuit *Suidas*, oportet, breui post mortem *Zimiscae*, cc. ante *Eustathium* annis, librum suum scripserit.

Dein, de altero scriptore, cuius testimonium mecum communicare scriptor Censura voluit, *Nonno*, *Comment. in Gregorii Orat. in Iul.* gratiam ei facio. Bonus iste scriptor non est *Nonnus* poeta, qui *Dionysiaca* fecit, et carmine reddidit Euangelium *S. Ioannis*, vt viri docti (*Simler.* in Biblioth. *Caue.* vid. Catal. Biblioth. Oxon etc.) et, si coniecturae locus est, ipse *Boyleus* crediderunt. Non sum, fateor, istius poetae admirator; de eius ingenio et stilo meum idem, quod *Scaligeri*, *Cunaei*, *Heinsii*, iudicium. Est tamen varia et multiplex eius eruditio, et peritus haberi grammaticus potest, poeta licet mediocris. Nec vnquam a me impetrare potero, vt scriptorem eum putem istius Commentarii, tot pudendis pleni erroribus. Interpretatur iste commentator, (num. 5. edit. Eton.) τὰς Φρυγῶν ἐκτομὰς, Phrygum *castrationem*, lumbos eorum dissectos. *Anaxarchum*, ait, num. 15. in mortario contusum ab *Archelao* tyranno. Habes *Archelaum Macedonem* loco *Nicocreontis Cyprii*. Praeterquam quod *Archelaus* LX. amplius annis mortuus fuit ante *Anaxarchi* tempora. Quum interpretatur Ἐπικτήτου σκέλος, apud *Gregorium*, p. 37. Epicteti *crus*, inquit, n. 14. *compedibus vinctum fuit a quodam tyranno.* Ignorabat, opinor, tritum illud, *Epictetum*, altero crure, laborasse neruorum resolutione; nec id factum compedibus et vinculis, sed rheumatismo. *Platonem*, ait, num. 22. in *Theaeteto*, et *vbique locorum*, *Socratem* inducere dicentem, ὅτι καλὸς ὁ Θεαίτητος, *pulchrum esse Theaetetum*; quum diserte contrarium habet *Plato*, in Thcaetet. Νῦν δὲ οὐκ ἔστι καλὸς ὁ Θεαίτητος, *Non est pulcher Theaetetus*; vtpote simus, et oculis prominentibus. Sed omnium lepidissimum est hoc ipsum, quod de *Phalaride* narrat; quo *Boyleus* augere Dissertationem meam voluit. Phalaris, inquit, num. 48. *quo gratificaretur* Dionysio *tyranno*, *taurum aeneum a se inuentum ei obtulit. Crudelitatem vero inuenti detestatus* Dionysius, *in ipso* Phalaride *primum periculum fecit.* Dixeris, *Boyleum*, qui *Phalarin* ad tempora, quantum potuit, recentia detrusit, secuturum fuisse hunc scriptorem, qui ad ipsa eum *Dionysii* tempora, Olymp. XCIV. centum et viginti amplius annorum spatio, detrusit. Iam facile aliquis concesserit, non posse hos errores *Nonni*

poetae esse. Sunt vero duo huius commentatoris, quos suos esse non posse, ipse poeta declarat. 'Η Κασταλία σεσίγηται, inquit *Gregorius*, p. 104. *Castaliam Antiochiae* esse, commentator air, n. 14. part. 2. Sed nouisset poeta, esse *Castaliam* in radicibus *Parnassi;* vt ex his versibus, Dionys. IV. p. 130. apparebit:

Καὶ ῥία Παρνήσσοιο τινάσσατο Φοιβάδος ἠχοῦς
Γείτονος εἰσαΐοντα, καὶ ὀμφηέντι ῥεέθρῳ
Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ.

Bacchus Ζαγραῖος vocatur a commentatore, n. 29. quod barbarum est, loco Ζαγρεύς. Sed recte poeta, quam plurimis in locis:

Ἀρχεγόνῳ Ζαγρῆϊ καὶ ὀψιγόνῳ Διονύσῳ.

Quod si ergo commentarius, *Nonni*, inscribitur, alius quidam *Nonnus* sit, oportet, non is, qui *Dionysiaca* scripsit. Qui primus eum edidit e bibliotheca *Remensi*, *Billius* (in oper. *Nazian.*) *Patris Nonni Collectionem*, cet. vocat. In *Posseuini* Catalogo MSS Bibl. Scorialensis (*Posseu.* Apparat. vol. II.) est, *Nonnus Abbas de Narrationibus*, cet. *Montacutius*, qui primus *Graece* edidit, e bibliotheca *Vindobonensi* accepit, eumque attribuit *Nonno*, auctoritate, puto, *Billii*. Nam in exemplo, quod secutus est, nomen nullum inuenias; vt apparet ex ipsius editione, p. 127. et *Lambecii* Catalog. (lib. III. p. 207.) Citat hunc ipsum librum, in Chiliad. *Tzetzes*, sed *Maximo* cuidam adscribit:

Περὶ τοῦ λέγοντος χρησμοῦ τὰς Θετταλὰς τὰς ἵππους
Μέμνηται μὲν καὶ Μάξιμος ἱστοριῶν τοῖς λόγοις,
Ἃς ἱστορίας ἔγραψε Γρηγόριος ὁ μέγας,
Ἔπος δ' οὐδὲν οὐδὲ βραχὺ τῶν τοῦ χρησμοῦ εἰρήκει.

Si *Gregorium*, p. 69. inspexerit scriptor Censurae, et Commentarium, n. 74. discet fortasse, quod ante non nouerat, *Io. Tzetzen* ad hunc ipsum *Nonni* Commentarium respexisse, quem tam officiose mihi indicauit ille.

Mordacissimum est, quod commentatus est *Boyleus*, p. 32. *Me* Fazelli, Cappelli, *et* Seldeni, *fecisse mentionem, non, quemadmodum id exspectaret modestus aliquis*; *sed tantum, vt ostenderem, quam essent ad recte iudicandum inepti, qui ante me vixerint.* Vtinam ipse paulo magis hic ostendisset *modestiam* suam! Quid enim *exspectare aliquis* poterit ab eo, qui sic, contra quam ipse scit, loquitur? Eadem pagina, citaui *Rhodiginum*, *Politianum*, *Gyraldum*, et *plerosque* istius aetatis, tanquam qui mecum existimarent, esse commenticium *Phalarin*. Dicor tamen, *Fazelli*, et reliquorum, mentionem fecisse, vt ostenderem, eos *ineptos* fuisse ad recte iudicandum, quod non haberent, a quo

L

discerent, donec ego de hoc argumento scriberem: quamuis postremus illorum, qui recte iudicant, quos, eodem in loco, citaui, antecedat aetate primum horum, qui iudicant male.

Videbis scriptor Censurae, me, vbi sim conuictus, in errore persistere nolle. Quando Dissertationem meam scribebam, *Neminem fore*, existimabam, *qui*, *ea perlecta*, Phalerin *auctorem*, *crederet*. Iam vero, errasse me, fateor. Nam scriptor Censurae, qui, *attente se eam legisse*, affirmat (p. 33.), librum scripsit CC. paginarum, quo *Principem suum Siculum* (p. 43.) vindicaret. Sed, vt tum dicebam, *de natura et vi argumentorum meorum*, an vero de natura et viribus aduersarii, mei, *male iudicauerim*, alii videbunt.

DISS. p. 9, 10.

DE AETATE PHALARIDIS.

Quaestioni, de aetate *Phalaridis*, se interponere non vult *Boyleus*, sed, ea de re, ad alium refert. Tangit tamen, et circumrodit quaedam, hoc in loco, vt quantum sapiat, ostendat, licet alterius mutuetur doctrinam.

In priore editione (*Anglica*) pro XXXVIII. 2. scriptum erat XXXVII. 2. Quod prudens et aequus lector praetermisisset, vt manifestum operarum vitium; quemadmodum id apparet ex *Eusebio*, in ea causa, citato, et numero annorum XXVIII. quos regnasse *Phalarin*, dixeram, qui alias tantum XXIV. est. Pluribus tamen id reprehendit, et exagitat, scriptor Censurae (p. 118.). Tandem vero in eam *sententiam* inclinat, XXXVII. *operarum esse vitium*; nec tamen adductus aequitate integritateque (quod fortasse lector opinetur), sed, vt aliam calumniam instruat, qua possit id, quod sequatur, ludificari: quae calumnia irrita foret, si recte esset descriptum typis XXXVII.

Res sic se habet: Dixeram, si Olymp. XXXVIII. 2. fuerit mortuus *Phalaris*, epistolam, *Pythagorae* inscriptam, non posse non esse commenticiam; nec enim, nisi LXXX. post annis, eum *notum factum* in *Graecia*. Verum, *Iamblichi* causa, qui *aequales* eos faciat, posteriorem rationem me secuturum, vt mors *Phalaridis* ad Olymp. LVII. 3. referatur. Ad haec *Boyleus*, ope arithmetices, ostendit, me mihimet contra dicere. Nam, additis annis istis LXXX. Olympiadi XXXIII. 2. euadere Olymp. LVIII. 2. Triennio itaque ante *Pythagoram* notum factum, mortuum fuisse *Phalarin*. Quapropter *familiares* esse non potuisse, vt, *Iamblichi* causa, me daturum, dicerem. Sed vtitur hic artificio, quod sit indignum homine ingenuo.

Tollit nomen, *aequales*, et pro eo, *familiares*, ponit. Iam vero de eo genere illud est, vt, quod idem, nec *Iamblichi*, nec *Boylei* causa, necesse sit; *Phalarin* inter et *Pythagoram* vllam fuisse *familiaritatem*. Dedi, *aequales* fuisse; nec a vero alienum est, opinionem, de eorum familiaritate, ex eo ortam, quod eodem tempore vixerunt. Ac, puto, potuerunt esse, imo fuerunt, *aequales*, si alter, triennio non amplius ante alterum *clarum* factum, mortuus fuit.

His non contentus scriptor Censurae, de via parumper deflectit (p. 119.), *vt alio exemplo ostendat, quam parum mihi constem, in quaestione, de expeditione* Xerxis. *Vno in loco* (p. 24. prim. edit.), *me eam referre ad Olymp.* LXXIII. Hic rursus tota controuersia eum inter et typographum meum est, qui ex LXXV. 1. (lineis numeri V. male positis) fecit LXXIII. Quod autem subiicitur, in me ipsum vibratum telum. Dixisse me, p. 57. Diss. *Olympiade proxime sequente* Xerxis *expeditionem*, Hieronem *regnasse; citasse autem, in ea causa*, Diodorum, *l. XI. p. 29. Sed, eo ipso in loco*, Diodorum *dicere*, Hieronem *regnare coepisse*, *Olymp.* LXXV. 3. *Cui consequens esse*, *vt hic opiner*, Xerxis *expeditionem accidisse*, *Ol.* LXXIV. Diodorum *tamen*, *ac me ipsum*, *vbique eam referre ad Olymp.* LXXV. Quanta vero scriptoris Censurae perspicacia, vbi semel animum intenderit! Eiusdem notionis habet, *incipere* regnare, et *regnare*. Nam summa conclusionis haec est: *Hiero* coepit *regnare, Olymp.* LXXV. *ergo non potest dici*, regnasse, *Olymp.* LXXVI. Numquid hoc disputatore periculosius? Hac via omnes totius *Europae* principes, vbi annum regnauerint modo, regnis suis, arguendo, expulerit. Felices vero illos, quod, in secunda eius editione, haec tam terribilis sententia omissa est! Nec vnquam quidem e tenebris eam in lucem rursus protulissem, nisi illorum causa, qui nunquam visuri sunt secundam eius editionem, et vt pateret, fieri posse, ipsa *Boylei* confessione, vt, praeter satyras et iniurias, alia in Censura eius vitia insint.

Ad tempus igitur relicto scriptore Censurae, doctissimus *Dodwellus*, ad cuius librum, qui cum maxime typis describitur, de tempore *Phalaridis*, retulit *Boyleus*, pro ea, qua est, humanitate, paginas illas, in quibus quaestio haec tractatur, petenti mihi inspiciendas praebuit. Ac video, virum illum doctum non tantum *Phalarin* reiecisse in *Olymp.* LXXII. 3. annis LX. posterius, quam aliis temporum doctoribus ante placuit; sed etiam *Epistolas*, tanquam *Phalaridis*, vindicasse. Licet mihi dicere, hanc partem libri eius, ante factam meam Dissertationem, typis fuisse descriptam; vt duorum tantum, quibus sim vsus, argumentorum, ac non istorum, nec, qua

vrserim, via, hic ratio a *Dodwello* sit habita. Sed exspectamus, in appendice operis istius eximii, de tota controuersia, eum iudicium facturum.

Vt igitur quam diligentissime inquiram in *Phalaridis* aetatem; primum *Eusebii Hieronymique* auctoritas est, qui duas temporum rationes, ex diuersis scriptoribus, nobis suppeditarunt.

Ol. XXXI. 2. Phalaris *apud* Agrigentinos *tyrannidem exercuit.*

Ol. XXXVIII. 2. Phalaridis *tyrannis destructa.*

Ol. LIII. 4. Phalaris *tyrannidem exercuit*, *ann.* XVI.

Qui anni XVI. terminantur Olymp. LVII. 3.

Per totam Dissertationem posteriorem hanc rationem secutus sum; licet codices MSS. sint *Eusebii*, vbi tempus istud, VI. annis, superius notetur, V. *Pontaci* edit. *Euseb.* Sed, quantum poteram, omnem calumniae locum adimere, et Epistolis fauere; constitueram.

Quod si vestigia, quae nobis, in aliorum scriptis, sunt reliqua, aetatis *Phalaridis* sequemur; inueniemus, testem nullum idoneum, nullum auctorem esse, quo possis eam, posteriori hoc termino *Eusebii*, inferius collocare.

Syncellus, in Chron. aetatem *Phalaridis* temporibus, quibus *Phraortes* et *Cyaxares* regnarunt, circumscripsit, Olymp. XXXI. adeo, et XLVII.

φάλαρις Ἀκραγαντίνων ἐτυράννησε.

Φάλαρις τυραννῶν κατελύθη.

Iam produxerimus *Phalaridis* vitam in ipsum nouissimum *Cyaxaris* diem; terminabatur ea, XLI. annis ante, quam rationibus *Eusebianis*.

Suidas, V. Φάλαρις, Τυραννήσας, inquit, Σικελίας ὅλης κατὰ τὴν νβ. ὀλυμπιάδα· *Tyrannus fuit totius* Siciliae, *ad Ol.* LII. Fac iam, tyrannidem eum *incepisse* istoc tempore; licet disertis id verbis non dicatur: interuallum, hunc inter et *Eusebii* terminum, erit XXIII. annorum, satis superque temporis regno eius.

Orosius, I, 20. aetatem eius assignat illis temporibus, quibus regnare *Cyrus* coepit, post regnum *Astyagi* ademtum. *Ea tempestate*, inquit, Phalaris Siculus Agrigentinos, *arrepta tyrannide, depopulabatur.* Sed *Cyrus* regnare coepit, Olymp. LV. 1. quod *Eusebii* rationibus respondet, XI. spatio annorum.

Plinius, Hist. Nat. VII, 56. *Tyrannum primum fuisse*, ait, Phalarin Agrigenti. Hac ratione ad tempora aeque alta, aut altiora etiam, priore termino *Eusebii*, Olymp. XXXI. 2. eius aetas referetur. *Cypselus* enim tyrannidem occupauit *Corinthi*, Olymp. XXXI. 3. vt *Herodotus* et *Diogen. Laert.* vel, vt *Ari-*

ftoteles, Polit. auctor eft, Ol. XXX. 3. Saltem impediet haec, ne, pofteriore termino, Ol. LIII. 4. inferius collocetur. Nam ante, et circa iftud tempus, tyrannorum magna copia erat. Vt paucos commemorem; Tefte *Ariftotele* et *Laert.* Olymp. XXXVIII. patri *Cypfelo*, *Corinthi*, fucceffit *Periander;* Vxorem duxit, *Proclis*, tyranni *Epidauri*, filiam. vid. *Laert.* in Periandr. et *Herodot.* Cognatum cognominem habuit, *Ambraciae* tyrannum, vt, ibid. eft apud *Laert.* et *Ariftot.* Polit. Fuit familiaris *Thrafybuli*, tyranni *Mileti.* V. *Herod. Plut.* Conuiu. VII. Sap. et *Laert. Pittacus* tyrannus fuit *Lesbi*, Olymp. XLVII. 3. vt ex *Laert.* in Pitt. apparet. Deuicit is *Melanchrum*, qui ante eum ibi tyrannus fuerat, Olymp. XLII. vt teftatur *Laert.* ibid. et *Suidas*, V. Πίττακος· Atque hic, puto, ille *Melanchrus* eft, cuius fit mentio in ifto verfu, apud *Hephaeftion.* Enchir. p. 46.

Μέλαγχρος αἰδῶς ἄξιος ἐς πόλιν.

Patet enim, effe verfum *Alcaei*, qui, tefte *Laertio*, vna cum fratribus fuis, *Pittacum* adiuuauit, in interficiendo *Melanchro. Euboeae* tyrannus fuit *Tynnondas*, anno ante *Solonem* magiftratum, id eft, Olymp. XLVI. 3. V. *Plutarch.* in Solone. Eft vero, quem praeterniififfe, minime omnium cenferi *Plinius* poffit; *Pififtratum* puto, *Athenienfium* tyrannum, qui coepit regnare, Olymp. LIV. 4. V. Marm. *Arundel.* Iniuriam itaque magno illi hiftorico, et naturae inueftigatori, fecerit is, qui, pofteriori termino *Eufebii*, inferius collocare *Phalarin* fuerit conatus.

Sed, nifi fallor, omnium optime aetatem *Phalaridis* determinabis, fi confuleris *Pindarum*, eiusque fcholiaftam. Atque ille quidem, Olympion. III. *Theronem*, *Agrigenti* tyrannum, eiusque familiam, Ἐμμενίδας, *Emmenidas*, vocat.

—— Ἐμὲ δ' ὦν πα
Θυμὸς ὀτρύνει φάμεν, Ἐμμενίδαις,
Θήρωνί τ' ἐλθεῖν
Κῦδος.

Vbi fcholiafta, Ἐμμενίδας, *familiam* Theronis effe, obfervans; Τηλεμάχου, inquit, ΚΑΤΑΛΥΣΑΝΤΟΣ τὸν τῶν Ἀκραγαντίνων τύραννον ΦΑΛΑΡΙΝ, παῖς γίνεται Ἐμμενίδης, οὗ, Αἰνησίδαμος, οὗ, Θήρων καὶ Ξενοκράτης· Θήρωνος δὲ Θρασυδαῖος, Ξενοκράτους δὲ Θρασύβουλος. Telemachi, *qui* PHALARIN Agrigentinorum *tyrannum* SVBEGIT, *filius eft* Emmenides, *huius*, Aenefidamus, *cuius*, Theron *et* Xenocrates; Theronis *autem*, Thrafydaeus, Xenocratis, Thrafybulus.

Generis ratio haec eft:

1. *Telemachus*, qui *Phalarin* fubegit.
2. *Emmenides.*

3. *Aenesidamus.*
4. *Theron.* | 4. *Xenocrates.*
5. *Thrasydaeus.* | 5. *Thrasybulus.*

Horum genus quoniam, serie non interrupta, recensetur; modo vnius poterit aetas determinari; inde existimari licebit, quando primus, ac proinde, quem subegit is, *Phalaris*, vixerit. Nam vnaquaque aetate triginta annorum spatio, vel potius centum annorum tribus aetatibus, circumscriptis, tandem, quem quaerimus, terminum inueniemus. Fuit nempe is veterum mos historicorum, vt istoc tempore aetatem terminarent. *Eustath.* et schol. vet. ad Il. A. Οἱ παλαιοὶ τὰς γενεὰς ἐψήφιζον ἕως ἐτῶν τριάκοντα· vel, vt *Herodot.* Γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι· *Clemens Alexandr.* Strom. I. Εἰς μέντοι τὰ ἑκατὸν ἔτη τρεῖς καταλέγονται γενεαί. Sic *Dionys. Halic.* l. I. p. 120. *Numam* inter, Olymp. XVI. 3. et *Pythagoram*, Olymp. L. 1. quod est annorum CXXXIV. intervallum, τέσσαρας ὅλας γενεὰς, *quatuor integras aetates*, numerat.

Eadem generis recensio reperitur, in scholiis in Od. V. Pyth. ex *Hippostrato*, vetere historico, τοῦ τὰ περὶ Σικελίας γενεαλογοῦντος, *qui librum scripsit, de* Familiis Siculis, omisso solum *Aenesidamo*, vitio librarii. Esse autem nihil aliud, nisi vitium librarii, cum ex altero loco, supra citato, tum ipso *Pindaro* et *Herodoto*, intelligi potest: nam vterque *Theronis* aequalis, filium eum vocat *Aenesidami;* ille, II. Olymp. Πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου, ad *Theronem* respiciens, hic l. VII. 165. Θήρωνος τοῦ Αἰνησιδήμου Ἀκραγαντίνων μουνάρχου.

Fit tandem, tertium, mentio generis *Theronis*, Od. II. Olymp. vbi, *Pindaro* dicente, Theronis *genus ortum esse a* Thersandro; totam seriem sic exsequitur scholiasta: „*Oedipus*, *Polynices*, *Thersander*, *Tisamenus*, *Antesion*,“ (scholiast. Ἀντεσίων. sed verum Αὐτεσίων. V. *Herod.* p. 350. *Apollod.* p. 142. *Pausan.* variis in locis, et ipsum schol. ad Pyth. IV.), „*The*„*ras*, *Samus*, cui duo filii, *Clytius*, qui *Theram*, insulam, ha„bitauit, et *Telemachus, qui, cum quibusdam copiis,* Siciliam *pe*„*tiit*, *ibique sedem posuit;* Συλλέξας δύναμιν, ἔρχεται εἰς Σι„κελίαν, καὶ κρατεῖ τῶν τόπων.“ Sunt autem orti a

1. *Telemacho.*
2. *Chalciopeus.*
3. *Aenesidamus.*
4. *Theron.*

Animaduertendum, eum, qui supra dicatur, *Emmenides*, hic nominari *Chalciopeum.* Sed, in nostra quaestione, nullius momenti discrimen est, cum idem est, in vtraque serie, persona-

rum numerus. Imo, quae leuis haec differentia est, firmiora vestigia sunt, quibus insistamus. Nam, quoniam diuersae hae generis recensiones non possunt non esse e diuersis scriptoribus sumtae, duplex nobis auctoritas est, qua numerus determinetur aetatum.

Vt igitur pergamus in inuestigandis quibusdam notis temporum; *Xenocrates*, qui quartae aetatis est, *Pythia* vicit, Pythiad. XXIV. quae cadit in Olymp. LXXII. 3. Scholiasta *Pindari*, ad II. Isthm. Οὗτος δὲ ὁ Ξενοκράτης, inquit, οὐ μόνον Ἴσθμια νενίκηκεν ἵπποις, ἀλλὰ καὶ Πύθια τὴν εἰκοστὴν τετάρτην Πυθιάδα, ὡς Ἀριστοτέλης ἀναγράφει, vid. etiam, ad VI. Pyth. Fuerit itaque *Xenocrates*, tempore istius victoriae, annos solum natus XXX. ac *Telemachus* XL. quando *Phalaridi* tyrannidem ademit; quod quum concedimus, plurimum largimur Epistolis: restabunt adhuc anni XC. ac mors *Phalaridis* referenda erit ad Olymp. L. 1. quod, *Eusebii* termino, altius est.

Snnt vero plures temporis notae, ratione *Theronis*, fratris eius. Teste schol. *Pindari*, ad II. Olymp. vicit is *Olympia*, Olymp. LXXVII. et, eodem anno, mortuus est, regni eius, XVI. vt ex *Diodoro Sic.* p. 39. apparet. Vt regnare coeperit, Olymp. LXXIII. 1. Fuit ea filia *Demarete*, nupta *Geloni*, *Syracusarum* tyranno, ante Ol. LXXV. 1. vid. *Diodor.* p. 21. et *Timaeus*, apud schol. *Pindari*, II. Olymp. Fac ergo, *Theronem*, cum adipisceretur regnum, annos fuisse natum XLII. tempus breue satis, quia id non, a patre relictum, accepit, sed, acquisitum artibus, obtinuit, vt est apud *Polyaen.* l. VI. filiam autem *Demareten*, annos XX. Olymp. LXX. ac *Telemachum* tandem, vt supra posuimus, XL. cum regnum eriperetur *Phalaridi*: numerus annorum erit CX. quo fit, vt mors *Phalaridis* cadat in Olymp. XLVII. 2.

Apparet itaque, *Eusebium*, *Hieronymum*, *Syncellum*, *Orosium*, *Suidam*, *Plinium*, *Hippostratum*, et scholiastam *Pindari* inter, conuenire, vt *Phalaridis* mortem altius, Olympiade LVIII. collocent. Non deerit, vbi pluribus confirmem eorum testimonia; quando ea, quae a doctissimo *Dodwello* sunt disputata, videbimus.

Summa primi eius (de Cyclis V. Diss. 5. sect. 10.) argumenti, *Phalarin* tanto post interuallo demum vixisse, his auctoritatibus innititur.

„*Phalaris* aequalis fuit *Stesichori* (v. *Aristot.* et *Io. Tzetz.*), „eique superstes (*Phalar.* Epist.). Sed *Stesichorus* vixit, „Olymp. LXXIII. 3. vt est in Marm *Arund.*"

Vbi iam obseruauit, puto, lector illud, de quo quaera-

tur, *Fueritne superstes Stesichoro Phalaris,* in argumentum duci. Nam, exceptis Epistolis *Phalaridis*, ipso adeo libro, de quo disceptatur, omni id caret auctoritate. Hanc partem itaque omiseris, ac totum argumentum irritum erit. Fieri enim potuit, vt vixerit *Stesichorus*, Olymp. LXXIII. 3. tamen fuerit aequalis *Phalaridis*, ipsis *Eusebii* rationibus. Vixit *Stesichorus* LXXXV. annos, vt habet *Lucian.* in Macrob. Vt annos XXI. potuerit esse natus, Olymp. LVII. 3. quando mortuus *Phalaris*, teste *Eusebio.*

Imo reliquae partes huius argumenti, aut pro nobis sunt, aut saltem non contra nos. *Tzetzes*, qui, ad *Hesiod.* p. 3. *Phalarin*, tradit, vixisse tempore *Stesichori* et *Pythagorae*, in hac causa, esse testis non potest: nam, vt ipse *Dodwellus* agnoscit, sumsit id ex Epistolis, quas saepe citat, in Chiliald. Quaeque narrat *Aristoteles*, in Rhetor. II. 20. de *Stesichori* fabula, *equi* et *cervi*, cum copiis suis ducem *Phalarin* praefecissent *Himerenses*, eique corporis custodes concederent, suspecta sunt; quia *Conon*, qui, tempore *Iulii Caesaris*, scripsit, Narrat. 42. eandem habet narrationem, sed pro *Phalaride* ponit *Gelonem*, de quo sit locutus *Stesichorus*. Videntur autem *Gelonis* causae pro *Conone* esse. *Geloni* enim summum honorem habebant *Himerenses;* qui, ab *Himilcone* obsessam eorum ciuitatem, Olymp. LXXV. 1. liberauit, profligatis omnibus copiis *Carthaginiensium*. v. *Diodor.* XI. p. 18. et 21. Quo factum, vt pleraeque ciuitates *Siciliae*, illae ipsae etiam, quae antea restiterant, sponte se ei subiicerent. Fieri itaque potuit, vt fabulam suam fecerit, istac occasione, *Stesichorus;* aut fortasse longe ante, alia de causa, quam nunc ignoramus, ante quam regnum *Syracusarum* obtineret *Gelo*. Si igitur ponimus, cum Marm. *Arundel* vixisse *Stesichorum*, Olymp. LXXIII. 3. id vehementer cum *Gelonis* aetate congruit, eritque fortasse *Cononis* narratio, quam *Aristotelis*, magis credibilis. Ac tum, quidquid id est argumenti, quod ex tempore *Stesichori* ducitur, ad *Phalaridis* aetatem determinandam, cadet

Quod si quis autem tantum tribuit auctoritati *Aristotelis*, vt, eo vno referente, rem credat; cum eo disputare nolo. Fecerit *Stesichorus* hanc fabulam in *Phalarin*. Tantum abest, vt causa sit, cur *Phalarin* posterius ponas, vt potius argumento sit, eius aetatem terminis *Eusebii* circumscribendam esse. Tradit enim *Suidas*, *Stesichorum* natum, Olymp. XXXVII. mortuum, LVI. octogenarium adeo; quinquennio tantum minorem, quam eum facit *Lucianus*. Ponitur altius atiam ab *Eusebio;* ait enim, floruisse eum, Olymp. XLII. 1. mortuum, Olymp. LV. 1. Quae omnia confirmantur alio loco *Suidae*,

v. Σιμωνίδης, vbi, *Simonidem*, ait, vixiſſe, μετὰ Στησίχορον τοῖς χρόνοις, *poſt tempora Steſichori*; vt alio in loco v. Στησίχορος Steſichorum *poſt tempora* Alcmanis, *vixiſſe*. Τοῖς δὲ χρόνοις ἦν νεώτερος Ἀλκμᾶνος τοῦ λυρικοῦ. add. *Cyrill.* contr. *Iul.* Ol. μβ'. Στησίχορος ἐγνωρίζετο. Iam vero quemadmodum *Alcman*, qui floruit, Olymp. XXVII. mortuus erat, quando natus *Steſichorus*, Olymp. XXXVII. ſic *Steſichorus* mortuus, Olymp. LVI. illo ipſo tempore, quo natus *Simonides*, auctore *Suida*. Quare, ſi haec, de aetate *Steſichori*, teſtimonia admiſeris; vt et illud *Ariſtotelis*, de iis, quae ipſum inter et *Phalarin* ſint tranſacta, nouum inde naſcetur argumentum, ſecundum terminum *Euſebii*.

Tum vero, quo minus progrediamur, impedit Marmor *Arundel.* in quo *Steſichori aduentus in Graeciam*, Olymp. LXXIII. 3. demum notatur. ᾿ΑΦ᾿ οὗ Στησίχορος ὁ ποιητὴς εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο. Equidem magna veneratione praeſtantiſſimum illud monumentum proſequor: tamen non poſſum non in hoc diſſentire ab eo, adductus, et teſtimoniis iam prolatis, et eo, quod nunc proponam, et iudicio ſubiiciam lectoris *Simonides*, vt iam iam oſtendam, annos non minus LXXII. natus erat, Olymp. LXXIII. 3. quando *Steſichorum* in *Graeciam* veniſſe, Marmor teſtatur. Ac puto, ipſum etiam *Steſichorum* vix maiorem exiſtimari poſſe: nam LXXII. anni ſatis ſunt aetatis, qua iter tam longum inſtituas. *Simonides* igitur, ſi verum, quod eſt in Marmore, aetate non minor erat, *Steſichoro*: ſed ei contrarium ipſius teſtimonium *Simonidis*, apud *Athen.* l. IV. p. 172. vbi *Steſichorum Homero* adiungit, vt ſcriptorem veterem: ſermo eſt de *Meleagro*,

Ὃς δουρὶ πάντας νίκασε νέους
Δινάεντα βαλὼν Ἄναυρον ὕπερ
Πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ·
Οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στησίχορος ἄεισε λαοῖς·

Qui, haſtam inde Iolco *ſuper* Anaurum *collineando, omnes ſuperauit iuuenes: quemadmodum* Homerus *et* Steſichorus *populo cecinere.* Iam vero dicant omnes, quotquot ſapiunt, et non plane hoſpites ſunt in veterum ſcriptis; poſſintne exiſtimare, ita locuturum *Simonidem*, de aliquo poetarum lyricorum ſuae aetatis? Aemulabantur ſibimet mutuo omnes, inuidebantque. Commentatus eſt hic illic (v. Od. II. Olymp. III. Nem. et II. Iſthm.) quaedam *Pindarus*, de *Bacchylide*, et hoc, de quo ſermo eſt, *Simonide*, ſed vbique ea, quae vituperationi illis eſſent. Multo minus ergo *Simonides*, pro ea, quam veteres notarunt (*Pind.* II. Iſthm. *Callimach.* apud ſcholiaſt. *Athenaeus*, p. 656. *Syneſ.* Epiſt. 49. *Suidas*, v. Σίμων.), auaritia, qua

omnibus, quotquot aliquod lucrum interciperent, inuidebat, illum honorem habuiſſet *Steſichoro*, vt eum iungeret *Homero*, ſi tum *Himerenſi* iſti vita ſuppetiuiſſet, ad mutuam aemulationem quaeſtus. Oppoſuerit fortaſſe aliquis, fieri potuiſſe, vt *Simonides*, aetate iam prouectus licet, Olymp. LXXIII. 3. non, niſi poſt id temporis, ſcripſerit; atque adeo *Steſichorus* fuerit mortuus ante, quam quaeſtui habere poeticam inciperet *Simonides*. Habet vero *Herodotus*, lib. v. quod reſpondeas, quum dicit, *Simonidem* compoſuiſſe odas in *Eualcidam Eretrium*, quod *Olympia*, aut quosdam alios ludos, viciſſet. *Eualcidas*, enim, teſte *Herodot.* ib. interfectus ſtatim poſt incendium *Sardium*, quod accidit, Olymp. LXIX. Vt *Simonides* poetica clarus fuerit, viginti minimum ante annis, quam, ex rationibus Marmoris, *Steſichorus* in *Graeciam* venerit.

Reſtat nunc, de aetate *Simonidis* dicam. Sunt tria loca, in Marmore *Arundel.* vbi *Simonidis* fiat mentio:

I. *Σιμωνίδης ὁ Σιμωνίδȣ πάππος τȣ̃ ποιητȣ̃, ποιητὴς ὢν καὶ . . . . . . νησι καὶ Δαρεῖος τελευτᾶ.*

II. *Σιμωνίδης ὁ Λεωπρεπȣ̃ς, ὁ Κεῖος, ὁ τὸ μνημονικὸν εὑρὼν, ἐνίκησεν Ἀθήνησιν διδάσκων ἄρχοντος Ἀθήνησιν . . . . . . μάντȣ.*

III. *Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἐτελεύτησεν βιȣ̀ς ἔτη ἐνενήκοντα, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Θεα . . . . . . νίδȣ.*

I. Olymp. LXXII. 4. Simonides, *auus* Simonidis, *poetae, ipſe poeta . . . . . . Athenis.*

II. Olymp. LXXV. 3. Simonides, *filius* Leoprepis, Ceus *qui artem memoriae inuenit, vicit* Athenis, *cum doceret carmina* Adimanto *magiſtratu.*

III. Olymp. LXXVII. 4. Simonides *poeta mortuus eſt, nonagenarius,* Theagenide *magiſtratu.*

In explicandis his tribus locis, aliquoties erratum eſt ab editoribus Marmorum; v. not. *Seldeni* et *Lydiati:* videor tamen mihi inueniſſe, quo rem omnem expediam.

Qui ſecundo in loco commemoratur, eſt noſter *Simonides*, poeta lyricus; qui in ſuam ipſe victoriam, *Adimanto* magiſtratu, cuius hic mentio, epigramma fecit. Exſtat id in ſchol. in *Hermogenem*, p. 410.

Ἦρχε μὲν Ἀδείμαντος Ἀθηναίοις, ὅτ' ἐνίκα
Ἀντιοχὶς φυλὴ δαιδαλέον τρίποδα·
Ξεινοφίλȣ δέ τις υἱὸς Ἀριστείδης ἐχορήγει
Πεντήκοντ' ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ.
Ἀμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἕσπετο κῦδος
Ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρεπέος.

Partem eius citat *Plutarchus*, An ſeni, etc. Εἶγε Σιμονίδης

μὲν ἐν γήρᾳ χοροῖς ἐνίκα, καὶ τἀπίγραμμα δηλοῖ τοῖς τελευταίοις ἔπεσιν·

'Αμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἕσπετο κῦδος
'Ογδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Summa haec est: *Magiſtratu* Adimanto, Athenis, *chorus tribus* Antiochidis *vicit*, Ariſtide *ludos apparante* Simonide, *filio* Leoprepis, *carmina docente*, *tum octogenario*. Clare, opinor, apparet, in Marmore et epigrammate, ad eandem victoriam reſpici. Videmus hic, diſertis verbis ipſo *Simonide* teſtante, annum octogeſimum aetatis eius cadere in Olymp. LXXV. 3. *Adimanto* magiſtratu. Et, de hac ipſa victoria, ipſoque epigrammate, verba *Valerii Maximi* ſunt accipienda: Simonides, inquit, VIII. 7. *poeta*, *octogeſimo anno*, *et docuiſſe ſe carmina, et in eorum certamen deſcendiſſe*, IPSE *gloriatur*. Reliquorum autem iſtorum verborum, in Marmore, ὁ τὸ Μνημονικὸν εὑρὼν *qui artem Memoriae inuenit*, ipſe *Simonides* optimus interpres eſt. Nam, hoc ipſo anno, epigramma fecit, quo memoriam ſuam commendaret:

Μνήμῃ δ' ἄ τινα φημὶ Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
'Ογδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Nego, *quemquam* Simonidi *memoria parem eſſe*, *octogenario*, *filio* Leoprepis. v. *Ariſtot*. Orat. tom. 3. p. 645.

Hac parte explicata, facile poterit explanari tertius in Marmore locus, de eodem *Simonide*. Erat enim octogenarius Olymp. LXXV. 3. et, vt in Marmore eſt, *mortuus eſt* Simonides, *nonagenarius*, Olymp. LXXVII. 4. Iam interuallum, inter duas has Olympiades, annorum eſt IX. et, addita parte ſequentis, X. Congruunt cum hoc teſtimonia *Suidae*, v. Σίμων. et ſcholiaſt. *Ariſtoph*. ad Veſp. p. 362. Simonides, inquiunt, *vixit annos* LXXXIX. *et Olymp*. LXXVIII. *mortuus eſt*. Sunt anni LXXXIX. perfecti, ineunte iam nonageſimo. *Lucian*. in Macrob. ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα, inquit. Quod autem, in Marmore, notatur ad Olymp. LXXVII. 4. *Suidas*, cum *Diodoro*, aliis, refert ad LXXVIII. 1. Magiſtratus enim, in Marmore, omnes ordine, anno praecedunt aliorum rationes.

Tum autem primi, in Marmore, loci non difficilis erit explicatio, cum reliqui patent. Qui ibi commemoratur, *Simonides*, auus eſt eius, de quo fuit ſermo. Ordo hic eſt:

Simonides.
Leoprepes.
Simonides.

Conſtat, apud *Graecos* olim nepotes vulgo nomina habuiſſe auorum, vt in illo poetae, Auib. p. 379.

'Ιππόνικος Καλλίου, κἀξ 'Ιππονίκου Καλλίας.

Fac iam, hunc *Simonidem* habuiſſe annos XL. non amplius, cum nepos eius naſceretur: Olymp. hac, in Marmore notata, LXXII. 4. oportet, annos habuerit CIX. Vt, quod habeat vacui inſcriptio, ſic impleam: ποιητὴς ὢν καὶ αὐτὸς τελευτᾷ Ἀθήνησιν. Simonides, *poeta*, MORTVVS *eſt* Athenis. Quid enim eſſe poteſt aliud, cur hic commemoretur, in tam extrema ſenectute?

Vt igitur argumentationem noſtram concludamus, de *Steſichoro*; ſi *Simonides* octogenarius, Olymp. LXXV. 3, quemadmodum demonſtratum a nobis; neceſſe eſt, annos habuerit LXXII. Olymp. LXXIII. 3. quando, teſtante Marmore, in *Graeciam* iter fecit *Steſichorus*. Atque haec eſt ſumma concluſionis meae; nec dubito, quin planum ſit, aetatem *Steſichori* multum anteceſſiſſe tempus, in Marmore notatum.

Nihilominus tamen, ſi quis tam erit pertinax, vt adhuc in eo perſiſtat, auctoritatem Marmoris plus valere, reliquis omnibus, quae contra diſputauerimus: is via, ad labefactandam fidem Epiſtolarum, proxima, et quaſi compendiariâ, inſtituet. Nam, in ſumma, ſi *Steſichori* aetas recte notata eſt in Marmore, certo confictae ſunt Epiſtolae. Nam ſi *Steſichorus*, Olympiad. LXXIII. 3. vixit, regnauit tum *Phalaris*, ille Epiſtolarum ſcriptor; nam, variis in locis, mortem celebrat *Steſichori*. V. ep. XV. (IC.) XXXI. (IIC.) XXXIII. (C.) LIV. (XCVI.) CIII. (XCVII.) Sed toto biennio ante iſtud tempus, Olymp. LXXIII. 1. vt *Diodorus* teſtatur, p. 39. alius tyrannus fuit *Agrigenti*, *Theron*, filius *Aeneſidami*: et, altero biennio plus ante, eius frater *Xenocrates*, qui in eadem ciuitate degebat, *Pythia* vicit, Pythiad. XXIV. (vid. ſchol. *Pindari*, ad VI. Pyth. et II. Iſthm.) quae cadit in Olymp. LXXII. 3. Ac ſi quis eſt, qui credat, eum deſcendiſſe in iſtud certamen, quando *Phalaris* eſſet tyrannus; is fruatur, quod amet.

Ipſe doctiſſimus *Dodwellus*, de Cyclis V. p. 261. cum videret, non potuiſſe *Phalarin* viuere, Ol. LXXIII. 3. quod tum *Theron* regnaret; et illius, et *Steſichori*, mortem, quadriennio ante iſtud tempus, collocauit, Olymp. LXXII. 3. atque ita biennii ſpatium *Theroni* reliquit, quo is aditum ſibi ad regnum faceret, Olymp. LXXIII. 1. Sed praetermiſiſſe videtur ſcholiaſten *Pindari* (v. ſupra, p. 15.); qui, auctore idoneo, *Hippoſtrato*, ipſe auctor idoneus, non *Theronem*, ſed eius proauum, *Telemachum* vnum fuiſſe, tradit, de interfectoribus *Phalaridis*. Neque etiam *Theron Agrigentinorum*, a *Phalaride* proximus, tyrannus, vt hic *Dodwellus* exiſtimat: ſed primum fuit *Alcamenes* quidam, et dein *Alcander*, qui proſpere admodum regnauit. *Heraclides Ponticus*, de Polit. Μετὰ

τὸν Φάλαριν, inquit, Ἀλκαμένης παρέλαβε τὰ πράγματα, καὶ μετὰ τῦτον Ἄλκανδρος προέστη ἀνὴρ ἐπιεικής· καὶ εὐθένησαν ἔτως, ὡς περιπόρφυρα ἔχειν ἱμάτια, Sed praeterea, cur moriendum fuit *Stesichoro*, Olymp. LXXII. 3? Aut cum Marmore ſtandum, aut non. Si repudiamus eius teſtimonium, *Stesichorus* mortuus fuiſſe, exiſtimandus eſt, circa Olymp. LVI. vt alii ſcriptores teſtantur: ſin vero aſſentimur, vixit is vsque ad Olymp. LXXIII. 3. mortuo iam *Phalaride*. Adhaec obſervandum; non eſſe, in Marmore, *mortuus eſt*, Olymp. LXXIII. 3. ſed ἀφίκετο εἰς τὴν Ἑλλάδα, *venit in* Graeciam; vt *Gorgias*, aliique *Siculi*, fecerunt, cauſa lucri et famae. Vt nihil obſtet in Marmore, quo minus, vltra terminum iſtum vixiſſe, cenſeatur: quo magis etiam *Phalaridis* Epiſtolae refelluntur. Primum tamen *Dodwellus* verba, in Marmore, interpretatur, quaſi ſint accipienda, de poſtremo anno vitae *Stesichori*; dein in cauſa Epiſtolarum, ſine vllo alio teſtimonio, quo rem probet, vitam iſtam quadriennio facit breuiorem.

Secundae argumentationis, qua nouam ſuam, de *Phalaridis* aetate, ſententiam concludit *Dodwellus*, ſumma haec eſt:

„*Erat* Agrigenti Pythagoras, *quo tempore moriebatur* Phalaris, *cuius mortis praecipua cauſa fuit. Sed* Pythagoras *nunquam in* Sicilia *fuit, ante ſcholam* Pythagoricam, Crotone „*incenſam a* Cylone, *id, quod accidit, Olymp.* LXXII. 2. *Non* „*ergo mortuus fuit ante iſtam Olymp.* Phalaris“.

Equidem doleo vehementer, mihi cum viro hoc doctiſſimo non conuenire, in cauſa temporum, quorum peritiſſimus eſt. Sed, omnibus, quae de *Pythagora* narrantur, quam diligentiſſime perpenſis, de ſingulis partibus huius argumenti, diuerſam plane opinionem habeo. Nam probabilis magis ſententia videtur, *Pythagoram* non fuiſſe de interfectoribus *Phalaridis*; fuiſſe eum in *Sicilia*, ante conſpirationem *Cylonis*; ac tandem conſpirationem iſtam praeceſſiſſe Olymp. LXXII.

Fuit *Telemachus*, vnus de maioribus *Theronis*, dux, et auctor, et actor, interfecti *Phalaridis*; vt iam vidimus, in ſcholiaſt. *Pindari*. Ac res exitum habuit, quatuor aetatibus ante, quam primum in *Siciliam* venit *Pythagoras*, ex ratione *Dodwelli*. Primus, isque vnicus, qui, ſocium iſtius facinoris fuiſſe *Pythagoram*, tradat, eſt *Iamblichus*. Qui vitam philoſophi noſtri ſcripſerunt, *Laertius* et *Porphyrius*, de eo, ne verbum quidem. Qui vero fieri potuit, vt ei, ſi cognouiſſent, rem tam ſingularem omitterent? aut quomodo *Iamblichus*, qui iis fuit aetate poſterior, et vix aliud fecit, quam eorum ſcripta compilauit, eam reſciſcere potuit? Obſeruandum, nullum ab eo citari auctorem; quod, ſi potuiſſet, fieri debuiſſet; quia

factum esset, quo nihil maius, nihil memorabile magis, in tota eius narratione, nec id relatum ante. Tradit quidem *Porphyrius*, Vit. Pythag. p. 189. Pythagoram, *postquam in* Italiam *et* Siciliam *venisset*, *varias ibi ciuitates fecisse liberas; Crotonem*, *Sybarin*, *Catinam*, *Rhegium*, *Himeram*, *Agrigentum*, *Taurominium*, alias. Ac *Lucianus*, in Phal. 1. siue ioco, siue serio, *Phalarin* inducit, consuetudine gloriantem *Pythagorae*. His duobus locis fortasse solis *Iamblichi* nititur narratio. Nam si *Pythagoras* cum *Phalaride* consuetudinem habuisset, liberassetque seruitute *Agrigentum*; nihil *Iamblicho* offerri melius potuisset, ex quo fabulam duceret, conflaretque.

Sed si a *Iamblichi* narratione stamus, non opus est aliud argumentum, contra *Dodwellum*, ad probandum, Epistolas esse commenticias. Nam, in Epistolis, amicissimi sunt tyrannus et philosophus, *et quinque menses vna viuunt iucundissime*, ep. LXXIV. (LXXX.); et, tanquam vnus *Pythagoricorum*, *prouidentiam* iactat tyrannus, ep. CIV. (XL.): Ἕως ἂν, inquit, ἡ διοικᾶσα πρόνοια τὴν αὐτὴν ἁρμονίαν τᾶ κόσμω φυλάττῃ. Sed *Iamblichi* ille *Phalaris* huius dissimillimus. v. p. 184, 186. Iracundus est, in deos contumax, atheus totus, deos despicit et contemnit, negat, esse diuinationem, esse prouidentiam; consilium capit interficiendi *Pythagorae*, eumque interficit *Pythagoras*. Quomodo, quaeso, haec duo cohaerere inter se possunt? Si vera narrat *Iamblichus*, non possunt non esse falsae Epistolae. Fateor equidem, non posse me conciliare haec; videant alii.

Atque iterum ipsa haec *Iamblichi* narratio comprobat, contra *Dodwellum*, *Pythagoram* in *Sicilia* fuisse, ante Olymp. LXXII. 2. Nihil quidem *Iamblichus*, de tempore, quando *Phalarin* interemerit *Pythagoras*. Sed, quoniam *Hyperboreum Abarin*, vna cum *Pythagora*, inducit, ibid. tempore rei gestae; ex eo cognitum habemus, istud ante accidisse, quam ex sententia *Dodwelli*. De tempore, quo in *Graeciam* venerit *Abaris* variae sunt opiniones scriptorum; alii putant, Olymp. III. alii, XXI· alii, longe serius. v. *Harpocrat.* et *Suidam*, in v. Ἄβαρις. Qnae dissensio ipsa argumento est, non tam sero venisse, quam putat *Dodwellus*, quando certa satis temporum ratio. Est vero, quo omnis remoueatur exceptio, *Pindari* testimonium, apud *Harpocrat.* Is, κατὰ Κροῖσον τὸν Λυδῶν βασιλέα, φησὶν, Ἄβαριν παραγενέσθαι· Abarin *venisse*, *ait*, *tempore* Croesi, qui a *Cyro* victus, Olymp. LIX. Cum eo consentiunt *Eusebius* et *Syncellus*; quorum vterque temporibus *Croesi* illum assignat. Iam vero ipse *Pindarus* XXX. annos habebat, illo ipso anno, quo *Abarin* in *Graecia* fuisse, ponit *Dodwellus*, Olymp.

LXXII. 2. Natus enim is, Olymp. LXV. quadragenarius, tempore expeditionis *Xerxis*, Olymp. LXXV. 1. vid. *Suid.* Sed si vere tum illic fuisset *Abaris*, certe *Pindarus*, annum aetatis tricesimnm agens, melius fuisset edoctus: nec eum, retro ad tempora *Croesi*, reiecisset, spatio annorum amplius L.

Quod si ergo narrationem *Iamblichi* admittimus, tempus longe altius ponendum est, quam fecit *Dodwellus.* Causa vnica, quare id fecit *Dodwellus*, haec est, de Cycl. Vet. p. 26. *Quod* Pythagoras *non venit in* Siciliam, *nisi post conspirationem* Cylonis. Quod precario assumi, putem. Non quidem, ante id temporis, in perpetuum *Italia* cessit: sed quid vetat, nos existimare, nonnunquam breue eum iter in *Siciliam* fecisse? Quid? Quod *Iustinus* ait, XX. 5. *Eum* Crotone *annos* XX. *egisse.* Sed ex eo nihil efficitur, nisi vt plerumque *Crotone* egerit: non est ad verbum ita accipiendum, quasi nunquam fuisset vrbe egressus. Nam, teste *Liuio*, 1. 18. et *Porphyrio*, p. 189. saepe fuit *Metaponti* et *Tarenti*, inque aliis ciuitatibus vicinis: cur minus ergo; existimari licet, eum in *Siciliam* excurrisse. Meminere eius itinerum in *Siciliam Porphyrius* p. 189. er *Iamblichus*, p. 46. longe ante, quam vel verbum loquuntur, de conspiratione *Cylonis.* Imo disertis vterque verbis testatur, fuisse in *Sicilia*, ante istud tempus. Nam, *Eodem eum die, et* Taurominii, *in* Sicilia, *et* Metaponti, *in* Italia, *coetum habuisse iuuenum*, v. *Porphyr.* p. 192. et *Iambl.* 128. Καὶ διειλέχθαι κοινῇ τοῖς ἑκατέρωθι ἑταίροις, Sed inter omnes conuenit, non habuisse eum coetum iuuenum, circa *Metapontum*, aut vsquam, in *Italia*, post facinus istud *Cylonis;* discipulis eius omnibus tum concrematis, aut trucidatis, praeter *Archippum*, et *Lysin.*

Neque assentior *Dodwello*, conspirationem istam *Cylonis* ad Olymp. LXXII. 2. referenti. Quod, nec historia, nec alia re vlla, nititur, nisi rationibus quorundam temporum, quibus quodque, in vita, fecerit *Pythagoras*, a *Dodwello* confectis. Et, quoniam, de istis temporibus, ab eo dissentio, non possum non dissentire quoque, de tempore conspirationis *Cylonis.* Sed, cum haec quaestio haberi recte nequeat, nisi perspecta et cognita tota *Pythagorae* vita; hic tabulam exhibebo, in qua sint expressae diuersae rationes veterum scriptorum. Cui addam commentationes quasdam, vt pateat, quibus rationibus, et testimoniis, singula tempora confirmentur. Materia digna est, quae quam diligentissime perpendatut: et, licet nihil ipse determinem, aliis fortasse viam monstrabo, ad inueniendum verum.

Olympiades.		*Anni* Pythagorae.	
XLIII.	4.	I.	*Pythagoras* natus.
XLVIII.	I.	XVIII.	Vicit *Olympia*, Ol. XLVIII. I. *Eratosth Phauor. Lucian.* S. *Augustin.*
XLIX.	2.	XXIII.	*Pythagoras* virili aetate. *Antilochus.*
LIII.	3.	XL.	*Pythagoras*, annos natus XL. *Italiam* petiit. *Aristoxenus.*
	4.	XLI.	*Pythagoras* in *Italia*, post Olymp. L. *Dion. Halicarn.*
LIV.	I.	XLII.	*Pythagoras* clarus, Olymp. LIV. I. Chron. *Alexandr.*
LVIII.	2.	LIX.	*Pythagoras* *Italiam* petiit, annos circiter natus LX. *Iambl.*
LX.	I.	LXVI.	*Pythagoras* floruit, Olymp. LX. *Laert.*
LXI.	I.	LXX.	*Pythagoras* clarus, Ol. LXI. *Diodorus.*
	4.	LXXIII.	*Pythagoras* venit in *Italiam*, regnante *Superbo* (i. e. inter Olymp. LXI. 4. et LXVII. 4.) *Cicero.*
LXII.	I.	LXXIV.	*Pythagoras*, Olymp. LXII. *Italiam* petiit. *Iamblich.*
	2.	LXXV.	*Pythagoras* clarus, Olymp. LXII. *Clemens, Cyrill. Euseb. Tatian.*
LXIII.	3.	LXXX.	*Pythagoras* mortuus, annos natus LXXX. *Heraclides.*
LXIV.	I.	LXXXII.	*Pythagoras* captus a *Cambyse*, in *Aegypto*, Ol. LXIV. I. *Iambl. Syncellus.*

Olympiades.		*Anni* Pythagorae.	
LXIV.	I.	XC.	*Pythagoras* mortuus, annos natus XC. *Laertius.*
LXVII.	2.	XCV.	*Pythagoras* mortuus, annos natus XCV. *Syncellus.*
LXVIII.	I.	XCVIII.	*Pythagoras Italiam* petiit, *Bruto* consule, i. e. Olymp. LXVIII. I. *Solinus.* *Pythagoras* in *Italia*, *Bruto* consule. *Cicero.* *Pythagoras Crotone*, quum *Sybaris* caperetur, Ol. LXVIII. I. *Diod. Iamblich.*
LXVIII.	2.	XCIX.	*Pythagoras* mortuus, annos natus XCIX. *Tzetzes.*
			Pythagoras mortuus, annos c. fere natus. *Iamb.*
	3.	C.	*Pythagoras* mortuus, Olymp. LXVIII. 3. quidam MSS. *Eusebii*; alii LXVIII. 4.
	4.	CI.	
LXIX.	3.	CIV.	*Pythagoras* mortuus, annos natus CIV. *Incertus*, apud *Photium.*
LXX.	4.	CIX.	*Pythagoras* mortuus, Olymp. LXX. 4. *Eusebius* vulg.
LXXII.	4.	CXVII.	*Pythagoras* mortuus, natus annos CXVII. Auctor, *de Med. par fac.*

I. Causa, cur *Pythagorae* natiuitatem apposui ad Olymp. XLIII. 4. sequens terminus est, Olymp. XLVIII. quando *Olympia* vicit: nam tum erat ἐξέφηβος, annos XVII. natus; decimo octauo aetatis ineunte cum Olymp. XLVIII. *Eratosthenes*,

auctor ſummus, qui victores *Olympiae* ordine recenſuit, Pythagoram, ait, *Olymp.* XLVIII. *cum pugilatione vellet certare cum pueris, reiectum a iudicibus, vt iam abſoluta aetate puerili, deriſumque, vt ignauum et timidum, quod ſe pueris iungeret, ſtatim cum viris in certamen deſcendiſſe, eosque omnes viciſſe.* Verba *Eratoſthenis*, apud *Laert.* in Pythag. hac ſunt: Ἐρατοσθένης δέ φησι, τοῦτον εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος, κομήτην, καὶ ἀλουργίδα φοροῦντα· ἐκκριθῆναί τε ἐκ τῶν παίδων, καὶ χλευασθέντα, αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας καὶ νικῆσαι. Conſentit Catalog. *Stadionicarum*, apud *Scaligeri Euſeb.* p. 40. ad Olymp. XLVIII. Πυθαγόρας Σάμιος ἐκκριθεὶς παίδων πυγμὴν, καὶ ὡς θῆλυς χλευαζόμενος, προβὰς εἰς τοὺς ἄνδρας, ἅπαντας ἑξῆς ἐνίκησε. Vt pateat, non eſſe vitium in numero; licet, qui idem narrat, *Georgius Syncellus*, p. 239. id factum notet, Olymp. LI. Πυθαγόρας ὁ Σάμιος ὀλύμπια ἀθλήσων, ἐξεκρίθη παίδων πυγμὴν (καὶ χλευασθεὶς) ὡς ἁπαλὸς, προβὰς εἰς τοὺς ἄνδρας ἐνίκα κατὰ τὴν να. ὀλυμπιάδα. Sed forte erratum fuit in eius exemplo, quod, in altera cauſa, fieri non potuit. Verba *Syncelli*, vt ſcribenda ſunt, dedi; nec ſententia, quam non fuit aſſecutus nouiſſimus eius editor, alia, atque ea *Eratoſthenis*, ſupra. Similia narrat *Pauſanias*, de quodam *Hyllo*, *Rhodio: Eum luctari voluiſſe cum pueris, excluſum autem a iudicibus, quum annos haberet* XVIII. *ſtatim fuiſſe cum viris luctatum, ac viciſſe.* Ὕλλος ὁ Ῥόδιος, inquit, Eliac. 11. p. 191. ὄγδοον ἐπὶ τοῖς δέκα ἔτεσι γεγονὼς, μὴ παλαῖσαι μὲν ἐν παισὶν ὑπὸ Ἠλείων ἀπηλάθη, ἀνηγορεύθη δ' ἐν ἀνδράσιν, ὥσπερ γε καὶ ἐνίκησε. Hic *Hyllus* idem fecit πάλῃ, quod πυγμῇ *Pythagoras.* Atque ex poſteriore hoc exemplo apparet, aliquem XVIII. annorum, maiorem fuiſſe habitum, quam qui cum pueris componeretur. Tempus fixum videtur XVI. quo anno dicebantur *ephebi*, teſte *Cenſorino* et *Didymo*. Alii vero (v. *Harpocrat.* v. Ἐπιδιετὲς, et Ἐπώνυμοι) ab anno XVIII. Ἐφήβους vocatos, tradunt, ad annum XX. vſque, tum autem ἄνδρας nominatos. Atque haec ratio melius congruit cum iis, quae de *Pythagora* narrantur, pugnante Παίδων πυγμήν. Ille et *Hyllus Rhodius*, cuius meminit *Pauſanias*, venerunt, ad pugnandum cum *pueris*, ſed, annis XVIII. iam abſolutis perfectisque, excluſi ſunt, quum non eſſent Παῖδες, ſed Ἔφηβοι. Hanc repulſam aegre ferentes, cum *viris* contendere voluerunt, biennio licet minores, quam pro aetate virili: et admiſſi, omnes vicerunt. Atque hoc, tam memorabilis facta *Pythagorae* victoria *Olympica.*

Sed non conuenit inter veteres, hunc fuisse illum *Pythagoram*, quem postea philosophum. *Hesychius*, v. ἐν Σάμῳ κομήτης, *Errare*, ait, *qui id dicant*. Dicitur hic *Pythagoras*, in Epigramm. apud *Laert.* in Pythag. filius *Cratetis;* illius vero pater fuit *Mnesarchus*. Tamen *Eratosthenes*, accuratissimus scriptor, eundem esse, credidit. Atque ita existimasse *Fauorinus*, auctor quoque summus, videtur. *Laert.* Pythag. Ἐρατοσθένης Φησὶ, καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ὀγδόῃ παντοδαπῆς Ἱστορίας παρατίθεται. Eadem quoque *Luciani* sententia, in Gall. Ἀθλητῇ ποτε γενομένῳ, καὶ ὀλύμπια οὐκ ἀΦανῶς ἀγωνισαμένῳ· et S. *Augustini*, tom. II. ep. 3. *Pherecydes* — — *Pythagoram Samium* — — *ex athleta in philosophum vertit*. Quodque *Theaetetus* in hunc *Pythagoram* fecit, epigramma in philosophum quadrat;

Πυθαγόρην τινὰ, Πυθαγόρην, ὦ ξεῖνε, κομήτην, κ. τ. λ. Nam *comam alebat* philosophus, quod est κομήτης. Vt ipse *Iamblichus*, qui prouerbium, ἐν Σάμῳ κομήτης, ad *Pythagoram* philosophum refert, p. 31, et 44. tanquam auctor alius, cuius testimonio haec temporis nota confirmetur, addi possit; licet cum suis ipse rationibus pugnet.

Sed mirum fortasse videbitur, qui sit educatus ad certamina, eum ad studia philosophiae se conuersurum. Solebant enim athletae esse ἀναίσθητοι, *stupidissimi homines*. Nihilominus exempla sunt, similia huic *Pythagorae*. *Cleanthes*, stoicus, quum esset iuuenis, πύκτης, *pugil*, fuit, aeque ac *Pythagoras*. v. *Laert.* in Cleanth et *Suid.* Eiusque discipulus, *Chrysippus*, stoicorum acutissimus, primum δολιχὸν ἤσκει, *in stadio se exercuit*. v. *Laert.* in Chrysippo. Ipse *Plato* παλαιστὴς, *luctator*, fuit, ludis *Isthmicis*, et *Pythicis* (v. *Laert.* in Platon. *Apuleius*, *Cyrillus*). Idem quoque *Lycon*, *Tros*, Peripateticus, *Iliacis*. Διὰ ταῦτα δὲ, inquit *Laertius*, in Lycone, καὶ παλαῖσαι λέγεται τὰ τε ἐν τῇ πατρίδι Ἤλεια, καὶ σΦαιρίσαι. Vbi Ἰλίεια, quam Ἤλεια, malo; *ludos Iliacos*, ab *Ilio*; vt Ἐφεσήϊα, ab *Epheso*. v. Marm. *Arund.* Sic *Athenaeus*, l. VIII. p. 350. Πυνθανόμενος δὲ Στρατόνικος ὁ κιθαρῳδὸς τὸν σοφιστὴν Σάτυρον ἐπιδημεῖν ἐν τοῖς Ἰλιείοις, Ἀεὶ, ἔΦησεν, Ἰλίῳ κακά. Nihil itaque in hac, de *Pythagora*, narratione, quod abhorreat a vero. Ac magis etiam probabilis ea fit, descriptione, quam fecerunt, formae eius; nam, vt ait *Porphyrius*, p. 188. erat ei facies liberalis, statura magna, et quae bonum athletam efficit. Τήν τε γὰρ ἰδέαν ἐλευθέριον καὶ μέγαν. Ne dicam, addi, hunc *Pythagoram*, iuuenem, primum fuisse, qui ἐντέχνως, *ad regulas artis*, pugnaret: quod naturae eximiae atque illustris indicium, in philosophum qua-

drat, qui, vt *Fauorinus*, apud *Laert.* in Pythag. et *Porphyrius* habent, adeo in sua arte exercuit *Eurymenem* quendam, vt *Olympia* vicerit.

II. Proximum, in tabula, tempus est, Olymp. XLIX. 2. a quo, ex sententia *Antilochi*, vel potius, *Antiochi*, scriptoris vetusti, *Pythagorae* ἡλικία incipit. Verba *Clementis Alexandr.* Strom. I. p. 133. haec sunt: Ἀντίλοχος ὁ τοὺς Ἱστορικοὺς πραγματευσάμενος, ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτὴν, ἔτη Φέρει τὰ πάντα τριακόσια δώδεκα· Antilochus, *qui* Ἱστορικὰς *scripsit*, *inde a* Pythagorae ἡλικία *ad mortem* Epicuri, *annos numerat* CCCXII. Iam vero, *Epicurum*, constat, mortuum esse, Olymp. CXXVII. 2. *Pytharato* magistratu. Si ergo retrocesseris, spatio annorum CCCXII. cadet *Pythagorae* ἡλικία in Olymp. XLIX. 2. Sed quid est ἡλικία? Doctissimus *Dodwellus*, *natiuitatem* Pythagorae, interpretatur; et, vt in suas rationes locum accommodet, pro δώδεκα, legit, δέοντος ἑνὸς, h. e. CCIC, pro CCCXII. *Fieri tamen potest*, inquit, de Cycl. Vet. p. 147. *vt scripserit* Antilochus; τριακόσια δέοντος ἑνὸς. *Exinde librarius, si primam literam duntaxat, manifestam habuerit, facillimo errore* δώδεκα *reposuerit. Sic omnia rectissime procedent.* Sed vereor, vt sint futuri, qui eam nobis corrigendi licentiam dent, quae est, pro δώδεκα, reponendi, δέοντος ἑνὸς; vbi vnica tantum litera manet; et ne vnica quidem, si scribis, δώδεκα, notis numerorum, ιβ΄. Sed non, puto, vrgebit istam emendationem; vbi apparuerit, ἡλικίαν, non dici *natiuitatem*: tum enim cum eius rationibus non magis congruet emendatio, quam id, quod vulgo legitur.

Perpendamus itaque, quae sit, in aliis locis *Clementis*, voci, ἡλικία, subiecta notio. Γίνονται, inquit, p. 140. ἀπὸ Μωϋσέως ἐπὶ τὴν Σολομῶντος ἡλικίαν, ἔτη τὰ πάντα ἑξακόσια δέκα. Mosem *inter et* Solominis ἡλικίαν, *anni sunt*, ɪↄcx. Quae ratio sic confecta est:

Mosis vita, — — — —	120. Anni.
Inde ad initium regni *Dauidis*, —	450.
Regnum *Dauidis*, — — —	40.
	610.

Ex quo apparet, ἡλικίαν *Solomonis*, non dici eius *natiuitatem*, sed, de tempore, quo coeperit regnare, cum esset annos natus XXIII. esse accipiendum, v. *Petau.* in Chron.

Ibid. p. 141. Λέγονται δὲ ἔτοι inquit *Clemens*, μετὰ τὴν Λυκέργε ἡλικίαν γεγονέναι — Ἠσαίας δὲ ἀπὸ τε Σολομῶντος διακοσιοςῷ ἔτει. corrige, τριακοσιοςῷ. Esaias, Hoseas,

et Michas, *vixerunt post* ἡλικίαν Lycurgi. Idque probat hac ratione:

Inter *Troiam* euerſam et ἀκμὴν (τὴν ἀκμὴν Λυκέργε, ib. *Clem.*) *Lycurgi*,	290. Anni.
Inter *Solomonem*, quo regnante, capta *Troia*, et tempora iſtorum vatum,	300.

Vbi, manifeſtum eſt, ἡλικία, et ἀκμή, eſſe poſita, vt nomina eiusdem notionis, quibus eadem res ſignificaretur: *iuuentus media aetas*, *flos aetatis*.

Ib. p. 140. Eratoſthenem, ait *Clemens*, ἡλικίαν Homeri, *centum a* Troia *capta annis*, *diſiungere*. Ἐρατοσθένης μετὰ τὸ ἑκατοςὸν ἔτος τῆς Ἰλίε ἁλώσεως τὴν Ὁμήρε ἡλικίαν Φέρει. Atque, hoc etiam in loco, ἡλικίαν, eſſe ἀκμὴν, non vna via, intelligas. Crates, inquit *Tatianus*, p. 188. ed. *Geſneri*, Ὅμηρον ἠκμακέναι Φησὶ, Homerum, *ait*, FLORVISSE, *intra annos*, *a* Troia *capta*, LXXX: *Sed* Eratoſthenes, *annis poſt* C. *Sunt*, inquit *Plutarch.* in V. Homeri, p. 44. *qui dicant*, Homerum *vixiſſe*, *tempore belli* Troiani, *eiusque teſtem oculatum fuiſſe; alii vero*, *vixiſſe*, *centum inde annis.* Γενέσθαι δ' αὐτόν Φασι τοῖς χρόνοις, οἱ μὲν κατὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, ἕ καὶ αὐτόπτην γενέσθαι· οἱ δὲ, μετὰ ἑκατὸν ἔτη τε πολέμε. Eſt verbum γενέσθαι, non, *natum eſſe*, ſed, *vixiſſe*; vt, FVIT, eſt apud *Latinos*. Nam, ſi diceretur, *natus eſſe*, iſtius tempore belli, teſtis oculatus eius eſſe non potuiſſet; durauit enim annos X. tantum, eoque finito, puer fuiſſet ille.

Apparet ergo, vbique ἡλικίαν a *Clemente* dici aetatem *florentem*: atque ita paſſim ab aliis ſcriptoribus. *Plutarch.* ib. Vit. Hom. p. 42. expoſita *Homeri* pueritia, γενόμενος δὲ ἐν ἡλικίᾳ, *cum vero eſſe florente aetate*, inquit, *et iam celebris factus carminibus.* Sic, in Lycurgo. *Xenophon*; ἐν ἡλικίᾳ γενόμενοι, *qui florent aetate.* Οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ, *iuuenes*, *qui ſunt aetate virili*; *Thucidid. Aeſchines.* Nec vllum, puto, exemplum eſſe, vbi, ἡλικία, dicatur *natiuitas.* Quum tempus *natiuitatis* alicuius dicere vult *Clemens*, non vtitur, ἡλικία, ſed, γένεσις· vt p. 145. ἀπὸ τῆς Μωϋσεως γενέσεως· et p. 146. εἰς ἐπίδειξιν τῆς τε Σωτῆρος γενέσεως. Vt dubitari non poſſit, quin ἡλικία *Pythagorae*, in eo, de quod quaeritur, loco, ſit *aetas eius iuuenilis.* In tabula, cadit in annum eius XXIII; atque hoc ex omni parte conſentit cum aetate *Solomonis*, qua is regnare coeperit; quam *Clemens*, ſupra, vocat eius ἡλικίαν. Fuit vero ſua *Pythagorae* peculiaris ratio diſtribuendi aetates vitae humanae. In quatuor eam partes diuiſit,

viginti annorum singulas; Παῖς εἴκοσι ἔτεα, νεήνισκος εἴκοσι. νεηνίας εἴκοσι, γέρων εἴκοσι· *Viginti puero, viginti iuveni, viginti viro, viginti seni.* Ac fortasse in pretio hanc doctrinam habuit *Antilochus*, quum eius ἡλικίαν assignauerit Olymp. XLIX. 2. Nam probabile est, eum rationem confecisse ad calculum, Olymp. XLVIII. 1. quando *Olympia* vicit *Pythagoras*. Quem si crediderit, annos non amplius XVI. natum, istoc tempore, quae aetas statuta puerorum exercitiis; illius rationem bene procedere, videbis, ab anno XX. *Pythagorae*. Poterit, si libuerit, his calculis vti lector, et natiuitatem *Pythagorae* ponere, Olymp. XLIV. 2. Malui tamen ego, in tabula, paulo altius eam collocare, ob ea, quae supra sunt dicta.

III. Proxima vitae pars, ex ipsius distributione, ab anno XX. ad XL, consumta in studiis itineribusque. Iuuenis, audiuit *Thaletem*, *Biantem*, *Pherecydem*, *Epimenidem*, *Hermodamantem*. Νέος ὢν ἀπεδήμησε, inquit *Laert.* Νεανίας γενόμενος, *Porphyrius*; Ἔτι ἔφηβος ὤν· Κομιδῇ τι νέος ἔτι ὑπάρχων. Περὶ ὀκτωκαιδέκατον μάλιστα ἔτος γεγονώς, *Iambl.* Oportet certe, cum *Epimenidis* consuetudine vteretur, admodum fuerit iuuenis; nam *Epimenides* mortuus est, μετ' οὐ πολύ, *non multo* post Olymp. XLVI. cum expiasset *Athenas* a caede *Cylonis*. *Laert.* in Pherecyde, *Euseb.* ed. *Pontaci.* Sunt exempla *Laertii*, vbi Olymp. XLVII. et ita *Eusebius Scaliger*. Suidas, v. Ἐπιμενίδης, expiationem istam ponit, Olymp. XLIV. Sed μδ'. vitium videtur librarii, reponendumque, μέ. vel μζ'. *Nec multo* post, eum mortuum, confirmare *Suidas* videtur; nam, erat tum *senex*, γηραιός, inquit. Inducit quidem eum *Plato*, vt, qui venerit *Athenas*; Olymp. LXX. 1. Sed rationem temporum, in suis dialogis, non habuit magnus ille philosophus, vt pluribus postea declarabo. Epimenides, inquit, de Legg. 1. *venit* (Athenas) *decem annis*, πρὸ τῶν Περσικῶν, *ante* Persica; *ac, tum* Persicam *expeditionem metuentibus*, φοβουμένων τὸν Περσικὸν στόλον, Atheniensibus *dixit*, *annos fore adhuc decem*, *ante quam fieret*, *ac tum eos caesum iri.* Ad pugnam respexit, ad *Marathonem* quae accidit Olymp. LXXII. 3. *Aldobrandinus*, in not. ad *Laert.* in Epimen. componere quidem causam, *Laertium* inter et *Platonem*, conatur. Interpretatur enim, *Persicam* expeditionem in *Lydiam*, quum *Sardes* caperet *Cyrus*. Sed quid erat, cur istam, in *Lydiam*, *metuerent Athenienses?* Ipse *Plato*, de Legg. III. sententiam declarat suam. *Decem annis*, inquit, *ante pugnam naualem*, *ad* Salaminem, Datis *venit*, Περσικὸν στόλον ἄγων, *cum* Persicis *copiis*. *Clemens* quoque *Alexandrinus*, non, aduersus *Lydos*,

sed *Athenienses*, factam esse expeditionem, affirmat. Τȣ̃ Κρητὸς Ἐπιμενίδȣ, inquit, Strom. VI. p. 268. αἱ θυσίαι Ἀθηναίοις τὸν Περσικὸν πόλεμον εἰς δεκαετῆ ὑπερέθεντο χρόνον. Quae a *Platone*, loco citato, mutuatus fuisse, videtur. De reliquis philosophi nostri doctoribus, *Thalete* et *Pherecyde*; fuit ille natus, Olymp. XXXV. 1 mortuus autem, XC. amplius natus annos, Olymp. LVIII. vid. *Laert.* in Thalet. Hic mortuus censetur, circa Olymp. LIX. ac, tum annos LXXXV. habens, (*Lucian.* in Macrob.) non potuit non esse natus, circa Olymp. XXXVII. 4. Vt *Thales* annum aetatis egerit XXXV. *Pherecydes* XXV. quum nasceretur *Pythagoras*.

IV. Quadragenarius, noster philosophus *Italiam* petiit. *Cum annos haberet quadraginta*, inquit *Aristoxenus*, apud *Porphyr.* p. 184. *atque aegre ferret* Polycratis *tyrannidem, iter fecit in* Italiam. Γεγονότα δ' ἐτῶν τεσσαράκοντα, φησὶν ὁ Ἀριςόξενος, καὶ ὁρῶντα τὴν Πολυκράτȣς τυραννίδα συντονωτέραν ȣ̃σαν, κ. τ. λ. Hic annus vitae eius cadit in Olymp. LIII. 3. in nostra tabula. Sed cui tempori ipse *Aristoxenus* natiuitatem assignauerit *Pythagorae*, certum non habeo. Est, quod dubitemus, num aeque alte eam collocet, atque *Eratosthenes*, quem, in tabula, sequimur. Nec desunt rationes aliae, quibus probabile fieri videatur, inter se consentire viros hos summos. Sed rem in vtramque partem disputabimus, vt possit iudicium facere lector.

Dionysius Halicarnassensis, scriptor accuratissimus, testimonio suo comprobare istam temporis notam, quae est in tabula, videtur. Ὁ μὲν Νομᾶς, inquit, l. II. p. 120. ἐπὶ τῆς ἑκκαιδεκάτης ὀλ. μεσȣ́σης (antea, ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ις΄. ὀλυμπ.) τὴν βασιλειαν παρέλαβε. Πυθαγόρας δὲ μετὰ τὴν πεντηκοςὴν ὀλυμπιάδα διέτριβεν ἐν Ἰταλίᾳ. Pythagoras *post Olymp.* L. *egit in* Italia. Si *post* Ol. L. fortasse LIII. 3. ipse annus est, quem putat *Dionysius*. Sed doctissimus ille *Henr. Valesius*, not. ad Excerpt. p. 41. in his vitium inesse, suspicatur; et pro L. reponit, LX. quod varii, et inprimis Christiani scriptores, eum circa Olymp. LX. et LXII. ponunt. Sed obstat huic emendationi tota *Dionysii* oratio. Instituit probare, aetatem *Pythagorae* valde remotam esse ab illa *Numae*. Numa, inquit, *regnare coepit*, *Olymp.* XVI. 3. *Qui potuit igitur habere consuetudinem cum* Pythagora, *qui floruit post Olymp.* L. *quatuor ab illo aetatibus*; Τῷ μετὰ τέσσαρας γενεὰς ἀκμάσαντι, — μετὰ τὴν ν΄. ὀλυμπιάδα. Interuallum inter has Olympp. est annorum CXXXIV. Sunt autem, vt supra ostendi, tres aetates, anni C. quatuor ergo, CXXXIII. cum parte tertia, paulo minus CXXXIV. Planum est ergo, auctorem nostrum eo

gitasse Olymp. L. nam, a *Numa* ad Olymp. LX. *quinque* amplius aetates erant; et id ille agebat, vt interuallum, quam posset, maximum faceret. In ratione *Dodwelli*, qui *Pythagoram Italia* arcuit, vsque ad. Olymp. LXVII. 2. *sex* amplius aetates sunt.

Alius, qui stare ab *Eratosthene* videtur, est ipse *Liuius*. *Auctorem*, inquit, libr. I. c. 18. *doctrinae eius* (Numae) *falso* Samium Pythagoram, *edunt; quem*, Seruio Tullio *regnante*, Romae, *centum amplius post annos*, *in vltima* Italiae *ora*, *iuuenum coetus habuisse*, *constae*. Iam a morte *Numae*, Olymp. XXVII. 1. ad tempus, de quo sermo est, Olymp. LIII. 3. anni sunt CV· quod respondet verbis *Liuii*, *centum amplius*. Si vero eam, quam *Dodwellus*, opinionem habuisset *Liuius*; dixisset *centum et sexaginta amplius*. Praeterquam quod *Seruius Tullius* annis XXIII. fuit mortuus ante, quam in *Italiam* venisse *Pythagoram*, putat *Dodwellus*.

Falsae istius opinionis, *Numam* fuisse *Pythagorae* discipulum, meminit quoque *Plutarchus*. Sed addit, *Numam dici*, *regem factum*, *Olymp*. XVI. 3. *et* Pythagoram, *longo post* Numam *interuallo*, *vixisse*, *totis quinque aetatibus*. Οἱ δὲ Πυθαγόραν μὲν, inquit, in Vit. Numae, ὀψὲ γενέσθαι, καὶ τῶν Νεμᾶ χρόνων ὁμε τι πέντε γενεαῖς ἀπολειπόμενον — ἐπὶ τῆς ἑκκαιδεκάτης ὀλυμπιάδος, ἔτει τρίτῳ, Νεμᾶν εἰς τὴν βασίλειαν κατέςη. Locus ex *Dionysio Halicarn.* quem supra citaui, sumtus videtur. Sed, vbi *Dionysius*, *quatuor*, *Plutarchus*, *quinque*, dicit, aetates. Causa haec esse videtur, quod hic annis tantum XXX. circumscripsit aetatem; vt intelligi potest ex alio loco, de Orac. Def. p. 415. Ἔτη τριάκοντα ποιεσι τὴν γενεὰν καθ' Ἡράκλειτον. Sunt ergo, ex *Plutarchi* sententia, quinque aetates, anni CL. Sed inter Olymp. XVI. 3. et nostram Olymp. LIII. 3. anni numerantur CXLVIII quod, quam exspectari potest proxime accedit.

Intra biennium ab eodem tempore, Olymp. LIV. 1. Pythagoram *clarum factum*, legimus in *Chronico Alexandrino*. Ὀλυμπ. νδ'. α'. Πυθαγόρας Φυσικὸς Φιλόσοφος ἐγνωρίζετο. Vt huius scriptoris testimonium, quodcunque sit, ex omni parte consentiat cum reliquis.

Sed obseruandum, quod dicit *Aristoxenus*: Cum *Pythagoras*, inquit, annos haberet XL. *videretque tyrannidem* Polycratis *fieri grauiorem*: Ὁρῶντα τὴν Πολυκράτες τυραννίδα συντονωτέραν ἔσαν. Vltimis his verbis, nisi sint a *Porphyrio* addita, sit, vt dubites, an aeque alte philosophi natiuitatem ponat *Aristoxenus*, atque *Eratosthenes*. Hac enim ratione, *Polycratis* tyrannis inceperit, oportet, circa Olymp. LIII. 3. et

inter omnes historicos conuenit, durasse eam ad Olymp. LXIV. 1. cum in *Aegypto* esset *Cambyses:* quod est interuallum annorum XLII. et videri maius potest, quam quod concedatur regno eius. Sed *Amasis*, eius aequalis, nonne annos XLIV. regnauit, postquam regnum, in *Aegypto*, occupauerat perinde, atque ille, *Sami?* Si, quae in medio est, rationem admittimus, vterque ad regnum accessit, eodem fere tempore; quae fortasse causa amicitiae eorum, tam celebratae in historia. Sed, quae narrat *Polyaenus* de tyrannide *Polycratis*, vix patiuntur, vt, iam tum eam incepisse, statuas. Ait enim, Strat. 1. 23. *Quo tempore regnum occuparet, arcessiuisse eum copias a* Lygdamide, Naxiorum *tyranno.* Μεταπεμψάμενος παρὰ Λυγδάμιδος τῶ Ναξίων τυράννυ στρατιώτας. Iam *Lygdamis Naxiorum* tyrannidem obtinuit, auxilio *Pisistrati*, post tertium eius reditum *Athenas* (*Herodot.* 1. C. 67.); quod praecedere Olymp. LIX. 1. non potuit. Sed responderit fortasse aliquis, potuisse *Polyaenum* eum *Naxiorum tyrannum* dicere, anticipatione; vt cogitauerit istum *Lygdamin*, qui postea ibi tyrannus fuerit. Potuit enim *Polycrati* adesse cum copiis *Lygdamis*, quemadmodum *Pisistratum* adiuuauit, qua viris, qua pecunia, ante, quam regnum obtinuit. v. *Herod.* 1. C. 61. Confirmat haec, de regno *Polycratis* diuturno, *Iamblichus.* Nam, tyrannidem huius *incepisse*, ait, p. 31. anno *Pythagorae* XVIII. atque illius mentionem facit, tanquam adhuc durantis, post annum eius LVI. Iam LVI. annus *Pythagorae*, ex *Iamblichi* ratione, circa Olymp. LXII. est. Vt XVIII. quum ad tyrannidem accederet *Polycrates*, cadat in Olymp. LII. 3. quatuor annis ante, quam *Samo* cessit *Pythagoras*, in nostra tabula. *Iamblicho* adiungi *Suidas* poterit, qui regnum *Polycratis* circa eandem Olymp. LII. ponit. Γέγονε, inquit, v. Ἀνακρέων, κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμυ τύραννον ὀλυμπιάδι νβ. Quin *Apollodorus*, scriptor celebris, accedere videtur. *Anaximandrum* enim, ait, apud *Laert.* in Anaximandr. annos natum LXIV. Olymp. LVIII. 2. *ac breui post mortuum, cum maxime floruisset, tempore* Polycratis, *tyranni* Sami; καὶ μετ' ὀλίγον τελευτῆσαι, ἀκμάσαντά πη μάλιςα κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμυ τύραννον. Quod si ergo primum annum *Polycratis* collocamus ad Olymp. LIII. 3. *Anaximander*, istoc tempore, annum egit XLV. aetatis satis, puto, qua ἀκμὴν ingrederetur. Sed, alio in loco, *Suidas*, ait, Polycratem *quendam, patrem tyranni*, Samo *praefuisse, circa Olymp.* LIV. *tempore* Croesi. Εἰς Σάμον ἦλθεν, inquit, v. Ἴβυκος, ὅτ' αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τῶ τυράννυ πατήρ· χρόνος δὲ ἦτος ὁ ἐπὶ Κροίσυ, ὀλυμπιὰς νδ'. De hac historiae parte, quid dicam, nescio. Pater enim *Polycratis*

tyranni, nomine *Acaces*, fuit (v. *Herod.*), nec regnum *Croesi* incepit ante Olymp. LV. 3.

Etsi autem *Aristoxenus*, philosophum nostrum, ait, in *Italiam* venisse, anno aetatis XL. tamen sexagenarium fere eum facit *Iamblichus*: quorum vtrum sequi debemus? Si perpendamus vtriusqne partis testimonia, vereor, ne sit discedendum a *Iamblicho*; nam et altero inferior aetate est, et secum ipse pugnat. Sed, quid rei, quae causae sint, videamus. *Hermippus*, auctor grauissimus, narrat: „*Pythagoram* in *Italiam* „quum venisset, domum secretam sub terra fecisse, ac. dato „negotio, vt rumor spargeretur, esse mortuum, descendisse, „matrique mandasse, vt quotidie clam cibum demitteret, vna „cum tabulis, in quibus, quaecunque, *Crotone*, et in locis „vicinis, agerentur, essent scripta: Aliquamdiu post prodiisse „denuo, dixisseque (sic *Lucian.* in Gall p. 252. Ἥκουσα ταῦ„τα, καὶ ὡς δόξειας ἀναβεβιωκέναι ἀποθανών.), ab inferis „excitatum; et cuncta expoluisse, quae inde a morte sua acci„dissent, quasi apud inferos edoctum. Quo factum, vt sum„mam consequeretur auctoritatem". Idem narrat scholiasta *Sophoclis*, ad Electr. p. 83, qui putat, ipsum poetam ad id respicere, in Electra, his versibus:

Ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις, καὶ τοὺς σοφοὺς
Λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ' ὅταν δόμους
Ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

Eadem habet quoque, hac de re, *Tertullianus*, magni vir ingenii, summaeque doctrinae, in libro, de Anima, c. 28. *Mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientia damnat — cum fraude vitae septennio excruciatae infra terram*: vbi, quod addit, *septenni se illic patientia damnat*, cet. sine dubio, boni alicuius scriptoris auctoritate nititur, atque ad id ipsum, quod animo intenderat *Pythagoras*, tempus tam longum opus fuisse videtur. Fraudis enim suspicioni locus fuisset datus, si breui post rursus apparuisset, nec suffecissent facta, vt mortes, matrimonia, natiuitates, negotia publica, quae quemadmodum cecidissent, edoctum se, diceret, ab vmbris illorum, qui post se fuissent mortui. Iam vero, amentissimum videri posse hoc consilium *Pythagorae*, puto; si, quemadmodum *Iamblichus* habet, quum in *Italiam* proficisceretur, sexagenarius fuerit. Praeterquam quod aliquamdiu ibi viuendum fuit, vt omnibus notus esset, antequam istud exsequeretur: nam nunquam fuisset creditum, rediisse eum ab inferis, nisi viuum cognouissent. Sexagenario itaque non multo minorem fuisse, par est, cum consilium hoc caperet. Sed quid est, quod quis, ea aetate, a tantis molestiis exspectet?

Vitae summa brevis spem cum vetat inchoare longam.
Poterat simulare mortuum, cum in speluncam descenderet; sed poterat metuere, ne esset, ante absolutos septem annos. Aut si certum haberet, se viuum egressurum, tamen, quod reliquum erat vitae septuagenario, quum fraudis suae fructum esset percepturus, tanti non erat, ob quod tam diu se affligeret. Nam, vt *Hermippus* ait, prodiit, ἰσχνὸς καὶ κατεσκελετευμένος, vel, vt *Tertullianus*, *corpulentiam interpolasse visus, ad omnem mortui veteris horrorem*, quo magis credibile fieret, ab inferis se excitatum. Sed aliud est, cur minus etiam videatur tum annos natus LX. Num sola mater consilii eius particeps. (Τῇ μητρὶ ἐνετείλατο, inquit *Hermippus*; et *ab vnica conscia et ministra matre*, *Tertullianus*.) cane tum aetate esse, in qua omnis spes consilii exsequendi poneretur? Fac, annos natam XX. cum ederet *Pythagoram*, licet, testibus, *Iamblicho* et *Porphyrio*, filium eo maiorem habuerit: vel sic nonagenaria fere fuisset ante, quam ad exitum res posset perduci. Paruum nimis profecto hoc, ex quo tantarum momenta rerum penderent. Quare probabile valde est, si verum hoc est, *Pythagoram* circiter quadraginta annos tantum habuisse, cum *Italiam* peteret. Imo, etiamsi falsum est, tamen in argumentum potest duci: nam apparet saltem, illos omnes, qui narraverint, credidisse, non multo plures eum habuisse.

Sed est aliud in historia, de quo inter plerosque scriptores conuenit, quare longe pauciores annos habuisse videatur, quum iter in *Italiam* faceret, quam ei tribuat *Iamblichus*. Est autem πενταετία (*Laert. Porphyr Iambl. cet.*), *quinquennalis taciturnitas*; qua discipuli erant obstricti, ante quam in eius admittebantur familiaritatem; vel, vt quidam tradunt, ipso eius conspectu arcebantur. Iam ex iis omnibus, quae egit *Pythagoras*, apparet, voluisse eum auctorem esse sectae; et eo, quod interesset discipulorum suorum, efficere, vt forma variorum imperiorum mutaretur. Sed numquid sexaginta annos natus, si eiusmodi consilia agitaret, hoc quasi anfractu instituisset, ad ea explicanda? Oportet, minor fuerit aetate, ac multos prospexerit annos, cum istam disciplinam conderet. Aut saltem oportet, metuerit, ne senectus et mors aduenirent, ante quinquennium finitum. Vel ipso hoc *quinquennio* igitur, eoque vno, fit, vt vix credi possit, eum sexagenarium fuisse, cum in *Italiam* transueheretur; sed, si addetur ad *moram eius septennem in spelunca*, de qua supra, erit, quo magis etiam suspecta fiat ista, de eius aetate, narratio: nam istac ratione annos vixisset fere LXX., quum vam illam molestam institueret.

Aliud, quo confirmetur id, quod narrat *Aristoxenus*, Py-

thagoram fuiſſe tantum quadragenarium, cum primum in *Italiam* veniret, matrimonium eſt, quod, teſte *Laert.* in Pythagora, *Crotone* iniit cum *Theano*, *Brontini* filia, ex qua duo filios, et duas filias ſuſcepit. Eius erga *Theano* amorem verſibus elegantiſſimis deſcripſit *Hermeſianax Colophonius*, qui floruit tempore *Alexandri:*

Οἵη μὲν Σάμιον μανίη κατέδησε Θεανοῦς
 Πυθαγόρην, ἑλίκων κομψὰ γεωμετρίης
Εὑράμενον, καὶ κύκλον ὅσον περιβάλλεται αἰθὴρ,
 Βαιῇ τ᾽ ἐν σφαίρῃ πάντ᾽ ἀποτασσόμενον.

vid. *Athenaeus*, XIII. p. 599. Videmus hic, adeo eum flagraſſe amore *Theanus*, dominae ſuae, vt *furorem* dixerit poeta. Quod certe in quinquagenarium magis, quam ſeptuagenarium, quum ſeptennium in ſpelunca latitaſſet, conuenit. Nec enim vxorem ei fuiſſe, niſi poſtea, ex hoc apparet, quod vetula, mater, eaque ſola, conſcia fuit conſilii eius. Nomina duobus filiis fuerunt, *Telauges* et *Mneſarchus*. Alterius meminit *Empedocles*, apud *Laert.* in Pythag. Ἱππόβοτός φησι λέγειν Ἐμπεδοκλέα Τηλαυγεῖ, κλυτὲ κοῦρε Θεανοῦς Πυθαγόρεώ τε· vbi ſic corrigendus eius verſus;

Τηλαυγὲς, κλυτὲ κοῦρε Θεανοῦς Πυθαγόρεώ τε·

et Iamblichus; Τηλαυγὴς κομιδῇ νέος ὑπὸ τὸν Πυθαγόρου θάνατον ὑπολελειμμένος ἦν περὶ θέαν οἱ τῇ μητρί· quod *Latine* redditur, *In ſpectaculo matris deum:* ſed, pro περὶ θέαν οἱ τῇ μητρὶ, reponendum, παρὰ Θεανοῖ τῇ μητρί. Alter filius vocatur Μνήμαρχος, *Mnemarchus*, apud *Iamblichum:* nec forte ſpernenda iſta nominis ſcriptura. Narrat enim *Feſtus*, v. *Aemil.* fuiſſe *Pythagorae* filium, nomine *Mamercum;* quod formatum videtur e Dorico, Μνάμαρχος.

V. Scriptores *Chriſtiani*, plerique omnes, *Pythagorae* ἀκμὴν ponunt ad Olymp. LXII. Horum primi, *Tatianus*, ad Graecos, p. vlt. et *Clemens*, I. Strom. p. 130. et 143. atque ipſa adeo iis ſubiecta materies, non tam eſſe remotam *Graecam*, quam *Iudaicam*, antiquitatem, habeat, cur eum ad tempora, quem poſſent, recentiſſima referrent. Non mirum itaque, maluiſſe eos illorum veſtigia ſcriptorum inſiſtere, qui ad Olymp. LX. quam eorum, qui, vt iam vidimus, altius aliquanto ipſum collocant. *Clementi*, vt in plerisque aliis, in hoc quoque, aſſentitur *Cyrillus*, contra Iulian. p 12. S. *Auguſtinus*, de Ciuit. Dei, XVIII. 37. eum clarum fieri coeptum, tradit, quum *Iudaei* ex captiuitate redirent, id eſt, circa Olymp. LXII. *Euſebius* quidem, ed. *Scaligeri*, eum aſſignat Olymp. LXV. 1. In quibusdam vero MSS. recte, vt puto, ad Olymp. LXII. 3. aut, 4. refertur. Sed, in his non eſt, cur,

inter se pugnare, existimes, hos, qui, Olymp. LXII. eum floruisse, et illos, qui, circa Olymp. LII. dicant. Nam, cum annos amplius XC. vixerit, vere dici potest, floruisse, annos XL, L, LX. imo, LXXX. natus.

Sed auctor *Cicero* est, I. Tusculan. *Eum*, Superbo *regnante*, *in* Italiam *venisse*; quod Olymp. LXI. 4. praecedere non potuit. Atque *Iamblichus*, p. 47. eo profectum, ait, circa Olymp. LXII. cum *Eryxidas*, vel, vt ab aliis vocatur, *Eryxias*, *Chalcidensis*, *Olympiae* vicisset cursu. Παρεγένετο εἰς Ἰταλίαν κατὰ τὴν ὀλυμπ. ξβ. καθ' ἣν Ἐρυξίδας ὁ Χαλκιδεὺς στάδιον ἐνίκησεν. adde Catal. Stadion. in *Euseb. Scalig.* Sunt haec contraria eorum opinioni, qui supra memorantur. Ac lector iudicabit, quae sint veri similia magis. Solum meminerit, quo serius *Pythagoram* in *Italiam* et *Siciliam* venisse, statuat, hoc magis aperiri fraudem, quae subsit *Phalaridis* Epistolis. Quid, si suspicere, *Ciceronem* et *Iamblichum*, aut, quos secuti sunt, scriptores, lapsos fuisse memoria? Vt, cum alii, *fuisse* eum in *Italia*, Olymp. LXII. hi, *venisse*, dixerint. En errorem huic simillimum. Dixerat *Cicero*, Tusc. IV. Pythagoram FVISSE *in* Italia, *temporibus iisdem*, *quibus* Brutus *patriam liberauerit*; id est, Olymp. LXIII. 1. Hoc vno videtur inniti, quod tradit *Solinus*, c. XXI. Pythagoram, Bruto *consule*, Italiam ADVECTVM *esse*.

De *Iamblicho*; ita rationes confecit ille, vt ostenderit, quam haberet exiguam cognitionem temporum. „*Pythagoras*, in„quit, profectus est in *Aegyptum*, ibique (p. 36.) annos XXII. „commoratus est, quoad captiuus abduceretur a *Cambyse Ba„bylonem*, vbi (p. 37.) duodecim annos vixit; inde (p. 37.), „annos circiter natus LVI. *Samum* reuersus est; vbi cum mi„nus expleri exspectationem desiderii videret sui, ea relicta, „(p. 47.) *Italiam* petiit, Olymp. LXX. victore *Eryxida*.“ Tam scite vero haec exsecutus est, vt secum ipse pugnet, in ratione, annis non minus XX. Nam ab Olymp. LXII. anni fuerunt VIII. quando in *Aegypto* erat *Cambyses*; et XII. amplius, ait, eum commoratum *Babylone*. Quis est, qui hac ratione stet, aut aliqua eius parte, cum tam parum sibi constat tota? Assumsit tamen *Dodwellus* moram istam duodecim annorum, *Babylone*, cuius fides non alio, nisi huius absurdae, et semet destruentis narrationis, momento pendet, ad quam rationes omnes vitae *Pythagorae* exigeret. Licet tum parum curauerit reliquas narrationis partes; nam ab eo, quod factum narratur, *Eryxida* victore, eius sententia, totis quinque non minus Olympiadibus, differt: et, pro XXII. annis, in *Aegypto*, *spatium plusquam annuum* concedit, de Cycl. Vet. p. 138. licet *Plu-*

tarchus, Symp. Quaest. VIII. §. constare, dicat, eum *multum temporis* ibi fuisse: Ἀιγυπτίων τοῖς σοφοῖς συγγενέσθαι Πυθαγόραν πολὺν χρόνον ὁμολογεῖται· et *Cyrillus*, *non breue tempus*. Πυθαγόρας, inquit, contra Iul. p. 15. καὶ Θαλῆς οὐκ εὐαρίθμητον ἐν Αἰγύπτῳ διατετριφότες καιρόν.

Cum *Iamblicho* quidem *Syncello* conuenit, de *Cambyse*. Ait enim etiam, eum, in *Aegypto* quum offendisset, captiuum abduxisse *Pythagoram*. Πυθαγόραν εὑρὼν ἐπιξενωθέντα διὰ φιλοσοφίαν σὺν τοῖς αἰχμαλώτοις εἰς Πέρσας ἦγε. Sed, alia longe via, *Apuleius*, Flor. II. *Esse*, *qui*, Pythagoram, *aiant*, *eo temporis*, *inter captiuos* Cambysae *regis*, Aegyptum *cum aduceretur*, *doctores habuisse* Persarum *magos*; *postea que eum a quodam* Gillo, Crotoniensium *principe*, *reciperatum*. Vbi, *Pythagoram*, non ABDVCTVM *Aegypto*, sed ADVECTVM *Aegyptum* inter captiuos *Cambysae*, dicit. Ac respicere videtur ad istud *Polycratis* factum (de quo *Herod.* l. III. c. 44.), qui, cum simularet, se copias auxilio missurum *Cambysae*, omnes, quos inuidia prosequatur, selegit; dato clam regi negotio, vt, neminem reuerti, pateretur. Addit propterea *Apuleius*, quod huic opponat; *Celebriorem famam obtinere*, *sponte eum petiisse* Aegyptias *disciplinas*; id est, non fuisse coactum a *Polycrate*, ad merendum sub *Persa*. Est hic, vt equidem puto, verus sensus *Apuleii*; ac lector iudicabit, quid sit tribuendum narrationi, tam varie factae. Sed quid dicendum, de reliqua parte historiae secretioris, Pythagoram *a quodam* Gillo, Crotoniensium *principe*, *reciperatum*? Sunt, qui putent, *Gillum* hunc esse eundem, quem *Cylonem Crotoniaten*. Sed est *Gillus Tarentinus* (*Herod.* III. c. 138.), qui, cum *Crotone* exul commoraretur, *Persas* quosdam ibi redemit e seruitute, et in *Persiam* ad *Darium* aduexit, circa Olymp. LXV. 1. Videmus, quemadmodum inuersa sit narratio. Vere redemit *Gillus*, *Crotone*, seruos, eosque aduexit in *Persiam*; sed, vnum ab eo redemtum in *Persia*, et aduectum *Crotonem*, facit *Apuleius*. Dictu quidem facile est, potuisse eum vtrumque facere: sed alia causa itineris in *Persiam* ei erat, quam vt seruos redimeret, vt ex *Herodoto* intelligi potest.

VI. Venimus nunc ad varia tempora mortis *Pythagorae*. De primo, quod notatum offendimus (fortassis enim in *Syncello*, pro ρέ CV. vitio scriptum, οέ LXX.), sic *Laertius*, in Pythagor. Πυθαγόρας, ὡς μὲν Ἡρακλείδης φησίν, ὁ τοῦ Σεραπίωνος, ὀγδοηκοντούτης ἐτελεύτα κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπογραφὴν τῶν ἡλικιῶν· id est, Pythagoras, *quemadmodum ait* Heraclides, Serapionis *filius*, *mortuus est*, *annos natus* LXXX. *ex suo ipsius praescripto aetatum*. Fecerat hic *Heraclides* excerpta ex libro *Sotionis*, *de Successione Philosophorum*, et alio, *Satyri*,

de Vitis Virorum illustrium. In altero quorum dixisse censetur hoc, quod ex eo citat *Laertius.* Ad quod *Dodwellus*, de Cycl. Vet. p. 144. 145. obseruat, non esse hanc opinionem *Sotionis*, *Satyrive*, sed peculiarem aliquam *Heraclidae*; quod esset. *ex suo ipsius praescripto aetatum.* Atque inde coniecturam facit, quae fuerit *Sotionis* sententia; eamque, credit, *Focere* (ibid.) *mirifice ad ea confirmanda, quae obseruauerit.* Sed doleo, virum hunc doctum tam male cepisse verba auctoris sui; qui non cogitauit *Heraclidae praescriptum aetatum*, sed, *Pythagorae.* Nam, vt idem ille *Laertius* narrat, in Pythag. sect. 10. *Pythagoras* totam vitam hominis in quatuor aetates, ἡλικίας, diuisit, quarum singulis XX. annos assignauit, vt perfecta hominis vita, ex eius opinione, annis LXXX. terminaretur. *Pythagoras* itaque, inquit *Heraclides*, mortuus est, annos natus LXXX. ex suo ipsius praescripto aetatum, κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπογραφὴν τῶν ἡλικιῶν. De *Platone* similia narrat *Censorinus*, cap. XV. *Annum octogesimum et vnum*, inquit, *in quo*, Plato, *finem vitae et legitimum esse, existimauit, et habuit.*

Sed, vt possit, quo anno *Pythagoras* sit mortuus, definiri, primo loco quaerendum est, in quod tempus *Cylonis* conspiratio cadat: nam inter omnes conuenit, aut amisisse eum vitam istoc tempore, aut, paucos inde menses, tantum vixisse. Non potuit accidere ante Olymp. LXVII. 4. si fides habenda *Diodoro* (p. 77.) et *Iamblicho* (p. 125, 157); qui *Pythagoram*, aiunt, tum vixisse, et in *Italia* fuisse, cum *Crotoniatae* bellum inferrent *Sybaritis.* Nam, ex ratione *Diodori*, bellum hoc gestum est, circa istam Olympiadem. Atque cum iis quoque consentit *Cicero*; ait enim, Tusc. Quaest. IV. Pythagoram *in* Italia *fuisse, temporibus iisdem, quibus* L. Brutus *patriam liberauerit:* quod accidit ipso illo tempore, Olymp. LXVII. 4. Sed, proxime ab istoc bello, vim *Cylonis* erupisse in actum, ex *Iamblicho* apparet, vel, quem ille citat, *Apollonio*, p. 212. Ἐπεὶ δὲ Σύβαριν ἐχειρώσαντο, ἐξεῤῥάγη τὸ σιωπούμενον μῖσος. Atque, in oratione *Cylonis in Pythagoricos*, qua principum odia in eos incendit, legimus; Αἰσχρὸν εἶναι τοὺς τριάκοντα μυριάδων περὶ τὸν Τετράεντα ποταμὸν περιγενουένους, ὑπὸ τοῦ χιλιοστοῦ μέρους ἐκείνων ἐν αὐτῇ τῇ πόλει φανῆναι κατεστασιασμένους· *Turpe esse, eos, qui trecenta millia hominum vicissent ad fluuium* Train, *nunc domi opprimi a millesima parte istius numeri.* vid. *Iamblich.* p. 217. Partem millesimam, dicit *Pythagoricos*, qui numero omnes CCC. circiter. v. *Iambl* p. 212. *Iustin.* XX. 4. *Athenagoras.* Et, quum victoriam ad *Train* dicit, putat praelium cum *Sybaritis*, quorum exercitus trecentum millium capitum erat. Στρατευσάντων τῶν Συβαριτῶν

τριάκοντα μυριάσιν, inquit *Diodor. Sic.* p. 76, et 77. et *Strabo*, VI. Τριάκοντα μυριάσιν ἀνδρῶν ἐπὶ Κροτωνιάταις ἐστράτευσαν. Lego autem, in loco *Iamblichi*, Τράεντα, pro Τετράεντα: intelligo enim ex *Diodoro*, *Train* esse fluuium prope *Sybarin*. Διαφεύγοντες τὸν ἐν τῇ στάσει κίνδυνον, inquit, p. 85. Συβαρῖται περὶ τὸν Τράεντα ποταμὸν κατῴκησαν. Ex his *Iamblichi* locis apparet, opinor, conspirationem *Cylonis* erupisse breui, post euersam *Sybarin*; quod Olymp. LXVII. 4. Si itaque, biennio posterius, eam posueris, ad Ol. LXVIII. 2. incidet in annum IC. *Pythagorae*, ex testimonio *Eratosthenis*, et ea, quae est in tabula nostra, ratione. Quibus omnibus veri etiam similius sit, recte confectam esse rationem. Nam, vt plerique auctores sunt, eo ipso anno aetatis, vita concessit *Pythagoras*. *Mortuus est*, inquit *Tzetzes*, *centum annos*, *vno minus*, *natus*: Ἐτῶν ὑπάρχων ἑκατὸν πλὴν ἔτους ἑνὸς μόνου. *Circiter centum vixisse*, *Iamblichus* ait, p. 220. Βιώσαντα ἔτη ἐγγιστῶν ἑκατὸν. lege cum *Dodwell.* ἔγγιστα τῶν ἑκατὸν· aut potius, ἐγγὺς τῶν· nam in MS. est ἐγγυστῶν. *Laertius* quidem dicit, *nonaginta*, in Pyth. Ὡς δὲ πλείους, ἔτη βιοὺς ἐννενήκοντα· Sed *Casaubonus*, *Menagius*, aliique iudices periti, auctorem scripsisse, putant, ἐννενήκοντα ἐννέα, *nonaginta nouem*. Et sunt *Eusebii*, in quibus mors eius ad ipsum annum proximum referatur, Olymp. LXVIII. 3. vid. *Euseb.* ed. *Pontac.*

Postremus hic locus *Iamblichi*, vbi significat, *Cylonis* conspirationem in tempus proximum a bello *Sybaritano* incidisse, cum non tantum corruptus sit, sed pessime quoque habitus ab interprete *Latino*: doctissimo *Dodwello* vitio verti non potest, quod, cum rationes suas conficeret, ad eum animum non direxit. Posuit ille conspirationem istam, ad Olymp. LXXII. 3. annis plus minus XX. a bello *Sybaritano*. Sed eius ratio duobus innititur propositis, quae fortasse non facile concedentur. Primum assumit, *Pythagoram Babylone* commoratum fuisse, annos XII. ab expeditione *Cambysae* in *Aegyptum*. Sed falsum hoc esse, nunc, opinor, apparet ex iis, quae supra protuli. Dein addit, *Pythagoram* fuisse *Crotone*, in *Italia*, annos XX. continuos; cumque, ex illius ratione, eo venerit is, Olymp. LXVII. 2. oportet, inde pulsus fuerit, Olymp. LXXII. 3. Sed, qui de ista XX. annorum mora, *Crotone*, spondeat, vnus *Iustinus* est, cuius locum iam supra, p. 25. citauimus. Atque id rotunde dictum videtur, non habita ratione annorum numero imparium. *Iamblichus* vero ait, ibi egisse illum annos XXXIX. ac inspicetur fortassis aliquis, apud *Iustinum* esse scribendum XL. non autem XX. neque enim codicum magna auctoritas, vbi

tantum notas habeas numerorum, fine caufis, quibus poffit tempus terminari.

Iamblichus quidem difertis verbis non teftatur, *Pythagoram* fuiffe in *Italia*, XXXIX. annos; fed tantum *praefuiffe*, tamdiu, *fcholae* Pythagoricae. Αὐτὸν μὲν γὰρ Πυθαγόραν, inquit, p. 220. ἀφηγήσασθαι λέγεται ἑνὸς δέοντος ἔτη τεσσαράκοντα. Quapropter *Dodwellus*, comparatis inter fe locis *Iamblichi* et *Iuftini*, conclufit, *Pythagoram*, totis XIX. annis a confpiratione *Cylonis*, vixiffe. Hoc quidem nouum eft, eique vni debetur; ac doleo, id non, nifi duabus, apud *Iuftinum*, numerorum notis, XX. inniti, iisque male accommodatis loco *Iamblichi*. Nam, nihil planius effe poffe, puto, quam *Iamblichum* cogitaffe, totos XXXIX. annos fuiffe abfolutos. ante confpirationem *Cylonis*. Cum enim primum de *Cylone*, agere inftituit, mortem *Pythagorae*, *Metaponti*. exponit, p. 208. ac dein fubiicit, p. 219. *Pythagoraeorum* fucceffionem. Quidam apud *Laert. Suidas*, *Plutarchus*, de Repugn. Stoicor. p. 1051. et, Socrat. Gen. p. 583. *Arnobius*, l. I. *Athenagoras*, *Valer. Maximus*, VIII. 7. *Firmicus*, Aftron I. 3. et *Tzetzes*, Chil. XI. 366. ipfum *Pythagoram* eodem, quo difcipulos, temporé concrematum, tradunt. Reliqui autem, qui cum his diffentiunt, ftatim poft eum mortuum, faciunt. Sunt, qui, quibus itineribus effugerit, narrent, primum (*Porphyr.* Vit. Pythag. 206. *Themift.* Or. IV. *Firmic.*, ibid.) *Locros*, hinc *Tarentum*, inde *Metapontum;* vbi in afylum *Mufarum* confugiffe, necatumque inedia, poftquam quadraginta dies cibo abftinuiffet. Hoc omne, vt continuis itineribus factum, defcribitur; quemadmodum *Locrenfes*, cum in agris confinibus eum obuiam haberent, terris fuis prohibuerunt. Alii propterea filentio praetermittunt eius iter, *Locros* et *Tarentum*, et (*Dicaearchus* apud *Laert. Iuftin.* XX. 4. *Iamblich.* 208.) recta, *Crotone*, *Metapontum* traducunt, vbi vitam finiuit. Sic ergo videmus, vniuerfam hiftoricorum nationem *Dodwello* aduerfari.

Sed, longius etiam progreffus, idem vir doctus locum indicauit, vbi annos iftos XIX. a confpiratione *Cylonis*, egerit *Pythagoras;* ipfam *Siciliam*, vbi *Phalaridi* tyrannidem eripuit, atque *Himeram*, *Catinam*, alias ciuitates, liberauit. Quae coniectura non, nifi *Hermippi* teftimonio, de morte *Pythagorae*, apud *Laert.* nititur; quód a reliquis omnibus differt; Agrigentinis *aduerfus* Syracufanos *bellum gerentibus*, Pythagoram, *quibusdam difcipulorum fecum adductis*, *praefuiffe* Agrigentinis; ἐξελθεῖν μετὰ τῶν συνήθων τὸν Πυθαγόραν, καὶ προστῆσαι τῶν Ἀγραγαντίνων *fed*, *copiis eius fugatis*, *ipfum interfectum effe*, *interceptum in fuga*, *quod nollet agrum fabis confitum trans-*

N

fire. Iam in his verbis quid est, quod declaret, *Pythagoram* in *Sicilia* vixisse antea? Cur non auxilio *Agrigentinis*, *Crotone*, venerit. Numquid celebrius in historia, quam *Siculos* et *Magnae Graeciae* populos, foedera inter se iniisse? Fac vero, eum antea, in *Sicilia*, domicilium habuisse; hic tamen nihil erit, quo tempus huius belli terminetur: cur ergo non licet existimari potius, fuisse circa tempora conspirationis *Cylonis*, quam, quod *Dodwellus* putauit, XIX. annis post? Atqui ipsa verba *Hermippi* pro nobis esse videntur: addit enim, ib. apud *Laert. Reliquos discipulorum, numero* XXXV. (omnes, si eos, qui ceciderint in praelio cum *Syracusanis*, exceperis) *concrematos* Tarenti, ἐν Τάραντι κατακαυθῆναι, *causa seditionis.* Iam, hanc flammam concrematorum *Tarenti*, eandem esse, apparet, atque eam, excitatam a *Cylone*, eiusque sociis, statim post seditionem, *Crotone. Porphyr.* p. 207. Εἰς Τάραντα πλεῦσαι, πάλιν δὲ κἀκεῖ παραπλήσια παθόντα τοῖς περὶ Κρότωνα. vid. *Iambl.* p. 218. Sed *Dodwellus* putat, *Pythagoram* caesum in isto bello, quod *Thrasydaeus*, tyrannus *Agrigenti*, intulit *Hieroni*, *Syracusano*, Olymp. LXXVII. 1. vid. *Diodor. Sic.* p. 40. Quod quidem est, ad ea, quae iam sunt dicta, aliud paradoxon addere. Quis credat enim, *Pythagoram* partes secuturum *Thrasydaei*, tyrannici et profligatissimi hominis, in bello iniusto (*Diodor.* ib.), contra *Hieronem*, principem sui saeculi optimum, et studiosissimum virorum doctorum, quorum aliqui, istac aetate inprimis celebres, *Simonides*, *Pindarus*, *Bacchylides, Aeschylus,* et (quod ipsum etiam argumento est) ipsius *Pythagorae* discipulus, *Epicharmus,* in eius aula versarentur?

Sed argumenta duo noua ducit *Dodwellus* ex successione scholae *Pythagoricae* quibus adstringat ea, quae disseruerit, de aetate *Pythagorae*. „Conueniunt certe", inquit de Cycl. Vet. p. 148. „scholae *Pythagoricae* διαδοχαί. *Lysis* enim „(*Plutarch.*) *Pythagorae*, in *Magna Graecia*, discipulus, *Philippum Macedonem Alexandri M.* patrem *Thebis* instituit, atque „*Epaminondam*, qui ipsi Olymp. C. superarunt, nec admodum remoti erant a *Pythagora* ipso, quos vidit (v. *Gellius*, „IV. II.) *Aristoxenus*, Peripateticus, *Aristotelis* discipulus".

Quod *Lysis* quidam, *Pythagoraeus*, *Thebis* cum *Epaminonda* vixit, nunc non disputatur; cum tot probati auctores sint, qui id dicant. vid. *Diodor. Sic.* in Excerpt. *Corn. Nepos*, *Pausanias*, *Aelian.* in Var. *Plutarch.* de Socrat. Gen. *Porphyr. Iamblich. Hieronym.* contra Rufinum. Sed est, cur dubites, fueritne hic idem *Lysis* qui discipulus *Pythagorae*; licet eorum aliqui disertis verbis, eundem esse, testentur. Nam, si annos, seditionem *Cylonis* inter et *Epaminondae* aetatem, nume-

remus, maior summa erit, quam pro hominis vita, ex ipsa *Dodwello*, *Cylonem* scholam *Pythagoricam* incendisse, Olymp. LXXII. 3. licet appareat, XVII. annis, quam par sit, posterius hoc poni. Tum ergo *Lysis* existimari poterit ad XX. annos habuisse; is enim et *Archippus*, natu minimi cum essent, et validissimi, flammas, quibus reliqui consumti sunt, euasisse dicuntur. Οὗτοι τελεώτατοι ὄντες, inquit *Iambl.* p. 208. καὶ εὐρωστότατοι· sed reponendum; Οὗτοί τε νεώτατοι. ita *Plutarch.* de Socrat. Idem p. 583. Νέων ὄντων ἔτι ῥώμῃ καὶ κουφότητι διωσαμένων τὸ πῦρ· add. *Porphyr.* Iam, quando vixerit *Epaminondas*, sciri satis potest ex tempore mortis eius, in pugna ad *Mantineam*, Olymp. CIV. 2. vigebat enim tum, et, vt *Diodorus* ait, cum ἡρωϊκῶς pugnaret, decessit. Sed accuratius definiri id potest, testimonio *Plutarchi*, de Λάθε βιώσας· Vixisse eum XL. annos ante, quam dux crearetur (Ἐπαμεινώνδας εἰς τεσσαρακοστὸν ἔτος ἀγνοηθεὶς, ὕστερον δὲ πιστευθεὶς καὶ ἀρχὰς.) quod accidit, Olymp. CII. 2. vid. *Diodor.* 367. Natus ergo fuit, Olymp. XCII. 1. ac par est, statuamus, annos non minus XX. eum habuisse, ante mortem praeceptoris: cum alioquin tantos progressus in eius disciplina, quantos historici testantur, facere non potuisset. Equidem puto, quidquid adhuc ad summam nostram retulerim, aequis conditionibus concedi posse. Erit tamen, hac ratione, inter natiuitatem *Lysidis* et annum *Epaminondae* XX. spatium annorum CXIIX. nimium certe, pro vita *Lysidis*, quem nec *Lucianus*, nec alius vsquam in longaeuis numerauit. Imo maius etiam concedendum erit; *Plutarchus* enim de Socrat. Daemon. *Theanorem* quendam, *Pythagoraeum* qui, audita morte *Lysidis*, missus esset a coetu *Italico* *Thebas*, vt ad eius sepulcrum iusta solueret, eo venisse, refert, eo ipso tempore, quo proscripti *Thebani* domum redirent; quod accidit, Olymp. C. 3. vid. *Diodor.* 345. Quem, *Plutarchus*, *Theanorem*; *Philolaum*, vnum ex iis, qui ex incendio *Cylonis* euasissent, fuisse, *Olympiodorus*, in Commentario MS. in *Platonis* Phaedon. ait Γύλων, inquit, ἐφῆψε πῦρ τῷ διδασκαλείῳ, καὶ πάντες ἐκαύθησαν, πλὴν δύο Φιλολάυ, καὶ Ἱππάρχυ. Ἦλθεν ὖν ὁ Φιλόλαος εἰς Θήβας, ὀφείλων χοὰς τῷ οἰκείῳ διδασκάλῳ τεθνεῶτι, καὶ ἐκεῖ τεθαμμένῳ ποιήσασθαι τῷ Λύσιδι. Quod si *Plutarchi* verbis fidem habeamus, anni XIV. adhuc addendi sunt vitae *Lysidis*, vel sic nimis longae: nam a natiuitate *Lysidis* ad Olymp. C. 3. anni numerantur CXXXII· Sed amplius etiam producenda haec vita est, ex testimonio *Diodori*, quem secutus est *Dodwellus*. Ait enim *Diodorus* *Philippum Macedonem*, *Alexandri* patrem, *Thebis* eodem vsum fuisse *Pythagoraeo*,

quo *Epaminondam*, et progressus maximos fecisse in studiis philosophicis. Μέτεσχεν, inquit, XVI. p. 407. ἐπὶ πλεῖον τῶν Πυθαγορείων λόγων· ἀμφοτέρων δὲ τῶν μαθητῶν, κ. τ. λ. Sed certum habemus, Olymp. CII. 4. obsidem *Thebas* fuisse missum *Philippum*. Disertis id verbis declarat *Diodorus*, XV. p. 379. nec obscure significat *Plutarchus*, in Pelopid. ac tandem confirmat ratio aetatis *Philippi*. Diem enim obiit, Olymp. CXI. 1. (vid. *Diodor.* XVI.) annos natus XLVII. vt *Iustin.* IX. 8. vel, vt *Pausanias* ait, amplius XLVI. Olympiade itaque CII. 4. annos habebat tantum XIV. quae tenera satis aetas pro intelligentia doctrinae *Pythagoricae*. Quod si ergo idem *Lysis*, et *Pythagorae* discipulus, et praeceptor *Philippi*, fuit, necesse est, *Cylonis* seditioni, (quando XX. annos ei fuisse, ponimus) superstes fuerit, vsque ad Olymp. CII. 4. Vt in vniuersum annos vixerit CXXXXI. Quod spatium vitae tantum est, vt persuasum habeam, ipsum *Dodwellum* malle, quam hoc credere, in opinionem mecum adduci, duo fuisse *Pythagoreos*, eiusdem nominis, et historicos permiscuisse duo *Lysides*. Tamen, in tota hac ratione, *Dodwelli* sententiam, de tempore conspirationis *Cylonis*, secutus sum. Si vero eam collocauerimus ad Olymp. LXVIII. 2. quam opinionem propius a vero abesse, supra ostendisse me, opinor; vita *Lysidis* longe magis etiam producetur, in ipsum CLVIII. annum aetatis.

Proximum *Dodwelli* argumentum petitum est ex *A. Gellio*, qui, de *Aristoxeno*, *Aristotelis* discipulo; *Quam rem*, inquit, IV. II. *videtur* Aristoxenus *cognouisse ex* Xenophilo, *familiari suo*, *et ex quibusdam aliis natu maioribus qui ab aetate* Pythagorae *haud multum aberant*. Sed generalius hoc *Gellii* est, quam quo, in quaestione tam subtili, rem expedias. Quis enim dicet, *haud multum*, sonetne L. annos, an LXXX. an fortasse C? Fuit hic *Xenophilus* praeceptor *Aristoxeni* (vid. *Suid.* in Ἀριςόξ.); qui, vt videtur, mortuo *Pythagoreo* praeceptore, *Aristotelem* secutus est. Instituit *Aristoteles* scholam, *Athenis*, Olymp. CXI. 2. *Euaeneto* magistratu (v. *Dionys. Halicarnass.* de Demosth.); nec dubitari potest, quin *Aristoxenus* in primis fuerit discipulorum; exspectabat enim, successurum se in eius locum, in quam spem breui consuetudine non fuisset adductus. Ponamus itaque, *Xenophilum* diem obiisse, circa Olymp. CX. Vixit autem annos CV. amplius, vt ipse *Aristoxenus* confirmauit, vid. *Lucian.* in Macrob. Natus ergo fuit, circa Olymp. LXXXIII. quod tempus, XXV. annorum spatio, abest a *Pythagorae* aetate, ex sententia *Dodwelli*; et, ex altera ratione, LX. Vtraque summa est, *haud multum*: vt

iſtoc *Gellii* teſtimonio res definiri non poſſit. Sed ſunt, qui deſcripte magis ſucceſſionem ſcholae *Pythagoricae* explicent; et fortaſſe habent illi, quo rem expedias. *Laertius*, in Pythag. Ἤκμαζε δὲ, inquit, κατὰ τὴν ξ. ὀλυμπιάδα, καὶ αὐτȣ̃ τὸ σύστημα διέμεινε μέχρι γενεῶν ἐννέα ἢ καὶ δέκα· τελευταῖοι γὰρ ἐγένοντο τῶν Πυθαγορείων, ȣ̃ς καὶ Ἀριστόξενος εἶδε, Ξενόφιλος τε, κ. τ. λ. vulgo legitur, ἐννεακαίδεκα· Sed in MSS. eſt ἐννέα ἢ καὶ δέκα· quod verum. Senſus *Laertii* eſt; „*Pythagoram* floruiſſe, circa Olymp. LX. et eius ſcholam no„vem, aut decem etiam aetates continuas, ſtetiſſe. Vltimos „enim *Pythagoraeorum* fuiſſe *Xenophilum*, *Phantonem*, *Echecra*„*tem*, *Dioclem*, *et Polymnaſtum*. Hos *Ariſtoxeno* cognitos, et „diſcipulos fuiſſe *Philolai* et *Euryti*.“ Qui eſt autem, quod aetatem dicit? Habet ipſa materia, ex quo ſenſum eius cognoſcas; ex interuallo enim, Olymp. LX. inter et exitum vltimorum iſtorum *Pythagoreorum*, probat, nouem, aut decem, fuiſſe aetates. Non itaque XXX. aut XXXIII. annorum ſpatio hic terminauit aetatem; vt, quos ſupra citaui, ſcriptores fecerunt: iſtac enim ratione ſex non amplius aetates eſſent. Sed aetatem accepiſſe videtur pro XX. annis, vt *Heſychius*, v. Γενεά· Τὴν δὲ γενεὰν ὑφίστανται ἐτῶν οἱ μὲν εἴκοσι. Quod ſi iam, Olymp. LX. inter et mortem *Xenophili*, Olymp. CX. annos numerabimus, decem erunt tales aetates. Sed *Xenophilus*, annos CV. amplius, cum moriretur, natus, integra aetate, condiſcipulis ſuperſtes fuiſſe, cenſeri poteſt. Vt ratio manifeſta ſit, cur auctor dixerit, *nouem aut decem*: nam *nouem* ſolum ſunt, ſi numerum ſubducimus annorum ad mortem *Phantonis*, *Echecratis*, et generatim reliquorum: ſin autem ad rationem exigimus longae vitae *Xenophili*, qui fortaſſe, XX. poſtremis annis, vnicus verus *Pythagoricus* fuit, ſumma eſt decem aetatum. *Diodorus*, p. 386. *Vltimos* Pythagoricorum, τῶν Πυθαγορικῶν φιλοσόφων τȣ̀ς τελευτῶντας, ait, fuiſſe, Olymp CIII. 3. quae ſunt aetates, ſex annis minus, nouem. Sed *Dodwelli* ratio nulla ex parte cum hoc *Laertii* loco congruit. *Dodwellus* enim tempus, quo diſciplina *Pythagorica* ſit fundata, XXX. annis, quam *Laertius* ponit poſterius: quo fit, vt ſeſquialtera aetas de ſumma decedat. Sectam *Pythagoricam multa ſaecula* poſt mortem *Pythagorae* viguiſſe, auctor *Tullius* eſt, Tuſcul I. quod minime fauere et adiuuare eos videtur, qui breuius ſpatium volunt.

Hic verus, opinor, ſenſus *Laertii*, cuius explicatio tam fuit difficilis eius interpretibus. Et, niſi fallor, confirmari id poterit teſtimonio *Iamblichi*; qui, p. 29. de ſucceſſione ſcholae *Pythagoricae* cum agit, *Ariſtaeum*, qui in locum *Pytha-*

gorae successit, VII. *circiter aetatibus*, ait, *antecessisse* Platonem: Ἀριςαῖος, ἑπτὰ γενεαῖς ἔγγιςα πρὸς Πλάτωνος· leg. πρὸ Πλάτωνος· Ponamus iam, *Aristaeum* fuisse sexagenarium, cum *Pythagorae* succederet, circa Olymp. LXVIII. 2. omnes enim superabat aetate, et istac de causa ei succedebat. Παραδῶναι Ἀριςαίῳ τὴν σχολὴν πρεσβυτάτῳ ὄντι, habet *Iamblichus*, 220. Fuit ergo natus, Olymp. LIII. 3. Inde autem ad natiuitatem *Platonis*, Olymp. LXXXVIII. 1. anni fuerunt CXXXVIII. septem adeo aetates, duobus annis minus. Sed, si cum *Dodwello* calculos subduxerimus, inter *Aristaeum* et *Platonem*, anni erunt non amplius CII. id est, quinque aetates.

Eidem *Iamblicho* indicem debemus *Pythagoreorum*, qui cuique successerint: qui cum in nostra editione mendosus sit, lectori non ingratum fore, spero, quod quaedam hic correcta videat; suppeditabit quoque indicia aetatis *Pythagorae*: non contemnenda.

1. *Pythagoras.*
2. *Aristaeus.*
3. *Mnemarchus*, *Pythagorae* filius.
4. *Bulagoras.*
5. *Tydas.*
6. *Aresas.*
7. *Diodorus.*
8. *Clinias. Philolaus. Theoridas. Eurytus. Archytas.*

Aristaeum non tantum ait in locum successisse *Pythagorae*, sed *dignum habitum*, *qui viduam eius* Theano *duceret uxorem*, *et filio custos esset*; *idque exquisitioris causa cognitionis*, *quam haberet philosophiae* Pythagoricae. Τῆς παιδοτροφίας, inquit *Iamblich.* p. 220. καὶ τῦ Θεανῦς γάμυ κατηξιώθη, διά τε ἐξαιρέσεως περικεκρατηκέναι τῶν δογμάτων· vbi scribendum, διὰ τὸ ἐξαιρέτων, vt notauit interpres. Nec sine vitio sunt, quae subiiciuntur, verba, vbi, Mnemarchum, Pythagorae *filium*, Aristaeo *successisse*, ait: Μεθ' ὃν ἡγήσασθαι Μνήμαρχον τὸν Πυθαγόραν. leg. Πυθαγόρα. Quin nomen *Tydas* prauum videtur; et pro, Μεθ' ὃν γὰρ Τύδαν, reponendum fortasse, Μεθ' ὃν Γορτύδαν. vel simile quid; sed, quodcunque tandem verum eius nomen fuit, *Adeo enim afflixit* Crotonis *euersio*, *quae*, *eo absente*, *accidit*, *vt*, *non longe post reditum*, *mortuus sit prae moerore*. *Atque vnus ex omnibus*, *qui scholae praefuerunt*, *morte immatura extinctus est*, *reliquis in extremam vsque senectutem viuentibus*. Graeca sunt, ibid. apud *Iambl.* Ἐναδήμενα γενέσθαι τῦτον ὡς ὑπὸ λύπης πρῦλιπε τὸν βίον. sed corrigendum; Ἕνα δὴ μόνον γ. τῦτον, ὃς ὑπὸ,

κ. τ. λ. Proximus *Arefas* praetermiſſus eſt ab interprete *Latino*, qui, ἀρέσαν, reddidit, *tulerunt;* quaſi legiſſet ἤρεσαν. Sed verba plana ſunt, ſi litera maiori nominis proprii indicio, ſcribimus; Χρόνῳ μέντοι γε ὕςερον Ἀρέσαν ἐκ τῶν Λευκανῶν σωθέντα, non autem ἀρέσαν.

Videmus itaque, octo non minus, in ordine ſucceſſionis *Pythagoricae*, numerari. Atque tot numero fuiſſe, alius ſcriptoris veteris teſtimonio, nouimus. Ἔνατος ἀπὸ Πυθαγόρου διάδοχος γέγονε Πλάτων, Ἀρχύτου τοῦ πρεσβυτέρου μαθητὴς γενόμενος, inquit ſcriptor Vit. Pythag. apud *Photium:* id eſt, *Nonus a* Pythagora *ſucceſſor fuit* Plato, Archytae *diſcipulus.* Iam vero conſtat, *Platoni* cum *Pythagoreis*, in *Italia*, conſuetudinem interceſſiſſe, circa Olymp. XCV. vid. *Laert.* in Plat. quod tempus inter et mortem *Pythagorae*, ex ratione *Dodwelli*, anni interſunt LXX. non amplius: ſpatium auguſtum nimis; decennio tantum ſingulis ſucceſſoribus ſuppetente. Nouimus ſane, ſcholae *Peripateticae* praefuiſſe *Ariſtotelem*, annos XIII. dein *Theophraſtum*, circiter XXXIV. tum *Stratonem*, XVIII. porro *Lyconem*, XLII. Similiter *Platonicae*, *Stoicae*, aut *Epicureae*, ſucceſſionis ordinem ſi exigemus; et, calculo aliquo medio poſito ſummam ſubducemus; ſimilemque rationem eſſe, ponemus, *Pythagoraeorum*: patebit, ſcholae *Pythagoricae* originem aeque alte collocandam eſſe, atque in noſtra tabula, ſit factum; hoc eſt, LXXVI. annis prius, quam eam poſuerit *Dodwellus*.

Vt igitur eorum, quae, de ſucceſſione *Pythagorica*, nobis ſunt tradita, ſummam explicem; Primum *Laertius* ait, ſectam ſtetiſſe, *nouem*, aut *decem* aetates, dein *Iamblichus*; *Ariſtaeum*, ordine ſecundum, *ſeptem* circiter aetatibus anteceſſiſſe *Platonem*, vltimi *Pythagoreorum* diſcipulum: ac tandem auctor apud *Photium*, *Platonem nonum* a *Pythagora* ſucceſſorem fuiſſe. Quibus omnibus ſic inter ſe congruentibus, res certa ſatis efficitur. Sunt tamen in iis, quae ad hanc ſucceſſionem pertinent, a *Iamblicho* tradita, quaedam, quorum ratio reddi non poſſit; quae ſintne vitioſis *Iamblichi* exemplis, an ipſi auctori, adſcribenda, non dixerim. Sic, quum dicit, p. 220. *Tempore* Bulagorae, *in ordine ſucceſſionis* quarti, Crotoniatarum *ciuitatem captam fuiſſe*, et *direptam* (Ἐφ' οὗ διαρπασθῆναι συνέβη τὴν Κροτωνιατῶν πόλιν): id temporis cogitaſſe videtur, quo *Crotonem*, et vicinas ciuitates ſibi ſubiecit *Dionyſius*, pater, et aliquot annos tenuit; vt diſcimus ex *Diodor.* 317. *Dionyſ. Halic.* Excerpt. p. 539. et *Liuio*, l. XXIV. quod accidit Olymp. XCVIII. 1. Iam annos XL. habebat *Plato*, hac Olympiade: et *Bulagoras* ſecundus modo eſt ab *Ariſtaeo*, in ordine ſucceſ-

ſionis: quomodo igitur hoc cohaerere cum eo poteſt, quod antea dixerat *Iamblichus*, *Platonem*, ſeptem circiter aetatibus ab *Ariſtaeo*, fuiſſe?

Adhaec, p. 220. *Diodorum Aſpendium*, in ordine ſucceſſionis, *Iamblichus* ponit ante *Philolaum*, *Eurytum*, et *Archytam*, quorum poſtremus praeceptor *Platonis*. Sed apparet, *Diodorum* hunc, ipſo *Platone*, poſteriorem fuiſſe aetate. Mortuus enim eſt *Plato*, annos natus LXXX. amplius, Olymp. CVIII. 1. *Diodorus* autem familiaris fuit *Stratonici*, muſici, qui in aula *Ptolemaei Lagi* vixit (vid. *Athen.* p. 162. et 350.): quod non potuit non eſſe poſterius Olympiade CXIV. Praeterea *Archeſtratus Syracuſius*, *Platone*, poſterior fuit aetate: vt ex verbis *Athenaei* confici poteſt; *Archeſtratus*, inquit, p. 4. *ignorabat*, *fuiſſe in* Platonis Conuiuio XXVIII. *conuiuas*. Meminit autem huius *Diodori Archeſtratus*, vt tum viuentis, verſibus his elegantiſſimis:

Ἀλλ' οὐ πολλοὶ ἴσασι βροτῶν τόδε θεῖον ἔδεσμα.
Οὐδ' ἔσθειν ἐθέλουσιν, ὅσοι κούφην τελεβώδη
Ψυχὴν κέκτηνται θνητῶν, εἰσὶν δ' ἀπόπληκτοι,
Ὡς ἀνθρωποφάγου τοῦ θηρίου ὄντος· ἅπας δὲ
Ἰχθὺς σάρκα φιλεῖ βροτέην, ἄν που περικύρσῃ.
Ὥστε πρέπει καθαρῶς ὁπόσοι τάδε μωρολογοῦσι,
Τοῖς λαχάνοις προσάγειν, καὶ πρὸς Διόδωρον ἰόντας
Τὸν σοφὸν, ἐγκρατέως μετ' ἐκείνου Πυθαγορίζειν.

Stultos eſſe, ait, qui nolint canes edere marinos, quod carnes humanas vorent: piſces enim omnes, ſi quando inueniant, iis delectari. Vt, qui iſtoc nomine eas auerſentur, oleribus veſci debeant, et ad *Diodorum* abeuntes, *Pythagoreorum* more viuere. In ſecundo vitium notauit *Caſaubonus*; -- ὅσοι κούφην τελεβώδη Ψυχὴν κέκτηνται· *Graecum* enim non eſt τελεβώδης. Duplici via, corrigere locum conatur, vel reponendo, κούφην κερεβώδη, vel, οἱ κούφην κελλεβορώδη. Sed prius ferri nequit; ſcribi enim debet κάρεβώδη; ac tum prima ſyllaba longa erit. Poſterius a vulgata lectione nimis recedit. Poſt tantum virum, ſi forte lapſus fuero, facile errori meo ignoſcetur. Repetitur idem verſus, p. 310; vbi eſt, — ὅσοι κοῦφαν γε λεβώδη. Repono autem,

— ὅσοι κοῦφ' ἀττελεβώδη Ψυχὴν κέκτηνται.

Ἀττέλεβος, genus locuſtae eſt: Naturam *leuem et mobilem* cogitauit ille, qua quis, tanquam vento locuſtae, ad immoderata quaeuis feratur. Sed amplius aliquid tentauerim, et ſic coniunxerim verba; ὅσοι κεπφαττελεβώδη. Κέπφος, eſt genus auiculae, quae, leuitate ſua, quocunque ventus impellat, feratur; translatum inde in hominem ſtolidum et leuem.

v. *Hesychium*, scholiast. *Aristophan.* alios. Vt κέπφαττελεβώδης apte copulatum sit, ex κέπφος et ἀττέλεβος.

Sed ad aliam partem accedo, in qua secum pugnet *Iamblichus*, p. 103. Οἱ παλαιότατοι, inquit, καὶ αὐτῷ συγχρονίσαντες καὶ μαθητεύσαντες τῷ Πυθαγόρᾳ τῷ πρεσβύτῃ νέοι, Φιλόλαός τε, καὶ Εὔρυτος, Ἀρχύτας τε ὁ πρεσβύτερος, κ. τ. λ. Vbi *Philolaum*, *Eurytum*, et *Archytam* inducit, vt aequales *Pythagorae*; licet, hic, septem eos aetatum spatio ab illo seiunxerit. Mirum profecto, tam paruo in libro, toties secum ipsum pugnare. Cuinam vero, ex dictis eius, fidem habebimus? Huic sane, quod saepius dicit, quodque propius abest ab eo, quod alii retulerunt. Quid autem disertius ipsis eius verbis? Ἐν τοσαύταις γενεαῖς, inquit, p. 172. ἐτῶν οὐδεὶς οὐδενὶ φαίνεται τῶν Πυθαγορείων ὑπομνημάτων περὶ τετευχέως πρὸ τῆς Φιλολάου ἡλικίας leg. περιτετυχέναι. *Tot aetatibus*, ait, *neminem vidisse vnquam librum aliquem* Pythagoreorum, *vsque ad tempora* Philolai. Nonne hic declarat, *multas*, *Pythagoram* inter et *Philolaum*, interfuisse *aetates*? Conseruauit autem *Laertius*, in Arch. vnam, ex epistolis *Archytae*, ad *Platonem*, qui, scripta *Ocelli Lucani* conquiri, volebat: in ea, *Archytas*, *se inquisiuisse*, respondet, *illa*, *et vidisse*; *de illis*, *nepotes* Ocelli: Ἀνήλθομεν ὡς Λευκανώς, καὶ ἐνετύχομες τοῖς Ὠκέλλω ἐκγόνοις. Habemus, hic, tres aetates, *Archytam* inter et *Ocellum*: et nec, *Ocellum* quidem ipsum eadem, qua *Pythagoram*, aetate fuisse, qui dixerit, noui. Atque hactenus quidem quaesitum, de aetate istius philosophi.

Restant quaedam argumenta, a doctissimo *Dodwello* prolata in medium (de Cycl. V. p. 253.), ad confirmanda ea, quae, de aetate *Phalaridis*, disputauerit; quorum momenta hic perpendenda sunt. In Epistolis, quae feruntur, eius, mentio fit *Clisthenis* cuiusdam, exulis, vt videtur, ciuitate aliqua libera, licet nomen non sit additum. vid. ep. LXXVII. (LXVIII.) XCV. (LXIX.) CX. (LXVII.) Hunc *Dodwellus* putat, esse *Clisthenem*, celebrem illum *Athenienſem*, cuius tanta fere, in expellenda familia *Pisistrati*, quanta, in *Tarquiniis*, *Bruti Romani*, fuerit opera. Iam *Pisistratidae* pulsi patria sunt, Olymp. LXVII. 1. v. Marm. *Arundel.* Nec potest non, eam inter et exilium *Clisthenis*, esse aliquot interuallum annorum. Quapropter, *Phalaris*, qui exulantem *Clisthenem* adiuuauit, adhuc regnasse, necesse est, circa Olymp. LXVIII. quod est XL. annis posterius, termino *Eusebii*, ad quem, tanquam regulam et normam, omnia in Dissertatione mea, diriguntur.

Sed iterum dolet vehementer, quod video, viro huic praeclaro, tam esse impositum commenticiis istis Epistolis. Quid-

quid enim de *Clisthene* narratur, commentum sophistae est; nec scena, *Athenae*. Nam, *Phalarid.s* nostri *Clisthenes*, filius fuit *Autonoae*, vnius de proximis tyranni, vid. ep. XCV. (LXIX.): Sed *Atheniensis* illius matri nomen *Agariste*, vt *Herodotus*, VI. 126. et *Aelian*. XII. 24. docent; eiusdem *Clisthenis* consobrina, mater *Periclis*, teste *Herodoto*, VI. 131. et *Plutarcho*, in Pericle, nominata *Agariste*, in memoriam alterius. Suspiceris fortasse, *Autonoen*, in Epistolis, socrum modo fuisse. Futilis certe responsio haec; etiamsi non esset, quod posset referri, in ipsis Epistolis, vbi, *ipsius mater*, ea dicitur: Παρὰ τῆς σεαυτοῦ μητρὸς ep. CX. (LXVII.). Sin, librariorum vitium in exemplis *Phalaridis* esse, dixeris, posueriisque, *Autonoe* male descriptum, pro *Agariste*: super hoc argumento agi cum tantis defensoribus non poterit. Sed tum rursus, *Phalaridis Clisthenes* tribus talentis multatus, eiusque bona publicata, erant. vid. ep. XCV. (LXIX.). Iam alia plane haec, atque illa *Clisthenis Atheniensis*, ratio; qui, vt auctor *Aelianus* est, XIII. 24. multatus testulis, non poterat non, exul, bonis suis frui. Nam hoc intererat, ostracismum inter et exilium; vt, testarum iudicio, ius bonis suis fruendi, integrum alicui concederetur. *Plutarch*. in Aristide: Ἐξεκήρυττον εἰς ἔτη δέκα καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ. add. *Suid*. v. Ὀστρακισμός. schol *Aristoph*. 238. et 344. *Herodotus* rem ita narrat, quasi, nullis testulis, solo *Cleomenis*, *Spartanorum* regis, mandato, *Athenas* reliquisset. Sed hoc ipsum comprobat, non esse *Clisthenem* illum, in Epistolis: nam, hic, nulla bonorum publicatio, si, vt *Cleomeni* obediret, solum aberat. Atheniensis Clisthenes, inquit *Cicero*, de Legibus, II. 16. Iunoni Samiae, *ciuis egregius*, *cum rebus timeret suis*, *filiarum dotes credidit*. Apparet, hunc timorem aliquanto praecessisse eius exilium: et, si tum pecunia ei esset, *Iunoni Samiae* credita, verisimile non est, in *Siciliam* misisse, qui peterent, itinere contrario, et, eo, *Samum*, multo longiore. Sed quid plura? Legat modo quis res *Clisthenis*, apud *Herodotum*; dein Epistolas conferat, vbi, nec *Athenas*, nec *Isagoram*, *Clisthenis* aemulum, nec *Cleonem*, nec quidquam aliud, nisi quaedam, dicta generatim, et locos communes, inueniet; et credat, si possit, scriptorem istarum Epistolarum agere de *Atheniensi* illo. Aut, si agit de eo; hoc ipsum inter alia argumenta numerari potest, esse sophistam.

Vnicum hoc amplius addit *Dodwellus*, de Cycl. V. p. 253. de aetate *Phalaridis*. Sunt, ad *Hieronem*, vna, et duae, ad *Epicharmum*, epistolae. vid. ep. LXXXVI. (XXIX.) LXI. (CI.) XCIIX. (CII.) Quod si iam hic *Epicharmus*, poeta comicus est; si hic *Hiero*, tyrannus *Syracusanum*; congruunt eorum ae-

tates cum ratione *Dodwelli*, qua vixerit ille Olymp. LXXII. Sed, cum ipse *Dodwellus* huic coniecturae parum tribuat, multis eam refellere nolo. Sufficit, notasse; nihil esse in Epistolis, ex quo cognoscas, *Epicharmum*, ibi commemoratum, fuisse poetam: quod, si comicum cogitasset auctor, aegre praetermisisset; si coniecturam fieri licet, de eius ingenio, ex tot epistolis, ad *Stesichorum*. Quod ad *Hieronem*; inducitur is, tanquam ciuis *Leontinus*; quod, quantum quidem nouimus, alienum a rationibus *Hieronis Syracusani.*

Atque haec quidem, de locis celebrioribus, qui, aut ad *Phalaridis*, aut *Pythagorae*, aetatem pertinent, disputata sufficiant: vbi omnia, quibus nouam suam doctrinam excitare, fit conatus *Dodwellus*, diligenter exegi. Ipse iudicium facere nolo, aut secundum alterutram partem sententiam dicere: sed rem omnem ad eos defero, qui sunt bene versati in scriptis veterum; et, speciatim, Episcopum *Couentriensem* et *Lichfieldiensem*, virum summum, et historiae ac temporum peritissimum

I.

DE PHINTIENSIBVS.

Quum de aetate *Phalaridis* mihi cum *Boyleo* conuenit: nam in eo consentit, vt collocetur, quemadmodum ego feci, ad Olymp. LVII. 3. venio tandem ad rem ipsam. Quid autem contra ea, quae primum argumentor, dicit scriptor Censurae?

Vt via instituat Bentleius, inquit, p. 122. *ab vltima epistola orditur.* Vt modeste instituat *Boyleus*, a calumnia dignissima, puto, orditur. Quasi vero, argumenta, pro cuiusque vi et virtute, disponere, quam, vt sors offerret, ea arripere, mihi non praestitisset? Sed mox videbit, hoc argumentum primo loco a me poni, quod sit validissimum, quodque nulla vnquam possit calumnia ludificari.

Sed (p. 122.) *in* Phalaridis *exemplis est* Ταλαῖοι, *et eo quod legendum coniecit scriptor Censurae*, Υβλαῖοι, *vtor ego.* Leue, puto, peccatum est, eo vti, quum locum cites, modo non assumas, vt tuum. Sed aegre fert, vt opinor, quod eum non nominem, nec laudem correctionis ei concedam. Si hoc; ex animo ei ignosco: nam, cum paucae admodum sint verae eius emendationes, est, cur eas circumspiciat. Sed, libere dicam, tam facilis correctio est, vt laus eius parua sit. *Quod enim in omnibus editionibus fuit*, Ταλαῖοι, ratio est, quod ante, quam prodiit *Boyleus*, nemo, excellenti doctrina, cogitationem suam voluit in Epistolas istas edendas abiicere.

Sed fac (p. 122.) Ὑβλαῖοι *esse*; *an hic ad aliquam* Siculárum Hyblarum *respiciatur*, *dubitari potest*. Hoc, valde licet remotum a quaestione; neque enim ex *Hybla* duco argumentum; habet, quod sit eo deterius: nam verum non est *Misi*, inquit *Phalaris*, ep. CXLVIII. (CXII.) *per* TOTAM SICILIAM, εἰς ἅπασαν Σικελίαν, *qui pecuniam sumerent mutuam*; *et quidam voluntariam dederunt alii, vt* Leontini, *et* Geloi; *alii, daturos, promiserunt*, *vt* Hyblaei *et* Phintienses. An ergo dubitari potest, respiciaturne hic ad aliquam *Sicularum Hyblarum?* Nonne disertis verbis dicit, se mittere, sumtum in SICILIA? Doleo, editorem nostrum *Honoratum* non magis versatum esse in suo scriptore: doleo autem? imo vero laetor; nam spes est, melius eum tempori consulturum.

Nunc vero pauca dicam, de istis Ταλαίοις, *populo*, *qui* (p. 122.) *non sit in* Sicilia: *vt imprudenter dixerim*, *sophistam curasse*, *vt*, *quas in* Sicilia, *sciret*, *esse*, *ciuitates nominaret*. Etiamsi scriptoris Censurae emendatio, Ὑβλαῖοι, aperta est, et plana: tamen parum abest, quin correctionem suam, solo mihi contradicendi studio, abiiciat. Concedamus ergo, esse, Ταλαῖοι. Quid hoc lucri scriptori Censurae, nisi quod detexerit fraudem Epistolarum? Declarat enim scriptor, *esse Siciliam*, vbi pecuniam mutuam sumeret: cum vero eos, qui dederunt, nominat, Ταλαίους inducit, *qui non sunt in* Sicilia. Iam autem hic error, esse sophistae, potuit; veri *Phalaridis*, non potuit.

Venit tandem scriptor Censurae ad ipsam causae arcem: nam, duas vrbes, nomine *Phintias*, in *Sicilia* fuisse, vult probare: „*Phintiam* enim (p. 122.), conditam a *Phintia*, cuius „meminerit *Diodorus*, p. 867. maritimam fuisse ciuitatem: „*Phintiam* vero *Ptolemaei*, III. 4. et *Plinii*, III. 8. mediterra„neam; et hanc fortasse eam esse, ad quam respiciatur, in „Epistolis."

Quantum ingenii acumen, quanta vis naturae illustrioris! Sunt haec ipsa illa loca, quae citaueram; tamen, qui meus stupor erat, non animaduertebam, loqui scriptores, de diuersis *Phintiis*. Nam opinabar, *Plinium* et *Ptolemaeum*, si aliam, atque illam *Diodori*, cogitassent, duas fuisse commemoraturos: fuit enim *Phintia Diodori* celebrior, quam quae praetermitteretur. Quum itaque vnius tantum meminerint, concludebam, cognouisse eos non, nisi vnam. Imo putabam, causam me reperisse, quare adeo, de situ eius, inter se dissentiant hi scriptores. Quum enim breui tantum spatio seiuncta a mari, ad ostium fluuii, quemadmodum *Phintia*, vrbs sita est: mirum non est, inter scriptores non conuenire; et alios maritimam

vocare, quod prope mare fit, et portum habeat; alios, quod vere fit in media terra, non autem in tractu maritimo, mediterraneam. Quemadmodum, in eodem loco, *Ptolemaeus*, in numero vrbium mediterranearum *Agrigentum* ponit; licet *Plinius*, et vnusquisque alius, maritimam dicant: nam, vt ait *Polybius*, IX. intra ostium fluminis stadiis fuit tantum XVIII. Atque, eadem de causa, *Gelam* et *Camarinam*, mediterraneas vrbes vocat *Ptolemaeus:* licet vnusquisque sciat, esse maritimas. Enumerat *Virgilius*, Aen. III. promontoria et vrbes maritimas *Siciliae*, quas viderit *Aeneas*, cum eam praeterueheretur:

Hinc altas rupes, proiectaque saxa Pachyni,
Radimus: et, fatis nunquam concessa moueri,
Apparet CAMARINA *procul, campique* Geloi,
Immanisque GELA *fluuii cognomine dicta:*
Arduus inde ACRAGAS *ostentat maxima longe*
Moenia, magnanimum quondam moderator equorum.

Habemus tres vrbes maritimas, *Camarinam*, *Gelam*, *Agrigentum:* num ergo, vt *Phintiam*, ita has, geminabit scriptor Censurae, quia *Ptolemaeus* mediterraneas vocat? Si nouam tabulam *Siciliae*, his, tam pulchre inuentis, distinctam, edet, quod meritus est, nomen consequetur.

Porro ait *Boyleus* (p. 123.), Phintiam, *in Epistolis, mediterraneam vrbem esse, oportere: quod* Hybla, *illic ei iuncta, sit mediterranea. Esse hoc genus argumentationis, quo ipse vtar, proximo capite:* quod falsum esse, vbi illuc venero, ei ostendam. Interea, quid est, cur tam firmiter statuat, hanc *Hyblam*, in Epistolis, esse oportere mediterraneam? Nonne modo dicebat, *dubitari posse, respiceretur ne ibi ad aliquam* Sicularum Hyblarum? et, quae feruntur, extra *Siciliam*, *Hyblae*, quantum scit, potuerunt esse maritimae. Fac vero, hanc esse *Hyblam*, in *Sicilia:* num omnes, istoc nomine, in *Sicilia*, mediterraneae? Aut hoc concedendum, aut eius argumentatio claudicat; quod ne suspicari quidem licet, de tanto dialectico. Vt igitur tutus sit, persuadet sibi, omnes, in *Sicilia*, *Hyblas*, esse mediterraneas: vt amplius apparet ex eius Indice, *Phalaridis* editioni iuncto; vbi ista *Hybla*, quae vere maritima, fuisse dicitur mediterranea (V. *Megarenses Hyblei, quorum vrbs Megara Mediterranea*): error manifestus, quem plane coarguunt, *Thucydides*, *Cicero*, *Virgilius*, *Ouidius*, *Mela*, *Plinius*, alii. v. *Cluuer.* Sicil. 133. Tam vero nihil est, quacunque incedat scriptor Censurae, in quo non offendat.

Sed opinatur, (p. 123.) *posse me contendere, omnes istos scriptores*, Diodorum, Ptolemaeum, Plinium, *ad eandem* Phintiam *posse respicere.* (Et si omnes eius opiniones tam fint

verae, quam haec; nihil amplius ei contradicam.) *Si hoc; cur non potuit* Diodorus *aeque errare, de tempore huius vrbis conditae, atque a duobus testibus idoneis arguitur, errasse, de situ eius?*

Iam ostendi, de situ *Phintiae*, eorum errasse neminem; nam nouerant omnes, habuisse portum, non longe a mari, prope ostium fluminis *Himerae*, situm. Sola differentia nominis est; aliis, eiusmodi situm, maritimum, aliis, mediterraneum, dicentibus. Sed, re vera habuisse portum, duo testes, ipso non deteriores, *Diodoro* sunt; *Antoninus*, in Itiner. p. 21. *Per maritima loca, cet.* et Cicero, III. in Verr. *Coge, vt ad* aquam *tibi frumentum metiantur, vel* Phintiam, *vel* Halesam *cet.* Vt tres sint, quos duobus opponamus. Sed videamus, quae sint rerum testimonia. *Cum* Carthalo, *dux* Carthaginienlis, *audiret, classem* Romanam *soluisse* Syracusis, *ad eos cum nauibus* CX. *nauigauit:* Romani *autem, detrectantes praelium, in portum* Phintiae *festinarunt; quo*, Carthaginienses, *persecuti eos, naues* LXXVII. *submerserunt, mutilarunt* XIII. *Mox consul* Romanus, *inscius eius, quod accidisset, cum* XLXVI. *nauibus* Messana *venit, eosque in ancoris ad* Phintiam *collocauit.* Haec pluribus exponit *Diodorus*, p. 880. quod omne num somnium censendum est, *conscriptum ab eo, cum alto esset somno sopitus,* vt scriptor Censurae ait, p. 137? Natus erat intra sexagesimum a *Phintia* milliare; nec certe is, qui totam *Europam* et *Asiam*, visendi causa ea, quae describeret, loca, peragrauit (*Diodor*. Praef.), tam esse hospes potuit in patriis, vt praelia naualia committeret, et classes integras deprimeret, in terra. Quod si tamen scriptor Censurae adhuc obniti *Diodoro*, et reliquis, velit; amplius in promtu est testimonium, quod, quin probaturus sit, nullus dubito. Est illud *Caroli Boyle*, *Equitis Honorati*, docti editoris *Phalaridis*, cuius in Indice haec ipsa verba sunt: Phintia *hodie* Lycam, *vrbs maritima in orientali* Siciliae *latere*, *non mediterranea*, *vt* Ptolemaeus. Testimonium luculentissimum, non solum fuisse *Phintiam* maritimam, sed eo etiam respexisse *Phalarim.* Fortasse haec legenti rubor suffundetur *Boyleo*: quapropter ei grauis esse nolo; tantum hoc quaero: Cum, *Phintiam maritimam vrbem* esse, dicat editor; scriptor Censurae, *mediterraneam*: Vtrum demonstratu difficilius est, maritimam, et mediterraneam, eandem vrbem, an eundem hominem esse, editorem, et scriptorem Censurae?

Sed videamus, quid ex *errore*, vt ille vocat, *Diodori* cogat: hic enim ipsa summa dialecticae exspectari poterit. *Cur non aeque errare* Diodorus *potuit*, *de* tempore *huius vrbis conditae*, *atque errauit*, *de situ eius?* Iam, de *situ*, si errauit, quinque milliarium spatio fortassis, errauit; sufficit enim hoc,

vt vrbem mediterraneam dicas. Sed, de *tempore*, quo sit condita, oportet, errauerit, spatio non minus annorum CCLXX. Quidquid enim eo minus est, Epistolis prodesse nequit. Vt summa scriptoris Censurae quaestio haec sit: Si, paucorum spatio milliarium, potuit *Diodorus*, cur non errare, CCLXX. annorum, potuit? id est, si taurum potuit *Milo Crotoniates* portare, par elephantum cur non potuit?

Sed non magis errasse *Diodorum*, de tempore conditae *Phintiae*, quam de situ, tam est certum, quam quod certissimum, in historia. Primum enim errare non potuit, de temporibus *Phintiae* tyranni. Tot eum rebus implicuit, tot iunxit aequalibus, vt, suae existimationis pertaesum esse, oporteat, qui, *Phintian* hunc aetate praecessisse *Phalarin*, audeat dicere. Bellum gessit (*Diodor*. XXII.) cum *Hiceta*, tyranno *Syracusarum*; illo *Hiceta*, a quo aliud gestum cum *Maenone*, qui *Agathoclem* veneno sustulit, et in locum cuius successit *Thynio*, vel *Thoeno*, regis *Pyrrhi* socius. Meminit eius *Diodorus*, ib. et, in Excerpt. *Valef.* 265. cum *Decio Iubellio*, tribuno *Romano*, cuius aetas cognita ex *Polybio*, *Liuio*, *Appiano*. Rationes (ibid.) intercedebant eum inter et *Mamertinos Messanios*, de quibus, ante *Agathoclis* tempora, nihil vnquam auditum in *Sicilia*. Solo aequauit (ibid.) *Gelam*, quam diu post tempora *Phalaridis* floruisse, quam plurimi testantur. Quis est tandem, tam immodestus, tam stultus, vt dicat, haec omnia permista et confusa esse, et *Phintian*, tribus ante saeculis, vixisse? Num historicus, tam excellens, tantae suspectus esse negligentiae, potest? Aeque absurdum est, ac si dicas, Episcopum *Salisburiensem*, in *Historia Reformationis*, immortali illo opere, res *Henrici* III. cum illis *Henrici* VIII. permiscere potuisse.

Est, apud *Goltzium* et *Parutam*, numus, sic inscriptus; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΝΤΙΑ· cuius in auersa parte, canis, in adversa, cinctum laurea caput. Esse id *Gelonis*, et, ΦΙΝΤΙΑ dictum, de ciuitate *Phintia*, putat *Goltzius*. Consentit *Harduinus*, Num. Antiq. Illustr. in eo, ΦΙΝΤΙΑ non esse viri, sed vrbis nomen. Ego autem *Parutae* assentior, qui, de rege *Phintia*, dictum accipit. Nam ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΝΤΙΑ nonne in casu secundo est, vt hae inscriptiones; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ, ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ; Estque eadem harum omnium ratio; non sunt in aduersa, sed auersa, parte. Adhaec, ipsum nomen, ΒΑΣΙΛΕΩΣ, declarat, non esse caput *Gelonis*. Neque enim in eius, eiusue fratris, numis vox ista reperitur: et, vt videtur, primus *Siculorum*, qui, βασιλέα se vocari, in numis,

voluit, *Dionysius* fuit. Sine dubio itaque, hic *Phintias*, longe demum post *Phalarin* tempore, floruit; id quod non tantum ex nomine, βασιλέως sed etiam ex capite, laurea cincto, apparet. Neque enim temporibus *Phalaridis* is mos fuit, vt imaginibus principum numi signarentur.

Dein, neque errare *Diodorus* potuit, cum dicat, hunc *Phintian* condidisse vrbem *Phintiam*, et suo nomine vocasse. Obseruandum est, eum plus semel id dicere. Κτίζει δὲ, inquit, p. 868. Φιντίας πόλιν ὀνομάσας αὐτὴν Φιντιάδα· Phintias *vrbem condit, suo nomine vocatam* Phintiam; et Φιντίας, ὁ Φιντιάδος κτίστωρ. Phintias, *conditor* Phintiae. Rem descripte exposuit. Mamertini Messanii, inquit, p. 874. *ciuitatem* Gelam, *cum populati fuissent*, Phintias, Agrigentinorum *rex, aedificia omnia murosque solo aequauit, et, qui reliqui essent, ciuibus extorribus vrbem condidit* (in agro *Agrigentino*) *operibus munitam, ornatamque foro et templis.* Num dicet noster ille, vana haec somnia esse? Non; sed fortassis, ante, potuit ibi esse ciuitas, *Phintia* vocata, eamque instaurasse *Phintias.* Bene habet; omnia ista molimina, omnes sumtus non, nisi ludus, (*a refreshing Quibble*, p. 133.) fuerunt. Erat vrbs cognominis, atque, ea de causa, eam instaurare voluit. Si hoc; erat *Alexandria*, ante *Alexandrum*, ante *Romulum*, *Roma.* Sed, nunquam, inquies, haec nomina audita sunt, ante tempora istorum conditorum. Quid ita? quis vnquam illud *Phintiae* audiuit, ante tempora *Phintiae?* Est tamen scriptor Censurae, cuius indicio possis eam conspicere in terris τῶν Δυνατῶν (*in the Region of Possibilities*).

Liceat mihi, pauca addere, de *Phintiae* exstructione. Sponsorum habemus *Diodorum*, ciuitatem *Gelam* iam euersam et desertam ante, quam esset *Phintia* condita; et reliquos *Geloorum* traductos in recens conditam hanc *Phintiam*, ab eoque inde tempore vocatos *Phintienses*. Sed Epistolarum auctor, qui fertur, *Geloorum* et *Phintiensium*, vt diuersorum populorum, meminit; quasi *Gela* et *Phintia* ambae fuissent. Leontini, inquit, ep. CXLVIII. (CXII.) *et* Geloi *pecuniam dederunt; mutuam daturos se, promiserunt* Hyblaei *et* Phintienses. Vt hic duplex ratio sit, qua, quae subest Epistolis, fraudem detegas: tum, quod in iis mentio fiat *Phintiensium*, quorum, temporibus *Phalaridis*, nunquam auditum nomen; tum, quod, vt diuersi a *Gelois*, inducantur: licet vnus idemque populus fuerint, recenti ciuitate veteris ruinis excitata.

Subiicit tandem *Boyleus* iocum aliquem innocuum. *Nisi*, inquit, p. 123. *haec* Phintia, *ciuitas sit, ex eo genere, quo* Agrigentum, *quae portum habeat in media* Sicilia. Verba mea,

ad quae animum intendit, haec ſunt, Diſſert. p. 34. *Datae Epiſtolae in media* Sicilia: vbi de *Agrigento* nihil, ſed ipſe id addit, vt ioco locus ſit. Sed dic, ſodes, o bone, vnde reſciiſti, omnes *Phalaridis* Epiſtolas datas *Agrigenti* eſſe? Nonne *Suidas* ait, v. Φαλ. praefuiſſe eum toti *Siciliae?* Non, in Epiſtolis, prae ſe fert, ſubieciſſe ſibi *Leontinos*, *Tauromimitanos*, *Zanclaeos?* Non *Sicanos*, teſte *Polyaeno*, v. I. populum mediterraneum, deuicit? Nec is, in harum expeditionum aliqua, aeque, atque domi, ſcribere literas potuit? Tantane impedimenta, ſtilus et tabulae, vt adferri vna non poſſent? Ex quarundam epiſtolarum materia, coniecturam feceris, datas eſſe (*Diodor.* p. 741.) ex arce, vbi taurus eius eſſet; quae XVIII. ab *Agrigento* milliaribus aberat. Pleraeque vero tam generatim ſunt compoſitae, ſine notis vllis locorum, aut temporum, vt, quando, aut vbi, ſint ſcriptae, dici nequeat. Atque hoc ipſum lector obſeruet, vt aliud fraudis indicium. Quid autem, ſi *Agrigentum* cogitaueram; cum dicerem, *Epiſtolas datas eſſe in media* Sicilia? Nonne *Agrigentum* in media inſula eſt, inter duo eius promontoria, alterum orientem, alterum occidentem ſpectans, *Pachynum* et *Lilybaeum?* Et, puto, habet tam linea, quam ſuperficies, medium. Quid autem, ſi *Agrigentum* mediterranea ciuitas eſt, quid tum ioco tuo fiet? Sunt mihi teſtes duo, fide digni; *Ptolemaeus*, qui in *μεσογείοις*, *mediterraneis*, eam numerat; et *Boyleus*, in Indice, ad *Phalarin:* Agrigentum, inquit, *vrbs mediterranea. Si tam eſt litigioſus* Boyleus, (p. 119.) *vt ſecum ipſe diſſentiat, qui fieri poteſt, vt non diſſentiant alii?*

Quod ſi iam eorum, quae contra primam partem dixit ſcriptor Cenſurae, momenta perpenderit lector; ita comparata eſſe, mecum cenſebit, vt omnia teſtimonia, quibus ſit vſus, iam inſint in mea Diſſertatione, quaeque inde duxerit, argumenta falſa ſint, et digna ſuo auctore.

II.
DE HALESA.

Cum, quae, poſtremo loco, diſputantur a ſcriptore Cenſurae, languida ſint, et ieiuna valde; hic exſpectari poterit, quo id compenſetur. Nam, vt ne omnino nihil ſit, quo animus accendatur, primum impugnare aggreditur vitium operarum; CXX. pro CXL. quod, licet ad rem nihil pertineret, mihi adſcripſit. Atque hoc quaſi triumpho, de operis reportato, elatus, animoſe ad ipſum argumentum accedit. Sed euentus docebit, non tantum ſcriptores, ſed etiam vnum ex editoribus Epiſtolarum, eſſe ſophiſtam.

O

Bentleius, inquit, p. 123. Stefichorum, *putat, in fummo periculo verfari, ne interciperetur in terreftri itinere (Journey), cum* Halefa Aluntium *cogitaret.* Iam, bona cum venia fcriptoris Cenfurae, *Bentleii* animus magis in id inclinabat, vt, *mari* (a *Voyage*), factum iter putaret, quam terra (a *Journey;* nam et *Himera*, vbi *Stefichorus* viuebat, et *Halefa Aluntiumque*, quo proficifcebatur, ciuitates maritimae funt. Atque ipfe *Phalaris* hanc *Bentleii* opinionem confirmat; hoc enim σαρκασμῷ in *Stefichorum* vtitur. *Intelligo*, inquit, ep. XCII. (IX.) *τε* Νόςε̃ς, *Reditum* Graecorum Troia, *fcribere: fed, quemadmodum ipfe* Halefa, Himeram *fis rediturus, non cogitas. Sed difficulter effugies meas manus; in quas vbi incideris, aeque exitiofum id tibi erit, atque illis fuerunt* Capharei *fcopuli et* Charybdis. Aptior profecto horum comparatio erit, fi, mari, *Stefichorus*, quam fi, terra, domum redierit. Atqui, mari, tandem, vt fingitur, ep. CVIII. (X.) fuit interceptus; cum a *Pachyno* in *Peloponuefum* nauigaret.

Obferuabam, huius argumenti, quum plures *Halefae* fuiffent in *Sicilia*, paruum momentum effe, nifi poffet, quamnam earum animo intendiffet fcriptor Epiftolarum, fciri. Et quidem poffe, putabam, ex ipfis caufis itineris. Fertur *Stefichorus*, *Himera Halefam* et *Aluntium* nauigaffe. Iam *Halefa Archonidae* cum portum haberet, effetque fita *Himeram* inter et *Aluntium*, dubitari non poffe videbatur, quin effet illa, cuius fieret, in Epiftolis; mentio. Praefertim, cum probabilis ratio fit, cur, reliquas *Halefas* (fi modo fuerint vllae) mediterraneas fuiffe, credas. Nam, fi portus habuiffent, et *Phalaridis* temporibus fuiffent antiquiores; fieri non potuiffet, quin, aut *Punicis*, aut *Atticis*, aut *Romanis*, aut ciuilibus denique, in *Sicilia*, bellis, aliqua faltem pugna naualis ad eas fuiffet commiffa; ac tum in tanta earum ignoratione, quanta omnes fuiffe, apparet, nullo modo verfari hiftorici potuiffent.

Sed, p. 124. defiderat *Boyleus*, *in breue tempus huius formam ratiocinationis fibi commodari, vultque probare contrarium eius, quod probauerim ego, non effe* Halefam *in eadem, qua* Haluntium, *ora.* Equidem, periculofum effe, intelligo, aliquid *commodare* huic iuueni. Antea manufcripto *Phalaridis* commodato, nunc ratiocinationis forma quafi commodata, vtitur; fed vtroque male, ac tum eum, qui commodauit, calumniatur. Primum, quae forma ratiocinationis effet, non vidit; quaeque affumtio, eam habuit conclufionem. Neque enim, hac argumentandi ratione, *probo, Halefam*, in eadem, qua *Haluntium*, ora effe. Hoc *pono* et *affumo*, vt cognitum ex *Antonini* Itinerario, *Diodoro*, et *Strabone*; qui omnes, ibi

ſitam, tradiderunt. Diceres, eum, qui dialecticam, in ſuum vſum deſcriptam typis, habeat, aptum futurum fuiſſe ad concluſionis ſummam ſcienter partibus ſuis diſtinguendam. Sic autem ea ſe habet:

Haleſa, *Himera*, et *Haluntium*, iunguntur in Epiſtolis, vt ciuitates maritimae, eaeque vicinae.

Eſt autem *Haleſa Archonidae*, maritima, vicina *Himerae* et *Haluntio*.

Haleſa igitur *Archonidae*, eſt iſta *Haleſa*, cuius fit in Epiſtolis mentio.

Quid autem, ſi commodo? „*Haleſini* (p. 124.), inquit „*Tullius*, *Catinenſes*, *Panormitani*, *cet.* et, *Haleſini*, *Catinen*„*ſes*, *Tyndaritani*, *cet.* vid. II. in Verr. Apparet itaque, *Hale*„*ſam* eſſe in eadem, qua *Catinam*, ora; id eſt, directe oppo„ſita *Haluntio*.“ *Hac me via concludere*, ait ille; licet inter vtrumque non maior intercedat ſimilitudo, quam imaginem *Aeſopi*, a *Planude* expreſſam, et animale exemplum. Cum, aut ex inſtituto ſcriptoris, aut ipſis rei cauſis, apparet, loca, ſimul commemorata, eſſe vicina inter ſe, cogi inde poteſt, re vera ſic eſſe: ita primum, ex inſtituto ſcriptorum (quod *Strabo* et *Antoninus* vrbes ordine enumerant), ſcio, *Haleſam Archonidae* vicinam eſſe *Himerae*; dein, *Haleſam*, in Epiſtolis, poni vicinam *Himerae*; ex cauſis rei ipſius. Quid eſt autem, quod horum ſimile ſit, in loco *Ciceronis?* Fuit vniuerſa *Sicilia* vaſtata a *Verre;* et ex omnibus ciuitatibus erant, qui *Romae* poſſent contra eum teſtari. Iam partes *Ciceronis* non erant, quemadmodum eius, qui terram deſcribit, pro ſitu, ſiugulas earum commemorare; ſed multo magis, pro amplitudine, et fortunis ciuium.

Quis autem haec tam pertinaciter diſputat, de *Haleſa*, in Epiſtolis? Num idem ille *Boyleus*, qui Epiſtolarum editor? id certe prae ſe fert: verumtamen iſte editor *Haleſam* hanc, in Epiſtolis, deſcripſit ita, vt eandem, quam, ego dixerim, eſſe, appareat. Nam, in Indice ad *Phalar.* Alaeſa, inquit, Cicer. *in Verr.* III. *maritima eſt*, *in occidentaliori inſulae latere:* et, Aluntium, *non procul ab* Alaeſa. Imo hic ſitus in aliam, atque *Haleſam Archonidae*, non quadrat: nec dubium eſt, quin ad eandem reſpexerit *Cicero*, ſi contuleris *Diodori* et *Ciceronis* verba; et illius quidem, p. 246. Romanos *immunem feciſſe* Haleſam Archonidae: Διὰ τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων δοθεῖσαν ἀτέλειαν· huius autem, III. in Verr. cum dicat, *Immunes ciuitates ac liberas*, Centuripinam, Haleſinam, *cet.* Quid contra eiusmodi ſcriptorem Cenſurae dicemus. Tamdiu libere verum loquitur, quamdiu id, quod verum eſt, non eſt contra eum.

Quum autem videt, haec in caput ſuum verti, vt ita ludibrio ſit ſcriptor eius, eiusque editio omni priuetur laude; tum ſententiam mutare, quodque album ante, nigrum vocare. Erit autem fortaſſis album, quod ruborem contrahat, vbi ſcriptor Cenſurae haec tam inter ſe contraria viderit.

Vt amplius oſtendat, quam ſcite poſſit ſententiam torquere; aliud de meis argumentis repetit ſic: (p. 124) *Oportet, ad* Haleſam Archonidae *reſpexerit auctor Epiſtolarum, quia temporibus ſophiſtae non erat alia ciuitas, iſto nomine.* Iam, in verbis meis, quae in animo habet, nihil eſt, quod ſonet *quia;* nec eo prolata ſunt, vt vim haberent argumenti, vt ille ait. Poſtquam demonſtraueram, ſcriptorem Epiſtolarum ad *Haleſam Archonidae* reſpexiſſe; tandem ſubieci haec: *Nec profecto alia ciuitas iſtius nominis fuit, temporibus ſophiſtae.* Quod non eo animo ſcripſi, vt inde argumentum ducerem; nam iſta via, quod dubium erat, id ſumerem pro vero conceſſoque; Eſſe Epiſtolas a ſophiſta conſcriptas. Sed addidi tantum, tanquam cauſam, qua factum eſſet, vt iſtius *Haleſae* meminerit ſophiſta. Et eam quidem iuſtam putabam, et rationi conſentaneam, quod, temporibus ſophiſtae, non alia *Haleſa* eſſet cognita.

Id vnum igitur animo inſtituit, hoc in loco, ſcriptor Cenſurae, vt mea torqueret: ſed ſimul accidit, vt, quum cogeret id, quod vellet, erraret, *Videmus*, inquit, p. 125. *in his Epiſtolis*, Aſtypalaeam, Himeram, Zanclen, *ciuitates, dudum ante tempora ſophiſtae euerſas.* Si *Aſtypalaeam*, (*Phal.* edit. Oxon.) *Cretae* ciuitatem, vbi *Phalarin* putat natum, in animo habet *Boyleus*, lubens ei aſſentior, ciuitatis iſtius memoriam iam, nec ante, nec poſt tempora ſophiſtae, exſtitiſſe, donec primi eam inuenerint *Phalaridis* editores. *Sed obliuiſcitur* (p. 125.) Boyleus, *rem ſibi eſſe cum pertinaciſſimo hominum genere, qui nolint concedere, Aſtypalaeam*, in Epiſtolis, vrbem eſſe *Cretae*, ſed ciuitatem, et inſulam maris *Aegaei*, contendant, quam illi putant, minime euerſam, ante tempora ſophiſtae. Teſte enim *Strabone*, p. 488. et *Plinio* IV. 23. floruit adhuc, temporibus *Tiberii*, et *Titi*; et, quantum *Boyleus*, aut ego, nouimus, aliquot inde ſaeculis. Fac autem, in tempora *Titi* tantum ſtetiſſe: equidem puto, ſcriptorem Epiſtolarum *Phalaridis* ante ea potuiſſe vigere; video enim, Epiſtolas *Euripidis* commenticias exſtitiſſe, iſtis *Tiberii*. Nec eſt, cur minus antiquas putem illas *Phalaridis*, quae finguntur. Igitur haud ſcio, an ad altiora ego, quam ipſe ſcriptor Cenſurae, tempora eas referam.

Vellem profecto ſummas rerum, quas, ſecundo hoc loco,

differuit ſcriptor Cenſurae, repetere; ſi tractari poſſent. Sed tam exiles ſunt, tamque infirmae, vt ne, tangi quidem ſe patiantur, quin corruant. Quidquid id eſt, totum ad lectorem defero, cuius iudicio, licet, ſtetue, cadatue.

III.
DE POCVLIS THERICLEIS.

Parce admodum ſua, quae ſunt eruditionis, in priores locos contulit ſcriptor Cenſurae, quo plus haberet, quod in hunc tertium profunderet, tum, cum *Phalaris*, ille ſuus, *Polyclitum*, medicum, cumularet donis.

Ac primum quidem, diſcindere quaſi nodum, conatur, vt difficiliori eius explicandi labori parcat. Verba *Phalaridis*, vt nunc exſtant, ſunt; Καὶ ποτηρίων Θηρικλείων ζεύγη δέκα. *Quid*, inquit, p. 146. *ſi fuit ante*, Ποτηρίων ϑ' Ἡρακλείων, Poculorum *Heracleorum*, vel *Herculeorum*, loco *Thericleorum? Mutatio parui momenti, verumtamen qua omnia ſalua euadant.* Conuenit mihi cum *Boyleo*, eſſe mutationem, a quacunque parte eam conſideres, *parui momenti*. Nec immoderatam ei licentiam obiiciam, qua ſit vſus, cum, quod eſſet planum, mutaret, contra auctoritatem trium MSS. omniumque editorum librorum, non alia de cauſa, niſi vt vim argumenti declinaret mei. Diſputauerit fortaſſis haec alius; ego vero vnumquemque, qui criticae bene velit, quibus poſſim cunque modis, incitare ſoleo. Vnum, quod quidem nunc contra eius emendationem dicam, hoc eſt, quod nullum vnquam genus fuit, nulla forma poculorum, quae dicerentur *Herculea*.

Numeratur quidem ab *Athenaeo*, in indice poculorum, *Herculeum*, Ἡράκλειον: non tamen vult genus certum, ſpeciemque poculorum, quae ſic vocarentur ab *Hercule;* ſed erat ſingulare poculum, quo ſemel vſus *Hercules*. Narrat ille, *Piſandrum*, *Panyaſin*, et *Pherecydem* ſecutus, *Herculem*, cum in inſulam maris *Atlantici*, *Erytheam*, vellet traiicere, ſolem coegiſſe, vt, quo ſingulis noctibus, ab occidente ad orientem, nauigaret, poculum commodaret; et eo vectum *Erytheam.* Porro, e *Steſichoro*, *Antimacho*, et *Aeſchylo*, probat, eſſe in fabulis, ſolem ſingulis noctibus oceanum poculo, φιάλῃ, δέπαϊ, traiicere. Idem narrat *Apollodorus*, II. p. 115. Solem *Herculi* commodaſſe *poculum* ſuum *aureum*, quo, tanquam nauigio, vteretur. *Antiqua hiſtoria eſt*, inquit *Macrobius*, Saturn. v. 21. Herculem, *poculo, tanquam nauigio, vectum, immenſa maria tranſiſſe.* Vulgo legitur *ventis*, pro *vectum.* Auctores autem eosdem citat, quos *Athenaeus*, *Panyaſin* et *Phere-*

cydem. Addit tamen *Athenaeus*, ex teſtimonio *Mimnermi*, fuiſſe *lectum aureum*, εὐνὴν χρυσῆν, non autem *poculum*, quo, tanquam nauigio, ſol veheretur; imo, ſi fides habenda auctori *Titanomachiae*, et *Theoclyto* cuidam, *lebetem*, λέβητα. Atque inde repetendum, quod *Alexander Epheſius*, apud *Euſtath.* ad *Dionyſ.* ait, *Herculem* nauigaſſe *Erytheam*, *aeneo lebete:*

Χαλκείῳ δὲ λέβητι μέγαν διενήξατο πόντον.

Et ita *Seruius*, ad Aen. VII. et *Albricus*, XXII. Sed negat *Euphorion* (v. *Athen.* Fragm. *Caſaub.* 782.), et vocat *nauim aeneam;*

Χαλκείῃ ἀκάτῳ βεπληθέος ἐξ Ἐρυθείης.

Niſi, hoc in loco, ἄκατος, poculum ſit, in figuram nauis formatum. Iam planum puto, *Herculeum*, ſingulare aliquod poculum fuiſſe, quo ſemel vſus *Hercules* ſingulari de cauſa; nunquam aucto numero, vt, genus quoddam eſſet vulgo in vſu, poſſentque X. paria horum poculorum dono dari a *Phalaride.* Tantum aberat, vt eſſet vulgare poculum; vt, quemadmodum ſupra vidimus, non dicam, inter ſcriptores, de forma eius, non conſtaret, ſed ne quidem ſciretur, fueritne poculum, nec ne. Noua fortaſſe videbitur ſcriptori Cenſurae haec explicatio *Athenaei*; ſed, veram eſſe, ſibi perſuadebit, vbi ſcriptorem iſtum, quem adeo deſpexit, et contemſit, denuo inſpexerit. Aut, ſi auctoritate, quam ratione, magis moueatur, adeſt *Euſtathius;* qui, deſcripto hoc ipſo *Athenaei* loco, ex eius Epitome puta, tandem ſubiungit; *Vt Herculeum poculum fit id, quod etiam ſolis dicatur*: Διὸ καὶ Ἡράκλειον δέπας λέγεσθαι, τὸ καὶ Ἡλίου. v. *Euſtath.* ad Odyſſ. p. 359.

Simili ratione, Νεςορὶς ab *Atheneo* in numero poculorum ponitur; non eo, quod eſſet genus poculorum, iſtius nominis et formae; ſed erat ſingulare poculum *Neſtoris*, deſcriptum ab *Homero*, Il. Λ. 631.

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιὸς
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, κ. τ. λ.

Diſputatum valde fuit a veteribus grammaticis, de forma huius poculi, quam ex *Homerica* eius deſcriptione animo colligebant; ac varia ſcripta, de hac materia, prodierunt: certo indicio, non fuiſſe vulgarem eius vſum. *Dionyſius Thrax*, grammaticus celebris, apud *Athen.* p. 469. vt, non verbis tantum, ſed re ipſa, poſſet diſcipulis, quae eius forma eſſet, monſtrare; eorum ſumtibus, vnum ex argento faciendum, ad ſuum praeſcriptum, locauit. Hoc, puto, ſcriptorem Cenſurae conuincet, non fuiſſe, tum in vſu, quae dicerentur *Neſtorea* pocula. Ac vero, Ἡράκλειον et Νεςορὶς, verba ſunt,

nunquam audita, nisi ex ore grammaticorum. Propterea, nec *Athenaeus* vllum scriptorem, qui alterutro istorum vteretur, citauit; nec eorum meminit *Pollux*, iis in locis, vbi de *poculis* egit.

At, Heraclea *pocula*, inquiet *Boyleus*, p. 146. edit. II. *nonne numerantur in praeda*, *quam* Verres *secum attulit e* Sicilia *ipsa harum Epistolarum scena?* Verba, IV. in Verr. haec sunt: *Pocula duo quaedam*, *quae* Heraclea *vocantur*. Locum hunc ex Not. *Salmasii*, in *Solinum* sumsit scriptor Censurae; cumque videret, virum summum non probasse vulgatam scripturam, his eum perstringit: Salmasius, inquit, p. 147. *quod nunc legitur*, Heraclea, *non vult; sed, vt verus criticus, sine vlla auctoritate*, *pro eo reponit* Thericlea, Ostendit, ex quo genere criticorum sit ipse, hac sua in *verum* contumelia. Sed quae ista auctoritas est, qua noster ille affirmet, *Salmasium* fecisse id, *sine vlla auctoritate?* Si modo inspexisset editiones *Ciceronis* notissimas; vidisset, in duobus codicibus MSS. esse *Theridia*, et in alio, *et heridia;* quod, qui non omnino in libris veterum hospes est, facile animaduertet, esse pro *Thericlea:* cum, infinitis in locis, *d* positum sit pro *cl*. Quin, ante *Salmasium*, sic iam correctum fuit a *Gulielmo Cantero;* qui, Nou. Lect. v. 28. *Nam*, inquit, *in scriptis quidem libris* Thericlea *se reperisse*, *sunt*, *qui asserunt*. Satis hic auctoritatis, puto, qua fretus, reponas *Thericlea*. Sed omnium grauissimam adfert, quod modo ostendi, non fuisse, quae dicerentur *Heraclea*, pocula. Quae si voluisset *Cicero*, non *Heraclea*, sed *Herculea* appellauisset.

Sed est, apud *Athenaeum*, σκύφος Ἡρακλεωτικὸς (apud *Casaub.* p. 782.) quod, *poculum* Heracleum, *aut* Herculeum, interpretatur scriptor Censurae p. 146. Hoc itaque refellendum; nec id difficile. *Sunt*, inquit *Athenaeus*, p. 500. *qui poculum hoc nominent* Heracleoticum, *ab* Hercule, *qui primus hoc genere vsus est*, *in expeditionibus suis*. Est in eo, vt varias opiniones explicet, falsas licet et absurdas; quemadmodum eorum, qui *Thericlea* pocula nominari putent, a θηρίων vel θῆρας κλονεῖν· qua de re supra. Atque ita istam, de nomine Ἡρακλεωτικὸς, opinionem, quamuis aliena esset ab analogia, exposuit. Satis autem ostendit, opinari se, sic appellari, ab *Heraclea*, ciuitate, vbi eorum officina: atque, eadem de causa, quoque *Boeotica* vocabantur; quia *Boeotiae*, aut ei vicina ciuitas, erat *Heraclea*. Conspiciebatur quidem, in ansis horum poculorum, Ἡράκλειος δεσμὸς, *nodus Herculeus;* nec tamen ista causa nominis: sed tantum, quod *Heracleae*, vbi conficiebantur, et origo, et nomen erat ab *Hercule*. Erat

enim *Heraclea Trachin* (*Athen.* p. 500, et 461.), sita ad radices *Oetae*, vbi concrematus *Hercules*. Haec igitur pocula nominata *Heracleotica*, ab loco, vbi eorum officina; vt, alia *Rhodia*, *Syracusia*, *Chalcidica*, Λυκιεργεῖς. Sic, *Heracleoticae nuces*, *Heracleotici* carabi, ab alia *Heraclea*, ciuitate *Pontica*.

Impetu emendandi represso; dein Scriptor Censurae sententiam mutat, et ad eius, quae nunc est, scripturae defensionem aggreditur. *Thericlem* vixisse temporibus *Aristophanis*, testis *Athenaeus* est: *et is*, inquiebam, *in quaestione historica*, *similiue*, *instar plurimum est*. Ridere haec scriptor Censurae, p. 147. vt puerilibus se iocis expediat. Sed meminerit *Homerici* huius Il. Λ.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων·

vel, quod est in epigramm. *Heracliti*, Anthol. III.

Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι —

Vnus mihi instar triginta millium est; vel dicti *Antimachi*, apud *Cicer.* in Brut. Plato *mihi vnus est instar multorum millium*. Sed, ne, quemadmodum in *Manilium*, *Laertium*, alios, (p. 26, 28, cet.) quod, eos magni a me fieri, putaret, ita in hos scriptores eius ira erumpat, opponam ei *Phalaridis*, *suas delicias* (p. 32.), qui, ad *Epicharmum* quendam, sic, ep. XCVIII. (CII.) *Vnus*, *qualis tu*, *mihi totius instar* Siciliae *est*: Εἷς ἀνὴρ ἐμοὶ τοιοῦτος ἁπάσης ἐστὶ Σικελίας μέτρον.

Proximae duae paginae, completae sunt *ingrata et insulsa* declamatione (verba ipsius sunt in *Dionem Chrysostomum*, scriptorem illo longe meliorem), quod nullos scriptores citet *Athenaeus*, quorum testimoniis *Thericlis* aetatem definiat. In summa, negat, se fidem vllam habere *Athenaeo*, nisi adhibeat aliquem, qui pro se spondeat. Sed vnum inest reliquis subtilius, ex quo intelligas, quanta sit scriptoris Censurae perspicacia. Ait *Athenaeus*, *Thericlem* hunc, iisdem temporibus, quibus *Aristophanem*, vixisse. Negat scriptor Censurae, aliquo certo testimonio, hac de re, ei constitisse: solum nunquam eum legisse, saltem non fuisse tum recordatum scriptoris antiquioris, qui illius meminisset. *Nam*, inquit, p. 149. *obseruandum est* (quin illud obserua, o bone!), *in tot testimoniis*, *quibus hic abundet*, *nullum est*, *quod poetae istius praecedat aetatem*. Quis est tam *Lynceus*, quam noster ille? Quum ad hoc caput aggreditur *Athenaeus*, disertis verbis, hunc *Thericlem* temporibus vixisse *Aristophanis*, affirmat: verumtamen *obseruandum est*, eum, qui, ante tempora *Aristophanis*, illius meminerit, citare neminem. Enimuero, magis, puto, fuisset *obseruandum*, si scriptorem citasset, *Aristophane* priorem.

Fuiſſe enim hoc tam ei, quod modo tradiderat, contrarium, quam, quod ſcriptor Cenſurae, ei, quod *Phalaridis* editor, ait.

Cum autem tam parum apud *Boyleum* valeat *Athenaei* teſtimonium, vt ei, niſi ſit, qui pro eo ſpondeat, nullam habeat fidem; *Eubulum* iſtam, poetam comicum, apud *Athenaeum*, p. 471.

Διένιψα δ' οὐδὲν σκεῦος οὐδεπώποτε·
Καθαρώτερον γὰρ τὸν κέραμον εἰργαζόμην,
Ἢ Θηρικλῆς τὰς κύλικας, ἡνίκ' ἦν νέος.

Opus, inquit, *fictile elegantius confeci, quam, iuuenis cum eſſet*, Thericlis *pocula*. Qui ſermonis et ſtili non rudes ſunt, conſentient mecum, poſtrema, ἡνίκ' ἦν νέος, eſſe ad *Thericlem* referenda; non autem ad eum, qui loquatur; vt male reddidit interpres. Accipio autem, tanquam indicium viuentis tum, cum ageretur haec fabula, *Thericlis;* et quidem ſenis, quique artem deſierit ſuam. Atque haec optima accuratiſſimaque omnium explicatio; quam ideo veriſſimam puto. Nam, ſi *Thericles* longe ante tempora *Eubuli* fuiſſet mortuus (vt *Phalaride* prius fuiſſet); non addidiſſet poeta, *cum eſſet iuuenis*. Quomodo enim tum nouiſſet, *Thericlem* aetate tam grandem fuiſſe, vt artem deſineret, aut ſaltem ipſe non faceret opus, vt verba indicant? Fuit igitur, hac ratione, temporibus *Eubuli*, ſenex *Thericles*, et floruit, illis *Ariſtophanis*, κατὰ τὸν Ἀριστοφάνη. Atque hoc rationibus temporum confirmatur. Nam *Eubulus* vixit, Olymp. CI. media comoedia (v. *Suid.* v. Εὔβουλος): actaque vltima *Ariſtophanis* fabula, *Plutus*, Olymp. XCVII. 4. (ſchol. vet. ad Plut.) decem circiter ante annis. Vt idem florere, temporibus *Ariſtophanis*, *Eubuli*, decrepitus eſſe, potuerit.

Poſtquam primum ſcribere aggreſſus eſt ſcriptor Cenſurae, adeo continuis implicatur erroribus, vt, varietatis cauſa, vellem, ſemel vera eum via inſiſtere. Sed ne quidem vllo me vult officio obſtringere; nam in iis, quae ſubſequuntur, ſtatim in nouum errorem inducitur. Κατασκευάσαι δὲ λέγεται, inquit *Athenaeus*, p. 470. τὴν κύλικα ταύτην Θηρικλῆς, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὸν Ἀριστοφάνη· Thericles, *qui vixit temporibus* Ariſtophanis, *dicitur feciſſe hoc poculorum genus.* Sic ipſe ſcriptor Cenſurae reddidit: obſeruauitque; *Dici* λέγεται, dicitur; *quod ſit dubitantis, cui non perſuaſum de veritate eius, quod dicatur.* Iam, quae cauſa ſit, cur hoc obſeruauerit ſcriptor Cenſurae, dictu difficile eſt. Nam, temporibus *Ariſtophanis* vixiſſe *Thericlem*, definite dixit *Athenaeus;* ſuntque ipſa eius verba, vt a *Boyleo* ſunt conuerſa, teſtimonio. Et hoc quidem eſt, quod teſtimonio *Athenaei* vrgebam; nam, quod ad alteram partem attinet, *Thericlem* inueniſſe pocula, praeter

Athenaeum, decem minimum teſtes ſunt. Quid igitur ei proderit hoc, λέγεται, etiamſi re vera eiusmodi notio dubitandi ei ſubiecta ſit? Sed haec ipſa, quam putat, *dubitatio*, alius error eſt, priori non diſſimilis. Nam, λέγεται, tantum abeſt, vt indicio ſis, teſtis deeſſe, vt, contraria virtute, inprimis eius vſus ſit, cum inter ſcriptores conueniat. Si vnus eſt, qui aliquid affirmet, vulgo exprimi nomen ſolet: ſin autem plures, nec omnes nominari poſſunt, dicitur λέγεται, vel Φασί. Potuiſſet ſane ipſe hic locus, de quo quaeritur, indicio eſſe ſcriptori Cenſurae: nam, poſtquam ſcriptor noſter poſuerat λέγεται, tres teſtes, in ipſa illa cauſa, citat. Sed alius ei ſcriptoris exemplum exhibeo. Λέγεται δὲ, inquit *Laertius*, in Pythag. αὐτοῦ ποτε παραγυμνωθέντος τὸν μηρὸν ὀφθῆναι χρυσοῦν. Dicitur Pythagorae *genu*, *cum nudaretur*, *apparuiſſe aureum*. Cauſa, cur hic ſit λέγεται, cum, aliis in locis, ſcriptores nominentur, non eſt, quod deſunt teſtes, ſed, quod magno ſunt numero; vt opus non ſit, ſingulos nominari. Atque hoc verum eſſe, apparet ex quam plurimis, qui ſuperſunt, ſcriptoribus, qui eandem rem aiant, *Apollonio*, *Plutarcho*, *Luciano*, *Aeliano*, *Porphyrio*, *Iamblicho*, *Ammiano*, *cet.* Rurſus, Λέγεται, inquit *Laertius*, ibid. Dicitur Pythagoras *auctor fuiſſe diſcipulis*, *vt ſingulis diebus*, *domum euntes*, *hunc verſum recitarent*:

Πῆ παρέβην, τίδ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Iam auctores, qui idem aiunt, ſcriptor *Carminum aureorum*, *Cicero*, *Porphyrius*, S. *Hieronymus*, amplo teſtimonio ſunt, λέγεται non inopiam, ſed abundantiam potius teſtimoniorum, indicare.

Dixeram, *Analogiam clare docere*, *quemadmodum ab* Ἡρακλῆς Ἡράκλειος, *a* Σοφοκλῆς, Σοφόκλειος, *cet. ita a* Θηρικλῆς *oriri* Θηρίκλειος. Stirpem veram agnoſcit ſcriptor Cenſurae; argumentum vero ineptum. *Nam alio*, inquit, p. 151. *exemplo experiamur. Vt ab* Ἀπελλῆς Ἀπέλλειος; *ita a* Θαλῆς, *nomine philoſophi*, *oritur* Θάλειος, *virens.* Iam, bona cum venia moroſi noſtri ſcriptoris Cenſurae, hoc *exemplum* nullum eſt. Analogia enim, quam ego dico, non pertinet ad omnia vocabula, in ης cadentia, ſed ad copulata tantum, in κλῆς, a κλέος, *gloria*: vt, praeter nomina, ſupra expreſſa, Βαθυκλῆς, Βαθύκλειος; Ξενοκλῆς, Ξενόκλειος; Διοκλῆς, Διόκλειος; atque ita a Φιλοκλῆς, Λαμπροκλῆς, Θεμιστοκλῆς, *cet.* proficiſcuntur nomina, in κλειος. Iam vnicum modo exemplum protulerit verborum, in κλειος cadentium, cuius haec ratio non ſit; accommodati magis erunt ad rem puerilis ioci,

et, quos hic effutiuit, barbari verſus. Nunc autem, cum ſuis ipſe erroribus illudat, id ſolum agit, vt aliis ludibrio ſit.

Sed, quam velit, definite dicat *Athenaeus, Thericlem* et *Ariſtophanem*, eſſe aequales; ſuis ipſum verbis refellet *Boyleus*. Καὶ μήποτε, inquit *Athenaeus*, p. 470. Ἄλεξις ἐν Ἡσιόνῃ Θηρικλείῳ ποιεῖ τὸν Ἡρακλέα πίνοντα· quod reddit ille: *Nonne* Herculem *inducit* Alexis, *bibentem in poculo* Thericleo? Sed, de vnica hac ſententia, duplex ſcriptoris Cenſurae error eſt. Primum, quis eſſet verborum ordo, non vidit: nam μήποτε, hic, non eſt interrogantis aliquid eo, vt vehementius affirmet; ſed, contra, dubitantis; *Fortaſſe, fieri poteſt, vt* Alexis *inducat*. Diſcere hoc potuiſſet ſcriptor Cenſurae, ex ipſis illis lexicis, quae toties mihi obiicit; aut ex *Budaei* Commentariis, p. 910. vbi ipſius *Athenaei* varia, ad id probandum, citantur loca. Ac ne quidem potuit *Athenaeus* definite dicere, Alexin Thericleum *poculum voluiſſe*: verba enim poetae, vt nunc ſcribuntur, duntaxat haec ſunt:

— — Γενόμενος δ' εὔνους μόλις
Ἤτησε κύλην, καὶ λαβὼν ἑξῆς πυκνὰς Ἕλκει —

Sed rectius legas: — Γενόμενος δ' εὔνους μόλις Ἤτησε κύλικα· *Sed, vix mentis compos factus, calicem petiit*. De ἔννους, confirmatur coniectura ipſis verbis, γενόμενος et μόλις: nam ſic *Plutarchus*: Τότε δὲ ἔννους γενόμενος· et alius, apud *Suidam*, v. Ἔννους· Ὕστερον ἔννους ἐγένετο. Atque vltima ſyllaba vocis, κύλικα, omiſſa, quod καὶ ſequebatur. Haec de emendatione. Non autem potuit, inquiebam, *definite* dicere *Athenaeus*: nam res tota pendet a voce, κύλικα. *Alexis*, inquit, *Herculem* inducit, in *calice* bibentem; et fortaſſe ad *Thericleum* reſpicit. Ὅτι δὲ κύλιξ ἐστὶ Θηρίκλειος, σαφῶς παρίστησι Θεόφραστος· *Nam*, Thericleum *eſſe* calicem *declarat* Theophraſtus. Verba ſunt, proxime ſequentia; atque haec vera ſententia, verbis iſtis ſubiecta.

Sed, *Si*, inquit *Boyleus*, p. 152. *exiſtimare* Athenaeus *potuit*, Herculem, cum *poculo* Thericleo, *inductum in ſcenam; non potuit non exiſtimare, poculum* Thericleum *aeque antiquum eſſe, atque* Herculem; *quod niſi eſſet, abſurdum illud fuiſſet et ridiculum*. Habes alterum errorem ſcriptoris Cenſurae; nam pulchre nouerat *Athenaeus*, comicos *Graecos* noluiſſe, adeo obſtrictos teneri rationibus temporum. Fuerunt fortaſſe ſexcenta ei exempla huius generis in promtu, quibus nunc caremus. Supereſt tamen, quantum ſufficit, exemplorum, quo ſcriptorem Cenſurae temeritatis, in reprehendendo tanto ſcriptore, arguas. In fabula *Anaxandridae*, cui nomen *Hercules* (quod is primas in ſcena partes agebat), *Argas* commemoratur, mu-

ficus, qui vixit tempore actae fabulae. v. *Athenaeus*, p. 638. Ab eodem poeta, in alia fabula, cui nomen *Protesilaus*, ab heroe, quem interfecit *Hector* (*Athen.* 131.), idem ille *Argas*, *Antigenidas*, *Cephisodorusque*, tres mufici, commemorantur; praeterea *Iphicrates*, dux *Athenienfis*, et *Cotys*, rex *Thraciae*; qui temporibus poetae vixerunt omnes. Inducit, in fabula, *Sappho*, *Diphilus*, poeta comicus, *Archilochum* et *Hipponactem*, vt iftius mulieris amatores; licet alter, ante eam natam, diem obierit; et, ante natum alterum, ipfa. v. *Athen.* 599. Quin, in *Lino* (*Athen.* 164.), ipfe *Alexis Linum* inducit, inftituentem *Herculem*, eique optionem facientem, vt, quem velit, eligat, librorum; *Orphei*, *Hefiodi*, *Tragicorum*, *Choerili*, *Homeri*, *Epicharmi*, et cuiuscunque modi aliorum:

Ὀρφεὺς ἔνεστιν, Ἡσίοδος, Τραγῳδία,
Χοίριλος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος, Συγγράμματα
Παντοδαπά —

Eligit autem *Hercules* librum *Simonis* cuiusdam, *de Re Coquinaria*. Numquid exemplum accommodatum magis ad refellendum fcriptorem Cenfurae? Eft idem poeta, *Alexis*; eundem inducit, *Herculem*, in manibus habentem *Epicharmum*: ot cur non, eodem iure, inducere eum potuit, in manibus habentem poculum *Thericleum*?

Sed, etiamfi nulla exftarent exempla, quibus pateret, comicos *Graecos* hac vfos libertate; defendi tamen poffet *Athenaeus* ab iniuriis fcriptoris Cenfurae. Nam oblitus eft, deum fuiffe *Herculem*, atque adeo, ex poetae, de diis, fententia, ipfis temporibus *Thericlis*, cibo vfum et potu. Nonne varia templa *Herculi* exftructa? non pocula faepe diis dicata? Imo ipfa *Thericlea* verbis exprimuntur, vt dona, in arce *Athenarum* confecrata. v. *Polemon*, apud *Athen.* p. 472. Potuerunt itaque plura *Thericlea*, inter vafa *Herculis*, effe. Quod enim donum accommodatius deo tam ebriofo, quam *Thericleum*, genus poculorum in primis amplum, nonnullis feptem amplius *cotylas* capientibus? v. *Athen.* 472.

Imo, fuerit heros tantum *Hercules*; non autem deus; potuerunt ipfi quoque heroes induci, bibentes in poculis *Thericleis*. Nam iis etiam fua fuerunt templa, fua dona ipfis dedicata, tempusque terebatur iucundiffime, edendo et bibendo; et malorum, quorum auctores habebantur (nam, litigiofos effe, et noxios, opinio ferebat), caufa repeti ab eo folebat, quod toties effent ebrii. v. *Athen.* 46. *Zenob.* Οἱ γὰρ ἥρωες κακοῦν ἕτοιμοι, μᾶλλον ἢ εὐεργετεῖν. Vnus vero omnium maxime vino deditus *Hercules*. v. *Macrob.* Saturn. v. 21.

Vt vulgo eum pingerent pictores, manu poculum tenentem, nonnunquam etiam vacillantem, titubantemque.

Sed est amplius, quod *Athenaeo* obiicit scriptor Censurae. Dixerat is, *Thericlem* fuisse figulum *Corinthium*; sed, suis ipsius verbis (quae, ne intelligeret *Athenaeus*, eius stupor erat), probabit *Boyleus*, p. 153. fuisse *Atheniensem* figulum; si modo eius inuentum sit. *Lynceus Samius*, apud *Athen.* p. 469. ait, Ῥοδίους ἀντιδημιουργήσασθαι τὰς Ἡδυποτίδας πρὸς τὰς Ἀθήνησι Θηρικλείους. Rhodios *fecisse genus poculorum, quae dicerentur* Ἡδυποτίδες, *similitudine ducta a* Thericleis, *quorum officina* Athenis. Sic reddidit *Boyleus*, sed, vt solet, male. Nam ἀντιδημιουργήσασθαι non est, opus facere *ad similitudinem*, sed, *quod contra opponatur*. Quid est autem, quod hinc cogat? *Athenis* esse inuenta *Thericlea* pocula? Sed id in verbis non inest, sed solum, fuisse *Athenis* frequentem eorum vsum, cum haec scriberet *Lynceus*; id est, centum inde a morte *Thericlis* annis. Iam potuerunt *Corinthi* esse inuenta pocula; dein autem, cum *Athenis* increbresceret eorum vsus, maiori arte ibi facta, atque sic habita opus *Atheniensium*. Fac autem, inuenta *Athenis*; num *Thericles* idcirco *Atheniensis*? Precaria certe conclusio. Nam natus esse *Corinthi* potuit, verumtamen viuere *Athenis*. Nam dimidia fere pars incolarum, aduenae; et ii plerumque opifices. v. *Xenophon*, Περὶ Πόρων· *Plutarch.* Solon. Γενέσθαι πολίταις οὐ δίδωσι πλὴν τοῖς Φεύγουσιν ἀειφυγίᾳ τὴν ἑαυτῶν, ἢ πανεστίοις Ἀθήναζε μετοικιζομένοις ἐπὶ τέχνῃ. Temporibus *Demetrii Phalerei* (*Athen.* p. 472.), cum ciuium essent XXI. millia, μετοίκων, *inquilinorum*, X. millia erant. Vbi nunc ista *repugnantia* et *perturbata*, quae *Athenaeo* vitio vertit scriptor Censurae (p. 154.)? *Nonne erat, cur is diceret, praecipuam vim naturamque ostentationis scientiae (of Pedantry) in pruritu contradicendi viris summis, futilibus de causis positam esse?*

Insectatur vltro scriptor Censurae, locoque instat; et, modo concessum fuerit, *Thericlem* fuisse *Atheniensem*, exitum valde inopinatum reperit Epistolis. „Nam (p. 153.) tum fortasse „*Thericles* hic, non figulus, sed magistratus *Atheniensis*, cui id „nominis, Olymp. LXI. 4. ac fieri potuit, vt pocula ab illo „nominarentur, quod primus iis esset vsus, quemadmodum „Ἀντιγονίδαι, Σελευκίδαι, de quibus *Plutarchus.* ab *Antigono*, „et *Seleuco*; qui istis generibus delectabantur. Tum autem, si „vixit *Phalaris* vsque ad Olymp. LXXII. 3. (vt *Dodwellus* vult) „fieri potest, vt epistolae verae sint; hac enim ratione fieri po„tuit, vt pocula *Thericlea* dicerentur, XL. amplius, ante *Pha„laridis* mortem, annis."

Quod numero figmenta, ferie continua, hic affumuntur? Si *Thericles Atheniensis*, quem, idonei fcriptoris teftimonio conftat, non fuiffe; *fieri potuit, vt non effet opifex, fed magiftratus;* licet decem non minus teftes fint, qui difertis verbis aiant, fuiffe opificem, *Plinius, Hefychius, Lucianus, Etymolog M.* Scholion in *Clement. Alex. Pollux, Athenaeus, Cleanthes, Theopompus, Eubulus;* et ne vnus quidem, qui iis contradicat. Fac autem, fuiffe magiftratum; *tum finge, veram effe* Dodwelli *opinionem:* fed iam vidimus, ex quo genere ea effet; et ftat adhuc *Eufebii* ratio, quam quae firmiffime. Quam vacillans, et ab omni parte claudicans, ratiocinatio? Sed ineft aliud, magis etiam putidum, quod, nefcias, ridendumne, an miferandum fit magis; vitiofum illud, et barbare expreffum, Ἀντιγονίδαι et Σελευκίδαι. Verba *Plutarchi*, in Differtatione mea, citata, funt; Οἵ τε τὰς Ἀντιγονίδας καὶ Σελευκίδας καὶ Θηρικλείους ἐπιδεικνύμενοι· atque a fcriptore Cenfurae, in primo cafu, efferuntur Ἀντιγονίδαι et Σελευκίδαι (in vtraque editioni); quafi fint, ab Ἀντιγονίδης et Σελευκίδης· Qui cum *Boyleo* difputationem ingreditur, hunc, oportet, ludimagiftri officio fungi, et docere eum nominum declinationes. Neque enim, Ἀντιγονίδαι et Σελευκίδαι nominabantur pocula, fed, Ἀντιγονίδες et Σελευκίδες, ab Ἀντιγονὶς et Σελευκίς. *Clemens Alex.* Paedag. p. 69. Θηρίκλειοι κύλικες καὶ Ἀντιγονίδες· *Pollux*, VI. 26. Σελευκίδα καὶ Ῥοδιάδα· v. *Hefych.* in Σελευκίς. Huius vero fcriptoris ftilus nonne metuendus, et quafi horribile flagellum *Scaligeris* et *Salmafiis* eft? Optandum eft, minus temere eum pofthac illufurum lexicis: quorum vnoquoque, in hac caufa, vti cum fructu potuiffet.

Tandem, ne quid intentatum relinquat, hoc in loco, caufa *Siculi* fui *principis*, lectorem monet, hoc et reliqua, e temporibus ducta, argumenta tantum ad priuas, vnde fumta fint, epiftolas pertinere. Vt, fi compertum fit, iftas epiftolas, effe commenticias, fieri poffit nihilominus, vt, *in fui folatium*, reliquae verae fint. Quis eft, qui his non commoueatur? quis, qui ab animo fuo poffit impetrare, vt hoc eum *folatio* priuet? Ego quidem, quem *fingulari humanitate* virum dicit, hanc quaeftionem in alium locum, donec libro finem fecerim, reiiciam, atque eum, quoad volet, habere hoc folatium, fuam.

Sic iam, explicata fua eruditione, occafionem captat, exemplo aliquo, oftendi lectoribus, qua fit natura. *Affeuerat iis*, p. 156. *me, quidquid eruditionis, in hac quaeftione, de poculis* Thericleis, *infit, id* OMNE *non aliunde fumfiffe, nifi e lexicis meis, et, ad quas illis reiicerer, notis* Cafauboni. Atque hoc, in priore editione; in pofteriore vero, aperit, partem aliquam

Salmasio me debere. Vt illic (p. 156. II. edit.) assueret, *me, quidquid eruditionis insit, id* OMNE FERE sumsisse e lexicis meis, et *Casauboni* notis. Fatebitur sine dubio lector, *belle assueverari* a scriptore Censurae, quum audeat contraria et inter se pugnantia *asseverare*. Qui hac via accusat, sibimet ipse respondet. Verumtamen, cum ita comparata res sit, vt habeam, quod opponam; hunc ei honorem habeo, vt respondeam, me aliquam partem debere *Salmasio*. *Nego;* nec enim tum sciebam, de ea re egisse *Salmasium*. *Casauboni* notas vidi, quas quoque lector videat, velim; vt possit, quo ingenio scriptor Censurae sit, videre. Praecipua pars eius, quod, de hoc capite, dixi, versatur in refellendo *Casaubono*. Ac, puto, ex notis *Casauboni* sumsi, quo refelli posset ipse. Vellem, id a me vere assumi posse: hoc enim maior commendatio esset. Quod si tandem haec pars eruditionis tam est obuia, vt, quemadmodum *Boyleus* ait, *eam non aliunde sumserim, nisi e lexicis;* hoc ei maiori vituperationi est, quod, cum ederetur *Phalaris*, rem, tam omnibus expositam, ignoraret: nam nunquam bene vertit nomen, Θηρίκλεια; nec, quae esset eius causa, cognouisse videtur.

Nunc autem incitatione vehementiori inflammatur; p. 156. 157. *Inuehor ego in* Casaubonum, *contra communia grati animi officia, contra communem hominum sensum, contra veritatem, contra id, quod decent, contra rationem.* Causa clamorum haec est: Conatus fuerat *Casaubonus* verba *Athenaei* corrigere, et, pro σπένδοντα, reponere σπεύδοντα. Sed, in Dissertatione mea, plane ostendi, errasse virum summum; nec quidquam contra scriptor Censurae, quo eius correctionem defenderet. Quid est ergo, quo adeo sit incensus? Obseruauerat *Casaubonus*, in Excerp. MS. *Athenaei* legi σπεύδοντα; *sed, dubium non est*, inquiebam ego, *quin error solum sit istius exemplaris, quo fuerit vsus* Casaubonus. Eustathius *enim, qui ipsum* Athenaeum *nunquam vidit, sed ista tantum Excerpta*, σπένδοντα *legit*. Hic, scriptoris Censurae iratus animus turgescere, ac tumere totus: Legas, obsecro, lector, paginas libri eius, 157, 158, 159. videbis vero exemplar morum et vitae; qua tamen cunque incessit, vbique errauit.

Constat, inquit, Eustathium *vidisse ipsum* Athenaeum: *ideoque* Casaubonus *solum ait*, p. 2. *eum* SAEPE vti Epitome. *Nec prae se ferret* Bentleius, *se eam vidisse aliquando; nec enim adhuc typis descripta est: vt de re loquatur, quam omnino nesciat, nec scire possit, nisi ex* Casaubono, *et tamen contraria illis* Casauboni *dicere audet*. Vt scriptoris Censurae confidentiam et temeritatem aliquantum coerceam; Primum, illud ipsum

exemplum Excerptorum, quo vſus eſt *Caſaubonus*, poſſeſſor, eo mortuo, ſtatim cum variis aliis libris coemtum eſt, et repoſitum in bibliothecam regiam: ac tum librum in manibus habebam, et recens inſpexeram (legat hoc, ſi poſſit, ſcriptor Cenſurae, ſine pudore), cum haec verba Diſſertationis ſcriberem meae. Nam, cum ex iis exemplis, quae collegerat *Caſaubonus*, coniecturam facerem, *Euſtathium* ſolum fuiſſe vſum Excerptis *Athenaei*, non autem ipſo *Athenaeo*, centum circiter loca contuli *Euſtathii*, ac ſemper vidi, ſumta eſſe ex Excerptis, nunquam autem ex ipſo opere ſcriptoris. Nonne igitur erat, cur dicerem, Euſtathium *nunquam ipſum* Athenaeum *vidiſſe?* Vel dimidia pars exemplorum ſuffeciſſet ſcriptori Cenſurae, vt confidenter affirmaret, *certo* nunquam eum vidiſſe.

Nam, ſine vllo fundamento, contrarium definit, licet *res ſit, quam omnino neſciat. Conſtat*, inquit, Euſtathium *vidiſſe ipſum* Athenaeum. Quid ita? Quae eſt iſta aſſeueratio? Quod *Caſaubonus* ait, SAEPE *vſum Epitome.* Lepidam concluſionem! Quod *ſaepe* vritur. Epitome; *aliquando* vtitur ipſo *Athenaeo.* Si ſic ratiocinari ex noua ſua dialectica diſcat ille, veteri equidem contentus ero. Contulit varia loca *Euſtathii Caſaubonus*, vbi is *Athenaeum* citat: et prudenter monet, vti *ſaepe Epitome;* quod forraſſe aut otium deerat, aut amplius inquirere nolebat. Poſtea longe plura loca *Euſtathii* excutio ego; et video, vbique eum vſum *Excerptis.* Vtrumque a nobis dictum vere, et cohaeret. Ait tamen ſcriptor Cenſurae, me *contraria illis* Caſauboni *dicere* (p. 157.). Sed auctor ei ſum, denuo relegat dialecticam ſuam, quo ſciat, quaenam contraria dicuntur.

Sed dixeram, *Errorem ſolum eſſe iſtius exempli Excerptorum, quo eſſet vſus* Caſaubonus. Cum dicebam *errorem ſolum*, cogitabam, *eſſe ſolum errorem;* nihil aliud, atque vitium librariorum, literarum elementis male ſcriptis. Ad haec, ſcriptor Cenſurae arguit, quaſi dixiſſem, *Errorem eſſe in iſto ſolum exemplari:* et mox ad id, quod ſolet, genus ſcribendi delabitur. Iam haec verborum conſtructio aeque apta eſt, ac ſi ipſius verba, in hac ipſa pagina, 157. *Ideoque* Caſaubonus *ſolum ait*, Euſthathium, *cet.* interpreteris, Caſaubonum dicere, Euſtathium *ſolum, cet.* Quod falſum eſt. Sed, cum ad tot tantosque errores, quos ſupra vidimus, ſcriptoris Cenſurae, leuior aliquis accedat, de verborum conſtructione, ei ignoſci facile poteſt.

Porro ſcriptor Cenſurae, p. 158. *veniam a lectore petit, quod aliquantum digreditur a propoſito:* ſed aut fallor, aut difficulter ſibimet ipſe *veniam* dabit. In Diſſertatione, ad *Ioan. Antioch.* p. 26. noua quaedam in medium protuleram, de numeris *anapaeſti.* Antea opinio ſtabat, cuiusque verſus vltimam ſyllabam

esse communem, idque tam *anapaesti*, quam, quod notum est, *hexametrorum*, aliorumque. Vt, qui posterioribus hisce saeculis carmina fecerunt, saepe *tribrachi*, vel *trochaeo*, vel *cretico*, *anapaestos* terminauerint; aut versum concluserint, vel vocali, vel litera M, cum in subsequentis initio esset, vel vocalis, vel H. Quorum quodque vitiosum: neque enim haec licentia olim data scribentibus *anapaestos*; sed continuabantur *anapaesti*, vel pares *anapaesto* pedes, vsque ad versum illum, qui dicebatur *paroemiacus*, quasi vnicus esset versus. Hanc dicebam communem *Graecorum* poetarum regulam; nec ipse *Seneca*, tragicus (vt pateat, huius eum regulae, quam nunc aperui, conscium fuisse), vnquam *cretico anapaestos* terminauit, vt *Buchananus*, *Scaliger*, *Grotius*, *cet.* solent; licet, *trochaeo* aliquando, sed id etiam *semel tantum atque iterum*, nec nisi finita verbis sententia. Confitebitur vel ipsa Inuidia, si, quod detexerim, verum sit, id non parui esse momenti. Equidem mihi persuadeo, si ante, quam carmina sua edidissent *Buchananus*, et reliqui, esset inventus, qui id patefaceret, eum summam ab illis gratiam fuisse initurum, quod, praecauisset, ne in iis offenderent. Sed vide, quod fatum eos circumstet, qui noua aperiunt. Prodit tandem doctissimus *Boyleus*, ac doctis, qui, octo nouemue abhinc annos, fidem mihi habuerant, affirmat: *Nihil falsum esse magis, aut plenum errore, posse, quam id, quod affirmauerim ego.* Diceres, eum, qui tam audacter loquatur, idque *ore tam confidente* (p. 158.), non posse non *certo cognitum habere*, *quod aiat*. Num autem ea hic causa scriptoris Censurae? Num *digressus est a proposito*, certis verisque vestigiis? De hoc iudicabit mox lector: Sed non possum, quin ante palam ei praedicem, me nonnihil indignari, quod memet occupatum sentiam, in rebus tam futilibus, quas in medium protulerit, refellendis.

Quid est, inquit, p. 159. *quod* Grotiis *et* Scaligeris, *quibus viris? opponere, sine vlla ratione, audeas? Solent* Graeci *tragici terminare* trochaeo *vel* tribrachi anapaestos: *idque factum a* Seneca *quadraginta aut quinquaginta minimum in locis*, *sententia etiam verbis non finita.* Exempla, quibus nititur, quinque sunt, ex *Aeschylo*, et, pari numero, e *Seneca*. Primum, quod ex *Aeschylo* depromsit, est, Prom. v. 122.

Τὴν Διὸς αὐλὴν εἰσοιχνεῦσι
Διὰ τὴν λίαν — . —

et, huic simile, quartum, v. 565.

Τὸν δὲ χαλινοῖς ἐν πετρίνοισι
Χειμαζόμενον — · —

Cadunt hi duo verſus, vt opinatur ſcriptor Cenſurae, in *trochaeos*, vltima litera breui. Ac, puto, aliquis, *Boyleo* longe indoctior, cognouiſſet, σι hic eſſe longam poſſe, addita ei ν, ante conſonantem, vt ſolent poetae; εἰσοιχεῦσιν, πετρίνοισιν. Didiciſſet id, ex hac etiam, quam citat, fabula, *Boyleus*, v. 1 3.

'Επαοιδαῖσι θέλξει στερεάς.

vel e Supplic. 36.

'Ομβροφόροισί τ' ἀνέμοις ἀγρίας·

vel *Ariſtophan.* Plut.

'Αλσὶ διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί·

et, Nub.

'Ιατρὸς ὢν καὶ μάντις ὥς φασὶ σοφός.

In quibus locis omnibus, et centenis aliis, ſyllaba σι longa eſt, quaſi ſit expreſſum, ἐπαοιδαῖσιν, ὀμβροφόροισιν, ἀλσὶν, et φασίν. Et haec quidem in mediis verſibus omnia; ne quid excipiat ſcriptor Cenſurae, ſi in extremis *anapaeſtis* ſint.

Sed melius fortaſſe ceciderit, quod, ſecundo loco, profert ex *Aeſchylo*; Prom. 191.

Εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητα
Σπεύδων —

Hunc quoque verſum terminari *trochaeo*, putat, quia τα, ſyllaba breuis eſt. Sed doctiſſimo Cenſurae ſcriptori dico, τα, in hoc loco, ſyllabam eſſe longam, quod ſubſequens verbum, σπεύδων, a duplici conſonante incipiat. Nihil hoc frequentius; vt exemplis, ex ipſo *Aeſchylo* petitis, probabo, et id quidem in mediis *anapaeſtis*:

Πῆμα ξενάχω πῆ ποτε μόχθων.
Γένος ὠλέσατε πρυμνόθεν αὖθις.
Οὓς περὶ πᾶσα χθὼν 'Ασιῆτις.
'Αλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί.

v. Prom. v. 99. Sept. Theb. 1064. Perſ. 61. 630. Nonne πῆμα, ὠλέσατε, πᾶσα, et ἀλλὰ, in longam ſyllabam cadunt, quia duae conſonantes ſubſequuntur? Num quoque *Virgilii* oblitus eſt ſui ſcriptor Cenſurae?

Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.
Aeſtusque; pluuiasque, et agentes frigora ventos.
Ferte citi flammam, date tela, ſcandite muros.

Aliud, ex *Aeſchylo*, eſt, Prom. 1084.

— Στρόμβοι δὲ κόνιν
Εἱλίσσουσι —

Vbi *tribrachi* terminari verſum, putat, νιν, in voce κόνιν, breui. Sed dico, *anapaeſtum* eſſe, et poteſt vltima vocis κόνιν ſyllaba, eſſe longa. Sic *Homerus:*

Εὗρον ἔπειτ' Ὀδυσῆα Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον.

Τῶν ἄρ' Ὀδυσσεὺς ἦρχε Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος.

et *Ariftophan.* in Auib.

Ὁπότ' ἐξέλθοι Πρίαμός τις ἔχων ὄρνιν ἐν τοῖσι τραγῳδοῖς

Nunc, quod reliquum eft, ex *Aefchylo* fumtum, exemplum videamus, Prom. v. 156.

Νῦν δ' αἰθέριον κίνυγμ' ὁ τάλας.

Etiam hic *tribrachin* effe, cenfet; tam enim eft in poetis *Graecis* verfatus, vt vltimam fyllabam vocis τάλας breuem habeat. Quid itaque huic eiusdem poetae *anapaefto* fiet? Sept. Theb. 1071.

Τεύξῃ κεῖνος δ' ὁ τάλας ἄγεος,

Numquid, in medio, aeque atque extremo, verfu, *tribrachi* locus? Quid his *Euripidis?* Hippol.

Καὶ μὴν ὁ τάλας ὅδε δὴ στείχει.

Ἀπόλωλα τάλας, οἴμοι, οἴμοι.

Quid his *iambis*, ex eadem fabula?

Οὐ τλητὸν, οὐδὲ λεκτὸν ὦ τάλας ἐγώ.

Ἄρηρεν ὡς ἔοικεν ὦ τάλας ἐγώ.

Aut his, ex *Sophoclis* Philoct. Antigon. Oed. Tyr. et Aiac.

Οἴμοι τάλας ἀλλ' ἔχ ὁ Τυδέως γόνος.

Ἴησι δυσθρήνητον ὦ τάλας ἐγώ.

Οἴμοι τάλας ἔοικ' ἐμαυτὸν εἰς ἀρὰς.

Ὡς ὧδ' ἐχόντων, ὦ τάλας ἐγὼ τάλας.

Vix, puto, fabula eft, fiue comoedia, fiue tragoedia, ex qua non aliquod exemplum peti, contra fcriptorem Cenfurae, poffit. Sed promat, fi poffit, ille, aut *eius adiutor*, *qui pro eo quaefiuit*, vnicum modo, vbi λας, in τάλας, fyllaba fit breuis. Quid ergo cum animo fuo cogitauit, cum haec fcriberet? Meminerit forte illius *Theocriti*, id. II.

Ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφ' ὦ τάλας οὐδέποθ' ἥκει·

Nam illic breuis eft. Sed, quae eius, in *Graecis* literis, peritia eft, nouiffet, effe *Doricum*, nec, vt exemplum, valere, vbi non fit iftius linguae rationibus locus. Nam etiam, in quarto cafu pluralis numeri, ας breuis eft *Doribus:* vt ex eodem *Theocrito*, id. III. apparet:

Βόσκονται κατ' ὄρος, καὶ ὁ Τίτυρος αὐτὰς ἐλαύνει.

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας.

Vidimus iam omnia exempla, quae e poetis *Graecis* depromfit fcriptor Cenfurae: ac fateor, cum ad ea retro conuertam oculos, obftupefcere me temerarii audaciam fcriptoris; qui, cum horum ftudiorum plane effet imperitus, fine vlla neceffitate, in res, tam remotas a fua intelligentia, fe interpofuit. Deflexit, vt ait, *de via*, vt quaereret, in quo poffet

offendere: qua quidem digressione minime opus erat; nam nulla temere pagina est, in qua, etiamsi firmissime insistat proposito, non offendat. Quid tandem erat, quo, ad iudicium suum, de *anapaestis Graecis*, interponendum, prouocaretur is, qui ostenderat, ne quidem sibi constare; de numeris versus *iambici Latini*. Reddiderit duo versus *Graecos*, in ep. *Phalaridis* sui LXXXI. (CXIV.) sic:

Multo videtur satius, timentem nihil
Futura fata, quam timentem, perpeti.

Prior quorum vacillat, et auctoris prodit scientiam; qui, nisi omnino ignorasset, claudicare versum, aliud, quod sumeret, in promtu habuisset verbum, *metuentem*.

Quum autem male cesserit scriptori Censurae, quod, in *Aeschylo*, tentauit, nec eo contentus sit, ad existimationem suae in poetis peritiae imminuendam, quidquid de ea reliquum est, id omne perdere velle videtur, cum iudicis personam agat, in Tragoediis *Senecae* (p. 159.). Orditur a loco, in Agamemn. 337.

—— *Trucibus monstris*
Stetit imposita
Pelion Ossa: pinifer ambos
Pressit Olympus.

Hoc in medium adfert, vt probet, *tribrachi* posse terminari *anapaestum*: vnde intelligas, existimasse eum, *imposita*, hic, vltima syllaba breui esse; vt, ex *Boylei* sententia, de verborum constructione, *imposita Ossa* sit, in casu primo, positum. Iam vnum hoc mihi peto; vt, nisi sit aliquod mysterium, efferat, quo ordine construat haec verba. Num, *Ossa imposita stetit Pelion?* Sed valde rarum *stetit*, cum nomine, in quarto casu. An, *Ossa stetit imposita Pelion?* Sed *imposita*, ante nomen, in quarto casu, rarius etiam altero. Praeterea, si *tribrachis*, *imposita*, in extremo versu; *Ossa*, *trochaeus* est, in medio; quod non tantum pugnat cum iis, qnae aperui, de *anapaestis*, sed cum omnibus, quae vnquam tradita sunt. Sed ex hoc loco fortasse coniecturam aliquis fecerit, esse *Boyleo* peculiarem aeque *grammaticam*, atque *dialecticam*. Quam primum eam diuulgauerit, ad discendum ero paratus. Interea temporis, *imposita*, vt, ante eum, omnes, accipio, in casu sexto, *Stetit impositâ Pelion Ossâ* — Iam fere XVI. saecula sunt, quum primum haec edebantur, et vix credi potest, tam praepostere vnquam ante verba fuisse constructa, nisi fortasse in infimo ordine ludi cuiusdam literarii.

E quatuor locis reliquis, quae, tanquam *Senecae*, citat, tria non minus sumta sunt ex *Hercule Oetaeo*, quae fabula *Se-*

necae non eſt, quemadmodum, octoginta abhinc annis, iam probauit doctiſſimus ille *Daniel Heinſius:* vt hoc, tanquam vnum de meis paradoxis, pro more ſuo, explodere non poſſit ſcriptor Cenſurae. *Vnicum* itaque reſtat exemplum, e *Senecae Medea*, ad refutandum id, quod aio, *ſemel atque iterum* fieri. Lepidum vero aduerſarium! Veruntamen hoc ei dico, etiamſi ſex exempla protuliſſet, et omnia bona illa, eum nihil aliud oſtenſurum fuiſſe, niſi, quam eſſet animo ad calumniandum propenſo. Nam, *ſemel atque iterum,* ἅπαξ καὶ δὶς, non ſpeciatim *bis* valet: ſed ſaepe *raro:* vt δὶς καὶ τρὶς *bis terque, iterum atque tertium*, non *ter* ſolum, ſed *ſaepe. Decies* itaque poteſt eſſe *raro*, quum numerus, ad quem pertinet, aliquot centenis, vel millenis terminatur.

Secutus nunc ſum veſtigia ſcriptoris Cenſurae, *cum digreſſus eſt a propoſito:* ipſe autem, vbi otium erit, cogitabit, quantum ex hac digreſſione in ſe laudis redundauerit. Videtur ille, vna cum *fido* ſuo *Achate*, quidquid vnquam ediderim ego, id omne excuſſiſſe; ſelegitque hunc locum, vt maxime omnium telis expoſitum ſuis. Et, cum triumphus videretur dignus digreſſione, quo eum conſequeretur, de via declinauit. Sed cum maxime, puto, intelliget, *non* (p. 160.) *poſſe* VNVMQVEMQVE, *ſi modo oculos in* Senecam *et* Graecos *tragicos coniecerit*, *refellere* Bentleium.

Is, qui non ſolum *oculos coniecit* in libros, de quibus vult diſſerere, ſed etiam diligenter eos legit, in medium adferre varia exempla potuiſſet *anapaeſtorum*, qui cadere in *trochaeum*, vel *tribrachin*, vel *creticum*, viderentur. Hoc etſi pulchre noveram, cum, quae erant a me obſeruata, aperiebam; lectorem tamen eius non admonebam, ſed totum, quodcunque erat, iudicandum ei relinquebam; ratus, ſi quando perpenderet eiusmodi exempla, ipſummet aptum futurum, ad rationem illorum reddendam. Quoniam vero palam oppugnata ſunt ea, quae diſputaueram; vt ne quis arbitretur, non veritatem, ſed eius, qui oppugnauerit, infirmitatem effeciſſe, ne euerterentur, ſingula, quae quidem, in *Graecis* tragicis, *Ariſtophane*, et *Seneca*, inuenero, illis contraria, in medium proferam; et oſtendam, eſſe omnia corrupta a librariis. Eritque ſingulorum facilis et promta correctio demonſtrationis inſtar cordato lectori, non poſſe non eſſe vera, quae diſſeruerim.

Primum, *cretico* terminatur verſus *Aeſchyli*, in Prom. 279.

Καὶ νῦν ἐλαφρῷ ποδὶ κραιπνόσσυτον
Θῶκον προλιποῦσ' ——

Quae ſcriptura ſi rata habetur, argumento contra me eſt, vltimam ſyllabam eſſe communem. Sed corrigendum, κραι-

πνόσυτον, cum fimplici σ; ac tum *anapaeftus* erit. Vtuntur, aut fimplici, aut duplici, confonante poetae, prout numerus poftulat. *Hefychius*; Αὐτόσυτος, αὐτοκέλευςος· Σοφοκλῆς. Σκυρίοις.

Dein, *Aefchyl.* Eumen. 1008.

Πρὸς φῶς ἱερὸν τῶνδε προπομπὸν
Ἴτε, καὶ σφαγίων τῶν δ' ὑπὸ σεμνῶν
Κατὰ γῆς σύμεναι, τὸ μὲν ἀτήριον
Χώρας κατέχειν ——

Primus horum verfuum in *trochaeum* cadit, tertius in *creticum*; vtrumque contrarium ei, quod volebam. Sed, in primo, legendum προπομπῶν, quemadmodum, ex verborum fententia, coniecerat *Stanleius*, vir doctus; quodque confirmat nunc numerus. In tertio autem, pro ἀτήριον, repono ἀτηρὸν, quod eiusdem virtutis, et altero vfitatius: ipfe *Aefchyl. Prometh.* 745. fic:

Δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης.

Tertius locus *Sophoclis* eft, Electr. 102.

Σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐριννύες
Τὰς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε.

Rurfus *cretico* terminatum priorem verfum habes: Sed *dactylus* erit, fi, quemadmodum par eft, fine τὰς legetur;

Ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε.

Verfus eft *paroemiacus*, quae femper *anapaeftorum* claufula; vbi *trochaeo*, qui eft in ὁρᾶτε, aptus locus.

Tum, in *Sophoclis* Antig. 129.

Ὑπερεχθαίρει καὶ σφᾶς εἰσιδών·

Creticus, εἰσιδὼν, culpa librarii fcriptus eft, pro *anapaefto*, ἐσιδών.

Praeterea, in *Sophoclis* Philoctete, extr.

Χωρῶμεν νῦν πάντες ἀολλέες
Νύμφαις ἁλίαισιν ἐπευξάμενοι·

Creticus in formam *fpondaei* conuertetur, facili vocabuli, ἀολλέες, in ἀολλεῖς, mutatione, quae vera fcriptura eft.

Adhaec, in *Euripidis* Med. 1087.

Παῦρον δὴ γένος ἐν πολλαῖσιν
Εὕροις ἂν ἴσως —

Eft *trochaeus* in extremo verfu; fed, fi corrigemus, πολλαῖσίν γ', erit *fpondaeus*, vt oportet.

Tum, ibid. 1103.

Ἔτι δ' ἐκ τούτων, εἴτ' ἐπὶ φλαύροις,
Εἴτ' ἐπὶ χρηστοῖς μοχθοῦσι, τόδε
Ἐστιν ἄδηλον.

Versus medius, vt vulgo scribitur, contra me est; sed numeri mutandi, et distinguendi sic:

Εἶτ' ἐπὶ χρηςοῖς
Μοχθῶσι, τόδ' ἐςιν ἄδηλον.

Posterior versus nunc est *paroemiacus*, quem vulgo antecedit breuior ille, qui dicitur *basis anapaestica.*

Porro, ibid. 1405.

Ζεῦ τάδ' ἀκέεις, ὡς ἀπελαυνόμεσθ'.

Creticum facile mutabis, si leges, ἀπελαυνόμεθ'

Praeterea, ib. 1413.

Οὓς μή ποτ' ἐγὼ φύσας ὤφελον
Πρὸς σῶ φθιμένους ἐπιδέσθαι.

Si corriges ὄφελον, versu priore, ex *cretico* fiet *anapaestus*, vt fas est.

Tum, *Euripid.* Hippol. 257.

Πολλὰ διδάσκει γάρ μ' ὁ πολὺς βίος.
Χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους, κ. τ. λ.

Est rursus *creticus*, in priore versu; sed redundat γὰρ, vt ipsa sententia docet. Neque enim ea comprehensa est causa antecedentis, vt, si verum habetur γὰρ, accipienda verba sunt. Quocirca corrigo:

Πολλὰ διδάσκει μ' ὁ πολὺς βίοτος·

nec dubito, quin periti iudices emendationem sint probaturi.

Insuper, *Euripid.* Troad. 781.

Λαμβάνετ' αὐτὸν, τὰ δὲ τοιαῦτα χρὴ
Κηρυκεύειν, —

Leui mutatione, τὰ δὲ τοιάδε χρὴ, ex *cretico* formabitur *anapaestus.*

Postremo, *Aristophan.* Nub. p. 106.

Γνωσθήσῃ πότ' Ἀθηναίοισιν,
Οἷα διδάσκεις τοὺς ἀνοήτους.

Si priori versui addas γ', vitio carebit.

Atqui hi versus, vt opinor, in poetis *Graecis* tragicis, omnes sunt, qui opponi iis possint, quae de numeris *anapaestis* disserui: aut si quem forte praetermiserim, eum aeque facile, ac reliquos, corrigi posse, suscipio. Si autem denuo, *oculos coniicere*, scriptori Censurae placuerit, vt plura exempla inquirat, a me forte praetermissa; curabit, ne similia sint eorum, quae iam protulerit in medium. Nam ante aliquid intelligi quam refellendum sumatur, conducit.

De *Seneca;* inter omnes fabulas, quas eius esse periti iudices arbitrantur, ne quidem vnquam *tribrachin*, aut *creticum*, in extremo *anapaesto*, obseruaui: nec *trochaeum* inueni, nisi

verbis finita ſententia, praeterquam in duobus his locis: Herc. Fur. 170.

Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani,

et, Med. 234.

—— *Spargeret aſtra* *Nubesque ipſas* ——

Quae vnica, vt opinor, exempla ſunt: non ergo erat, cur dicerem, *ſemel atque iterum* eum vſum *trochaeo?* Eſt quidem vnum et alterum exemplum verſus in longam vocalem cadentis, cum ſequens ab alia vocali incipiat; vt Thyeſt. 946.

Pingui madidus crinis amomo
Inter ſubitos ſtetit horrores

Sed hic numerus obſeruationi conuenit noſtrae; ſi modo vocales diſtincte efferuntur; vt ſaepe fieri oportet, in *Virgilio*:

Glauco et Panopeae, et Inoo Melicertae.
Nereidum matri, et Neptuno Aegaeo.

Ad ſummam igitur, ne quidem *vnicum* in poetis *Graecis*, et in veris *Senecae* fabulis, duo tantum, exempla ſunt, quae iure excipi poſſint. Qui vero, inde ab eius temporibus, floruere, magis deflexerunt *a Graecis*, et minus accurate ad praeſcriptas artis ſuae regulas numeros exegerunt. Nam, in Agamemn. in numero lapſa conſuetudo quater deflexit de via; vid. v. 79, 89, 356, 280. in Hercul. Oet. ſexies; v. 181, 594, 1210, 1282, 1876, 1988. et, in Octauia, vndecies; v. 27, 62, 93, 289, 306, 315, 318, 331, 336, 809, 899. Quod nouo eſſe argumento poteſt, *Senecam* non ſcripſiſſe iſtas fabulas. Si vero inſpiciat quis *Buchanani Scaligeri, Grotii*, ceterorumue, qui poſtremis hiſce ſaeculis floruerunt (nam a nemine hoc obſeruatum fuit), carmina; ne quidem decem, ordine continuo, verſus inueniet, vbi hic numerus ſit ſeruatus. Quo mihi plane demonſtrari videtur; non caſum, ſed conſilium fuiſſe, vt nunquam inde aberrarint veteres.

Vt igitur finem huic, de *Poculis Thericleis*, diſputationi faciamus; Quod ſi calumniae, quibus contra *Athenaeum* nixus eſt ſcriptor Cenſurae, abunde et ſerio ſint refutatae; ſi contorta et aculeata ſophiſmata, quibus in me vſus eſt, ipſius coarguerint errores; ſi, quae falſo, per *iocum* dixit in alium, *vere* ei in *ſeria* verterint; ſi *ſua a propoſito digreſſione*, quo occaſionem nanciſceretur me refellendi, in foediſſimos errores ſit inductus, nec ſine exiſtimationis imminutione in viam redierit; ſi hic, inquam, finis ſit totius huius diſputationis, non erit, cur mei me iudicii, de *Phalaridis* Epiſtolis, poeniteat.

IV.

DE ZANCLAEIS ET MESSANIIS.

Summa quaestionis, me inter et doctissimum *Boyleum*, hic est, plusne *Pausaniae* solius, an *Herodoti*, *Thucydidis*, et aliorum, de *Anaxilao*, tyranno *Rheginorum*, verbis si tribuendum. Ait *Boyleus*, p. 131. a se esse *Vbbonem Emmium*, *Lydiatum*, *Scaligerum*, *Petauium*, et *Mearsium* (praeclara nomina!), *praeter sex alios, quorum auctoritas quae adferat momenta, ea se vna perpensurum, proximo quoque tempore, quum nos inter nos dissevamus.* Adhuc, vt opinor, ab eo fuit nemo: ita tamen locutus est, quasi singulae sententiae singulae essent demonstrationes. Haud mirum itaque, quod, quo viam sibi tutiorem muniuerit, hoc insolentius se efferat, et minaciori sermone, acerbiorique vtatur. Sed illi facile ignosci poterit: meum nunc erit, ostendere lectori, cur a summis istis viris, qui *Pausaniam* sunt secuti, dissenserim: Quasque adhibuit scriptor Censurae, calumnias, postremo loco, refellam.

Primum itaque probabo, *Pausaniam*, et reliquos, ad eundem respexisse omnes: cum solum discrepent, de tempore, et quibusdam rationibus vitae eius. Quem enim celebrat *Pausanias*, *Anaxilaus*, *tyrannus fuit* Rheginorum; Ἐτυράννει μὲν Ῥηγίου, vt est apud *Pauf.* p. 133., et, Ῥηγίου τυραννήσαντος, p. 175. *obsidione cinxit* Zanclen, *et cepit*, p. 134. *ac tum*, *pro* Zancle, *ciuitas appellata* Messana, ibid. Similiter, a *Thucydide* commemoratus, *Anaxilaus*, Ῥηγίνων τύραννος, *tyrannus* Rheginorum, p. 114. Zanclen *cepit*, *vocauitque* Messanam, *ab vrbe sua patria*, ibid. Ex his plane apparet, *Pausaniam* et *Thucydidem*, de eodem, locutos. Nam simile veri non est, duo *Anaxilaos* fuisse tyrannos *Rheginos*, et vtrumque cepisse *Zanclen*; nec fieri potuit, vt vterque primus ciuitatem appellaret *Messanam*.

Dein, *Anaxilaus Herodoteus* idem, cuius meminere *Thucydides* et *Pausanias*. Nam *Thucydideus Anaxilaus Zanclen* cepit, *non multo post tempore*, οὐ πολλῷ ὕστερον, inquit *Thucyd.* l. c. quam *Samii*, qui fugerant a *Medis*, eam occupauerant. Atque *Anaxilaus* ille *Herodoteus* tum tyrannus *Rheginorum* erat, *cum* a Medis *fugiebant* Samii, *idemque auctor illis*, *vt* Zanclae *sedem collocarent.* vid. *Herod.* p. 341. *Fuit ei seruus, cui nomen* Micythus, *filius* Choeri; v. *Herod.* p. 440. sed idem seruus *Anaxilao*, commemorato a *Pausania*, qui, p. 175. testem eius rei citat *Herodotum*. Atque hoc quoque argumento est, *Pausaniam*, in vtroque loco, p. 133, et 175. ad eundem respexisse *Anaxilaum*.

Porro *Anaxilaus*, de quo *Diodorus*, non alius est, atque ille, quem celebrant *Herodotus* et *Pausanias*. Nam is quoque *tyrannus* Rheginorum, *et* Zancleorum; *cui seruus* Micythus, *custos liberorum:* Ὁ Ῥηγίε καὶ Ζάγκλης τύραννος· vid. *Diodor* p. 37. et 50.

Macrobius, I. Saturn. p. 203. Anaxilaum, refert, *tyrannum* Rheginorum, *qui* Messanam *in* Sicilia *condidisset, cum paruos relinqueret liberos*, Micytho, *seruo suo*, *commendasse*. Vt hic quoque idem sit, de quo reliqui.

Ex numero tyrannorum Siculorum, Anaxilaum, tradit *Iustinus*, IV. 2. *iustitia cum ceterorum crudelitate certasse*, *et*, *decedentem*, *cum filios paruulos reliquisset*, *tutelam eorum* Micytho, *spectatae fidei seruo*, *commisisse*. Habes rursus eundem hominem.

Exstat, apud *Stobaeum*, Serm. XLVI. dictum *Anaxilai*, *Rheginorum* tyranni; Τυραννίδος μακαριώτερον, τὸ μηδέποτε εὐεργετῦντα νικηθῆναι· *Nunquam beneficiis vinci, ad beate viuendum plus conferre*, *tyrannide*. Est hic idem, de quo loquitur *Iustinus*, vt ex iustitia, ei adscripta, intelligas.

Adhaec, *Anaxilai* cuiusdam, *Rheginorum* et *Messaniorum* tyranni, mentio facta est a scholiasta *Pindar*. Pyth. I. et II. Ἀναξίλας Ῥηγίε καὶ Μεσσήνης τύραννος: qui non potest non idem esse, qui celebratur a *Thucydide*, et *Diodoro*, quod tempus tyrannidis ex omni parte congruit. Commemoratur ibi, Pyth. II. vnus, ex filiis eius, cui nomen *Cleophron:* Ἀναξίλας καὶ Κλεόφρων ὁ τέτε παῖς.

Dionysius Halicarnass. Excerpt. *Vales*. p. 539. Anaxilaum *quendam*, ait, *capta* Rheginorum *arce*, *tyrannidem occupasse*, *eamque*, *quum moreretur*, *reliquisse filio* Leophroni, Λεόφρονι τῷ παιδί. Ex quo apparet, de eodem hunc, quo scholiastam *Pindari*, locutum. Nam *Cleophron*, a scholiasta commemoratus, idem, qui hic *Leophron* vocatur. Exstat quoque huius *Leophronis*, *Rheginorum* tyranni, memoria, in *Iustin*. XXI. 3. vt, in loco scholiastae, ad exemplum duorum horum scriptorum, corrigendum nomen videatur.

Narrat *Aristoteles*, Polit. 6. *Rheginorum imperium*, *quod aliquando fuisset paucorum, factam ab* Anaxilao *tyrannidem:* Ἐν Ῥηγίῳ ἐξ ὀλιγαρχίας εἰς Ἀναξιλάε τυραννίδα. Atque hic idem *Anaxilaus*, atque ille *Dionysii;* nec enim successit in patris tyrannidem, sed capta arce, eam occupauit.

Tandem auctor *Heraclides* est, in Polit. Rheginorum *rempublicam optimatum imperio administratam*, *quoad* Anaxilaus, Messanius, *eam sibi subiecerit*. Ex quo apparet, eundem illum esse, cuius meminerint *Dionysius* et *Aristoteles*.

Sic ergo demonſtratum a me, puto, hos ſcriptores ad vnum reſpicere omnes *Anaxilaum*, *Rhegınorum* et *Meſſaniorum* tyrannum. Sunt enim cuncta eorum teſtimonia certis hic inter ſe rationibus iuncta, et diſtincta iis quaſi notis, ex quibus, eundem eſſe hominem, cognoſcas.

Proximum eſt, vt inquiram, quo tempore vixerit ille: et, niſi vehementer fallor, mox apparebit, *Anaxilaum* vixiſſe, non, vt *Pauſanias* ait, Olymp. XXIX. ſed, CC. circiter ab iſto tempore annis, regnante *Dario* et *Xerxe*.

Primum *Herodotus*, VI. 22. 23. narrat; *Zanclaeos*, euerſa a *Perſis Mileto*, temporibus *Darii* (Olymp. circiter LXX. 3.), reliquis *Mileſiorum* auctores fuiſſe, vt ſedes transferrent in *Siciliam*, et in loco, cui nomen *Calacta*, collocarent: *Mileſios* autem, accepta conditione, et in ſocietatem aſcitis *Samiis*, in *Siciliam* ſoluiſſe; ſed, in itinere, *Locros*, in *Italia*, appuliſſe claſſem: vbi *Anaxilaum*, cognito iſto conſilio, eos dehortatum: Nollent de condenda vrbe in *Calacta* cogitare, ſed *Zanclen*, ciuitatem amplam, et iis patentem iam, occuparent. Nam forte accidiſſe, vt, iſto tempore, *Zancloei* foris occuparentur in obſidenda alia quadam ciuitate, ſuamque ſine praeſidio reliquiſſent. *Zanclaeos* itaque et *Mileſios*, probato conſilio, vrbem, ciuibus vacuam, occupaſſe.

Ac ſummam horum omnium confirmat *Thucydides;* VI. p. 414. Zanclaeos *ciuitate ſua pulſos ab iis* Samiis, *aliisque* Ionibus, *qui fugerent a* Medis; id eſt, euerſa iam *Mileto*, Olymp. LXX. 3. Idem quoque efficitur e verbis *Ariſtotelis*, Polit. v. vbi, Zanclaeos, ait, *receptis* Samiis, *ciuitatem ſuam amiſiſſe*. Sed amplius addit *Thucydides;* Οὐ πολλῷ ὕϛερον, *Non longe poſt*, *hos ipſos* Samios Zancle *expulſos ab* Anaxilao, Rheginorum *tyranno; quem, collecta ex variis gentibus hominum multitudine, nouam eo coloniam deduxiſſe, et ciuitatem nominaſſe* Meſſanam, *a* Meſſana, Peloponneſi, *vrbe patria*. Poſterius factum non tetigit *Herodotus;* ſed prius tantum, quod *non longe* ante contigerat. Nec, vt ſcriptor Cenſurae opinatur, horum teſtimonia ſcriptorum inter ſe pugnant.

Interciderunt iſti *Diodori* libri, vbi his geſtis commemorandis proprius locus; nam, qui exſtant adhuc, incipiunt ab expeditione *Xerxis*, Olymp. LXXV. 1. Nihilominus tamen, quantum ſatis, ſupereſt, ad demonſtrandum, in quam partem eius inclinauerit animus. Nam, p. 37. huius ipſis mortem *Anaxilai* notauit ad Olymp. LXXVI. 1. eumque regnaſſe, ait, annos XVIII. id eſt, ab Olymp. LXXI. 1. Contrarium plane hoc rationi, quam iniit *Pauſanias*. Videntur quidem inter ſe diſſentire *Diodorus* et *Herodotus:* nam hic *tyrannum* eum facit,

quando ageret cum *Samiis*, quod anno vno aut altero ante Olymp. LXXI. 3. accidisse, opinio est. Sed, nisi numerus male notatus a librario est, apud *Diodorum;* sic adduci res posse ad concordiam videtur; *Herodotum* vocare *tyrannum* potuisse eum, quem, sciret, postea fuisse: licet isto tempore, vnus modo optimatum, tyrannidem nondum occupasset.

Quum *Samios*, ad oppugnandam *Zanclen*, hortabatur *Anaxilaus, Scythes* quidam tyrannus erat *Zanclaeorum*. v. *Herod.* VI. 23. Est autem huius *Scythae* aetas, atque adeo illa *Anaxilai*, bene nota ex eius vita. Captiuus fuit *Inyci*, in *Sicilia* (vid. *Herod.* VI. 24. *Aelian*. Var. Hist. VIII. 17.); sed fuga in *Persiam* euasit, vbi in aula vixit *Darii*, filii *Hystaspis*, ac, potestate accepta itineris in *Siciliam* faciendi, quum, rediturum, negotiis suis confectis, se, promisisset, fidem datam seruauit; quo factum, vt ab eo tempore regi carus fuerit, acceptusque. Tempus autem, a *Pausania* notatum, centum amplius annis altius est, quam, quo natus hic *Darius*.

Vxorem duxit (*Herod.*) *Anaxilaus Cydippen*, filiam *Terilli*, *Himerensium* tyranni; qui, pulsus regno a *Therone Agrigentino*, *Carthaginem*, auxilium petitum, aufugit. *Anaxilaus* vero, quum socerum in regnum restituere vellet, *Hamilcarem*, ducem *Carthaginiensium*, ad expeditionem in *Siciliam* sollicitauit, eique filios suos obsides dedit. His adductus *Hamilcar*, cum ingenti classe aduenit, quam cum appulisset *Himeram*, fusus fugatusque cum suis est a *Gelone Syracusio*, eodem tempore, quo cladem a *Graecis* accepit *Xerxes*. Conuenit inter historicos omnes, de anno, quo haec gesta sunt, qui inde ab Olymp. XXIX. duobus circiter saeculis est. Ait ipse *Pausanias*, p. 186, et 272. *Gelonem* regnum *Syracusanum* accepisse, Olymp. LXXII. 2. et regnasse, quum in *Graeciam* expeditionem faceret *Xerxes*.

Quum *Zanclen* inuaderent *Samii*, istius consilii auctor et actor praecipuus fuit *Hippocrates*, *Geloorum* tyrannus: nam *Zanclaeos*, socios suos, prodidit, praedamque partitus est cum *Samiis*. v. *Herod.* VI. 23. Est autem *Hippocratis* aetas cognita ex vno hoc, de multis, quod *Gelo* ille, qui postea *Syracusiorum* tyrannus, modo a nobis commemoratus, eius fuit equiso, eique, in regno *Geloo*, successit. v. *Herod.* VIII. 154. *Timaeus*, apud schol. *Pindari*, Nem. 9.

Bellum gessit noster *Anaxilaus* cum *Locris Italis*, quos, nisi se interposuisset *Hiero*, *Syracusarum* tyrannus, funditus perdidisset. Significauit id *Pindarus*, qui iisdem temporibus vixit, duabus ad *Hieronem* odis: idque aperte declarat scholiasta, fide dignissimus auctor, ad *Pindar.* Pyth. I. et II. additque, vnam,

de vxoribus *Hieronis*, filiam fuisse *Anaxilai*, *Epicharmum* autem, in fabula, cui nomen *Insulae*, referre, *Anaxilaum* voluisse *Locros* perdere, sed prohibitum ab *Hierone*: Ὅτι δὲ Ἀναξίλαος Λοκροὺς ἐθέλησεν ἄρδην ἀπολέσαι, καὶ ἐκωλύθη πρὸς Ἱέρωνος, ἱστορεῖ καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Νάσοις. Quid est, quod dici contra testimonium hoc tam clarum et certum possit? Erat circa *Hieronem Epicharmus*; rem sua gestam memoria narrat; ac fortasse consuetudinem habuit cum eo, de quo agimus, *Anaxilao*. Iam autem ipse *Pausanias* aeque, atque alii historici, declarant, *Hieronem* iisdem, quibus *Xerxem*, temporibus floruisse; vid. *Pausf.* p. 272. nec minus certum, *Epicharmum* et *Hieronem* fuisse aequales. v. Marm. *Arund. cet.*

Lepidum est, quod, de *Simonide*, poeta lyrico, narrat *Aristoteles*, Rhet. III. 2. Cum quidam, qui, ludis *Olympicis*, curru, mulis iuncto, vicisset, oblato paruo praemio, victoriam suam ab eo, vellet, carmine celebrari; finxisse, nolle se musam suam ad rem tam humilem, quam mulos, abiicere: mox autem, grandi praemio proposito, non *mulos*, sed *equarum* vocasse filias:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Victorem non quidem nominat *Aristoteles*, sed *Heraclides*, eius discipulus; *Cum*, inquit, de Polit. *Anaxilaus* Messanius, Rheginorum *tyrannus*, *ludis* Olympicis, *vicisset mulis*, *spectatoribus epulum dedit*, eiusque victoriam versibus celebrauit *Simonides*:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων.

Et, ne huius memoria victoriae obliteraretur, opinantibus antiquitatis Studiosis, in auersis partibus numorum quorundam *Messaniorum* expressa fuit ἀπήνη, seu *currus mulis iunctus*. vid. *Golz.* et *Paruta.* Meminit huius quoque victoriae *Pollux*, v. 12. additque, *Anaxilaum* eodem tempore lepores attulisse in *Siciliam*, quae ista animalia antea non aluisset; ac numos *Rheginorum* signasse ἀπήνῃ et lepore. Haec, ex *Aristotele*, *Pollux*; sed per errorem numos *Rheginorum* cepisse, pro illis *Messaniorum*, videtur. Nam inter *Rheginorum* numos, quot quidem antiquitatis inuestigatoribus cogniti sunt, nulli, ita signati, reperiuntur; sed inter illos *Messaniorum* octo sunt, apud *Parutam*, in vnoquoque quorum, ab altera parte, ἀπήνη, ab altera, lepus; duo, in quibus ἀπήνη, sine lepore; duo, signati lepore, et, ab altera parte, corona *Olympica*. Iam aetas *Simonidis* conuenire ad tempus, a *Pausania* notatum, Olymp. XXIX. nulla ratione potest: nam natus demum fuit, Olymp. LV. 3. vt ipse testatur; vid. supra, p. 20. 21. quadrat autem in alteram rationem; summus enim ei honor in

Graecia habitus, quoad regnauit *Anaxilaus*, ab Olymp. inde LXXI. 3. ad Olymp LXXVII. 1.

Praeterea, ex hac victoria *Olympica* ducitur argumentum, quo possis suis *Pausaniam* verbis refellere. Nam ἀπήνης, *currus, mulis, loco equorum, iuncti* (*Pausan.* p. 155. ἡμιόνες ἀντὶ ἵππων) *vsus, ludis* Olympicis, *ante Olymp.* LXX. ipso fatente *Pausania*, *nullus fuit; ac desiit rursus Olymp.* LXXXIV. Quique *primus, hoc certaminis genere, vicit*, Θερσίας, Thersias *quidam*, inquit ibid. *fuit*, Thessalus. Vt ante Olymp. LXXI. collocari victoria *Anaxilai* non possit. Praeter *Pausaniam*, alio teste luculentissimo, nouimus, quando primum inceperit ἀπήνης vsus. Nam *Pindarus*, vt videtur, siue stomacho minus fastidioso, quam *Simonides*, siue maioribus allectus praemiis, duabus, quae supersunt, odis, Olympion. V. et VI. quum mulis esset certatum, victorias celebrauit: ac prior harum reportata, Olymp. LXXXII. traditque scholiasta, "Ὅτι ἀπήνη ἐςὶν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν· εἰθισμένον δὲ ἵπποις ἀγωνίζεσθαι, Ἀσάνδρασος ἐπετήδευσε καὶ ἡμιόνοις ἀγωνίζεσθαι· χρόνος δέ τις ἐ μακρὸς, ἀλλὰ δεκαετὴς τᾶτο διέλυσε, διελύθη γὰρ περὶ ὀγδοηκοςὴν ἐννάτην ὀλυμπιάδα· i. e. *Apenen esse currum mulis iunctum; cumque mos esset, ludis* Olympicis, *certandi equis*, Asandrastum *primum in consuetudinem induxisse certamen, quod fieret mulis. Nec tamen diu mansisse istum morem; decennio enim post intermissum, circa Olymp.* LXXXIX. Haud dubie vitium est, aut in horum numerorum alterutro, aut vtroque; nam, si *Psaumis*, quem *Pindarus* canit hic, vicit Olymp. LXXXII. plus, decem annis, istud tempus inter et Olymp. LXXXIX. intercest. Nihilominus tamen hic locus, licet mendosus, instituto nostro sufficit; patet enim eo, ἀπήνης vsum, ludis *Olympicis*, esse non potuisse Ol. XXIX. In magno hic errore versatus est summus *Scaliger*, in Ὀλυμπ. Ἀναγρ. nam locum hunc scholiastae per imprudentiam ad Olymp. LXXIX. retulit, cum haud dubie vellet, ad Olymp. LXXXIX. atque hinc errores, alii ex aliis, nati *I. Meursius*, vir doctus, in scriptis cuius, quum falso opinaretur, istam Ἀναγραφὴν Ὀλυμπιάδων opus esse antiquum (tametsi, a se compositum, aperte dixit *Scaliger*, p. 421. Not. ad Graec. *Euseb.*) multa permista et confusa leguntur, locum hunc mirabilem in modum vexauit. Si, post eum, coniecturae locus mihi sit, corrigam, in verbis scholiastae, δωδεκαετὴς, XII. *annorum spatium*, pro δεκαεδὴς, *decennium*; et pro ὀγδοηκοςὴν ἐννάτην, *Olymp.* LXXXIX. scribam, ὀγδ. πέμπτην, *Olymp.* LXXXV. De posteriore, sponsor mihi ipse scholiasta, qui, alio in loco, *Consuetudinem* ἀπήνης, affirmat, *intermissam*, *vt*

quidam aiant, *Olymp.* LXXXV. *vt alii*, *Olymp.* LXXXVI. Κατελύθη δὲ ἀπήνη, inquit, ὥς τινές φασιν πέ. ὀλυμπιάδι, κατ' ἐνίας δὲ πς'. vid. Pyth. VI. Atque hoc ex omni parte consentit cum testimonio *Pausaniae*, supra relato. Nam, si *praeconis voce fuerat promulgatum* (κήρυγμα ἐποιήσαντο, *Paus.*) Olymp. LXXXIV. deinceps mulis certandum non esse; primum id *intermissum*, (διελύθη, scholiast.) Olymp. LXXXV. Quod si iam calculos subducimus ab Olymp. LXXXII. quando *Psaumis* vicit, quae *Pindaro*, in hac oda, subiecta materies, eam inter et Olymp. LXXXV. *spatium* XII. *annorum* interesse videmus. Sed quis iste 'Ασάνδρασος, quem, scholiasta ait, primum hoc genere contendisse certaminis? *Scaligerum*, video, et *Meursium*, vt probum, nomen praetermisisse; vtrumque tamen, opinor, suspicatum, esse falsum: nec enim forma et copulatione *Graecum* est, vt linguae istius periti agnoscent omnes. Verba hoc ordine collocata sunt; ἀγωνίζεσθαι ἀσάνδρασος ἐπετήδευσε, quae sic scribam; ἀγωνίζεσθαι Θέρσανδρός τις ἐπετήδευσε; *Fuit auctor eius* Thersander *quidam.* Θαι, quod efferri olim et scribi θε solebat, antecedenti verbo fuit iunctum: vt, in celebri illo *Plutarchi* loco, pro 'Αρμονίαν καλεῖσθαι μέροπιν, antea, in Diss. ad *Ioh. Malal.* docui, scribendum esse, ἁρμονίαν καλεῖ θεμερῶπιν. Dein, opus hic est τίς; cum enim hominis meminisset obscuri; dicere debuit *Thersandrum quendam.* Sed quo, veram esse, pateat, meam coniecturam; est hic *Thersander*, de quo scholiasta, idem, qui *Thersias*, de quo loquitur *Pausanias.* Vt de eo, qui primus, in certamine *Olympico*, mulos in consuetudinem induxit, inter vtrumque conueniat. Nomina enim *Graeca*, quorum haec forma est, idem valent, et commutata sunt saepe, Θερσίας et Θέρσανδρος, vt Νικίας et Νίκανδρος, 'Ηγησίας et 'Ηγήσανδρος, 'Αλεξίας et 'Αλέξανδρος, 'Αναξίας et 'Ανάξανδρος, et plura similia.

Etsi sic animum induco meum, re vera iam refutatum a me *Pausaniae*, de aetate *Anaxilai*, testimonium; est tamen aliud mihi in promtu argumentum, quo eius opinionem penitus euertam, cuiusque partes omnes ex ipsius libro sint petitae. Micythus, inquit, p. 175. *seruus* Anaxilai, Rheginorum *tyranni*, *statuas complures*, *aliaque dona*, *consecrauit*, Olympiae. *Artifices*, *quorum ista opera*, Dionysius et Glaucus, Argiui. *Quos qui instituerit*, *non constat*: *sed*, *qua aetate vixerint*, *ex illa cognoscimus* Micythi, *qui eos conduxit:* Τὴν ἡλικίαν αὐτῶν ὁ τὰ ἔργα εἰς 'Ολυμπίαν ἀναθεὶς ἐπιδείκνυσιν ὁ Σμίκυθος. Quod hinc cogit, verum est; ac similiter verum, posse cognosci aetatem *Micythi*, si ea istorum artificium sit pa-

tefacta. Sed, vt teftis ipse *Paufanias* eft, p. 179. *alterum eorum*, Dionyfium, *conduxit* Phormis, Syracufius, *quo duce exercitus vtebantur* Gelo *et* Hiero. Et, vt ait p. 272. Gelo *et* Hiero *vixerunt*, *expeditionem in* Graeciam *faciente* Xerxe; id eft, eodem tempore, quo regnaffe *Anaxilaum*, ftatuo. Exitus hic nullus; nam *Mycytho*, feruo, fuiffe vfum noftrum *Anaxilaum*, praeter *Paufaniam*, complures teftantur, *Herodotus*, *Diodorus*, *Iuftinus*, *Macrobius*. Atque haec ab eo confecrata dona ifto tempore, non folum *Herodotus* (p. 440. Ἀνέθηκε ἐν Ὀλυμπίῃ τὰς πολλὰς ἀνδριάντας), fed ipfae declarant infcriptiones; nam, et eius, et artificis, nomina in illis infculpta, ante dedicationem, et ab ipfo lecta *Paufania*.

Sed vt ad fcriptorem Cenfurae regrediar, qui, quod hic quaeritur, eius fummam effe hanc voluit, p. 128. Anaxilaum, inquit, Zanclen, *mutato nomine*, *vocaffe* Meffanam, *conuenit mihi cum* Bentleio; *quaeritur tantum*, *quo id factum tempore*. Quod fi iam inter nos conuenerit de eo, *Anaxilaum* mutaffe nomen, quaeftio, quando id factum, ad exitum, vt opinor, adducta erit, et profligata. Sed, ne, quod ex hac conceffione percipi commodi poffit, eo vtar, id omne ei remittam; eiusque caufa, fingam, *Paufaniam*, etfi lapfum per errorem, quum *Anaxilaum* cum *Meffaniis* induceret agentem; eum tamen, quum *Zanclen* a *Meffaniis* captam, et *Meffanam* nominatam, Olymp. XXIX. diceret, vera inftitiffe via. Sed, in ipfa hac narratione, (non inducto *Anaxilao*), continuatio et progreffio hiftoriae contra *Paufaniam* eft; nam, fi ab illo difcefferis, qui, *Meffanios*, aiat, recta *Zanclen* nauigaffe, inuenies neminem; qui *Rhegium*, omnes. Et cuncti quidem ciuitatem *Zanclen* nominant, in CL. annos, poftquam ille dicit, *Meffanam* vocatam. *Hippocrates*, vt eft apud *Herod.* et *Thucyd.* *Zanclaeos* obfedit; *Cadmus Cous*, *Zanclen*, ad *Samios*, venit; *Zanclaei Milefios*, ad fedem in *Sicilia* collocandam, inuitarunt; *Xenophanes Colophonius*, tefte *Laertio*, V. Xenoph. relicta patria, *Zanclen* migrauit. Contigerunt haec omnia, aliquot, inde ab Olymp. XXIX. aetates. Nec vllum exftat exemplum, quo pateat, nominatam *Meffanam*, ante *Anaxilai* aetatem.

Videamus nunc, quae fint fcriptoris Cenfurae calumniae easque, quam fieri poteft, breuiffime contundamus. Auctor *Thucydides* eft, *Samios*, quum a *Medis* fugerent, occupaffe *Zanclen*. Has res *Medorum*, fcriptor Cenfurae ait, p. 127. *a* Bentleio Xerxis *dici expeditionem*; *quafi*, *ante tempora* Xerxis, *nulla vnquam incurfio a* Medis *effet in* Graeciam *facta*. Confultone, an per imprudentiam fic mea inuertit, haud fcio; fed, fi contuliffet ea cum verbis *Thucydidis*, hanc potuiffet omittere ca-

lumniam. *Non multo post tempore*, οὐ πολλῷ ὕϛερον, inquit *Thucydides*, *quam* Samii, *qui a* Medis *fugerant*, Zanclen *occupassent, eos expulit* Anaxilaus. Ipse aiebam, Anaxilaum, *quum in* Graeciam *expeditionem faceret* Xerxes, *cepisse* Zanclen. Ex hoc iam qui potuit conficere *Boyleus*, vt, quae *Samios* inter *Medosque* essent gesta, pro expeditione *Xerxis* sumserim ego? Contra, diuersa inter se sint, oportet; nam contigit illud *iisdem*, quibus alterum, *temporibus*, et *non multo post*, quam alterum. Et, quod cogebam, hoc erat, veri simile esse, si *non multo post* prius (Olymp. LXX. 3.), iisdem, aut circa tempora, quibus posterius (Olymp. LXXV. 1.), accidisse. Sed animaduersione dignissima est, quam addit scriptor Censurae, ratio, *Quasi ante nulla vnquam incursio a* Medis *esset in* GRAECIAM *facta*: quibus indicauit, se, quae *Medis* fuerint cum *Samiis*, res, pro irruptione in *Graeciam*, accepisse; tametsi tantum fuerit in ciuitates *Ionicas* et *Asiaticas*, capta *Mileto*.

Herodotum, ait, p. 127. *contraria iis, quae* Thucydides tradit, *dicere;* quod iam a me refutatum: Anaxilaum Samiis *auxilium tulisse in capienda* Zancle; quod non tulit, sed tantum auctor illis, vt facerent, fuit: *Se mecum acturum liberaliter, ac tantum tributurum testimoniis, quos citauerim, scriptorum, quantum sustinere possint:* quod tamen *Thucydidis* est, illum omnium locupletissimum certissimumque, reiecit. Duas paginas, 129. 130. impleuit quodam declamationis genere, vt, quae narrauerit *Pausanias*, ea pigmentis fucoque illineret; quod nunc reuocet, quum fieri possit, vt eo opus habeat ipse, ad excusandos suos errores. *Opinatus* est, p. 130. *reseruare me tempora et facta*, quorum *conuenientia* definiri aetas *Anaxilai* possit: quare, vt aliquam ab eo gratiam inirem, quaedam eorum nunc protuli foras; restant tamen adhuc pauca, quae, vbi libuerit, ei aperiam. Ac spero, fore, vt, vicissim mea causa, *sex istos*, quos dicit, p. 131. *praeter* Scaligeros, *et* Petauios *suos, quibus cum* Pausania *conuenerit, producat, eorumque auctoritas quae habeat momenta, vna perpendat.* Quo maiora erunt *momenta, quae accedunt*, hoc amplius ingenii mei testimonium perhibebit, quum declaret, me, quod rei esset, consecutum, vbi tot tantique viri ante me per errorem lapsi fuerint.

Restat mihi leuis aliqua cum scriptore Censurae controuersia, ante dirimenda, quam hanc disputationem concludam. Obseruaueram, *Phalarin* illum, qui fingitur, in alia epistola, *Zanclaeos*, in alia, commemorare *Messanios*. Quod si iam verum id, quod aiunt historici, *Zanclen*, mutato nomine, vocatam *Messanam*, post Olymp. LXX. *Phalaris* tyrannus, qui mortuus, Olymp. LVII. non potuit nominare *Messanios*; sin autem,

quod *Pausaniās*, *Zanclen* appellatam *Messanam*, Olymp. XXIX. tunc, qui, centum amplius inde annis, vixit, tyrannus vocare *Zanclaeos* non potuit: vtrumuis elegeris, apparebit, commenticias esse Epistolas. Prius in hac disiunctione verum esse, quantum sufficit, demonstratum a nobis; posterius euertere calumnia conatus est *Boyleus*, de qua hic agendum.

Acutissime cogitatum, quod ait, in Epistolis non plane dici *Zanclen*, *vrbem*; sed solum *populum*, *Zanclaeos:* putat autem, etiamsi *Zancle* fuerit nominata *Messana*, Olymp. XXIX. ex *Pausaniae* sententia; *Zanclaeos* tamen superfuisse, et potuisse isto nomine vocari a *Phalaride*, Olymp. LVII. Si scriptor Epistolarum *vrbem* nominasset, eius causam non fuisse defensurum; nihil autem confici posse ex eo, quod *populum* nominet, quo fraudis coarguatur.

Tam est argute facta haec distinctio, vt, *eam in breue tempus mihi commodari*, eamque in locum aliquem *Pausaniae*, quem vnum veneratur ille, accommodare, cupiam. Varia sunt, quae vt sibi *commodarem*, a me petiit, nec, vt spero, aegre feret, si semel eadem apud eum libertate vtar. Inter dona, *Olympiae* consecrata, *Pausanias* statuam describit *Herculis*, cum Amazone pugnantis. Dedicauerat eam *Euagoras*, ZANCLAEVS, Εὐαγόρας γένος Ζάγκλιος (*Pauſ.* p. 175.); fecerat *Aristocles* quidam, *Cydonius*. Negat autem, *aetatem huius* Aristoclis *posse certo cognosci; apparere tamen, vixisse ante*, *quam* Zancle *vocaretur*, *vt nunc*, Messana. Δῆλα δὲ inquit, ὡς πρότερον ἔτι ἐγένετο, πρὶν ἢ τῇ Ζάγκλῃ τὸ ὄνομα γενέσθαι τὸ ἐφ᾽ ἡμῶν Μεσσήνην. Iam, quemadmodum mihi, sic *Pausaniae* respondeat *Boyleus*, non consequi id, quod velit; cum enim vrbs *Zancle* hic non nominetur, sed tantum Ζάγκλιος, ZANCLAEVS; non posse eum, quod faciat, concludere, de aetate *Aristoclis;* quod *Euagoras* potuerit esse *Zanclaeus*, longe post, qaam nomen, *Zancle*, cum illo, *Messana*, fuerit commutatum. Quid est, quod referat nunc *Pausanias?* nam planum est, non animaduertisse illum, quam fecit scriptor Censurae, distinctionem. Vbi *Pausaniae* defensores ad euertendam hanc tam ineptam calumniam se abiecerint, idem dictum pro vtroque, et illo, et me, erit.

Sumsit ab eodem *Pausania* aliud *Boyleus*; quo demonstrare voluit, fuisse populum, *Zanclaeos*, quum non esset vrbs *Zancle*. Pausanias, inquit, p. 126. *vbi obseruat*, *quoad* Messanii *abessent a* Peloponneso, *duo tantum istius nationis*, Leontiscum *et* Symmachum, Messanios Siculos, *vicisse*, *ludis* Olympicis; addit, Siculos *negasse*, Messanios, *sed esse e posteris priscorum* Zancleorum. Εἶναι δὲ (*Pauſ.* p. 179.) οἱ Σικελιῶται καὶ τέ-

τὰς τῶν ἀρχαίων Ζαγκλαίων, καὶ ὁ Μεσσηνίας Φασί. *Hoc significari*, ait *Boyleus*, Zanclaeos *familias suas cum nouis victoribus non permiscuisse*. Sed certum habeo, hac argumentatione *significari*, *Boyleum*, negligentius dialecticam legisse suam. Fac enim, aliquamdiu non fuisse permistas familias; eo significatur, familias istas adhuc habuisse nomen *Zanclaeorum*? Non ex ipso apparet *Pausania*, *Leontiscum* et *Symmachum Olympiae*, semet professos esse MESSANIOS (Λεόντισκος καὶ Σύμμαχος τῶν ἐπὶ πορθμῷ Μεσσηνίων)? si adhuc prisci nominis consuetudo tenebatur, cur non ZANCLAEOS semet nominabant? Est hic *Symmachus* in Indicem *Stadionicarum* relatus, ad Olymp. LXXXVIII. Ὀλυμπ. ὀγδοηκοστὴ ὀγδόη. Σύμμαχος Μεσσήνιος στάδιον. Videmus, *Messanium*, non *Zanclaeum*, hic dici. Imo, plus etiam *Pausaniae* loco, quam *significari*, puto, tempore *Symmachi* non fuisse, qui nominarentur *Zanclaei*: nam, *e* PRISCORVM *Zanclaeorum posteris esse*, ait. Vt, si dico, *Boyleum* esse e posteris *priscorum Pictonum*: eo significatur, esse nunc, qui nominentur *Pictones*, an vero contrarium?

Sed qui, amabo, probat *Boyleus*, Zancleorum *familias non fuisse permistas*? Qui *Siculi* nouerant, *Leontiscum* et *Symmachum* e posteris illorum esse? Est haec *conclusio ex eo genere, de quo nouissime actum* (p. 126.). Nam vidimus iam, *Symmachum* vixisse, Olymp. LXXXVIII. Ac floruit circa idem tempus, aut ante, *Leontiscus*. Nam, teste *Pausania*, p. 181. eius statua facta a *Pythagora*, *Rhegino*, qui, vt auctor *Plinius* est, l. XXXIV. 8. vixit Olymp. LXXXVII. vt autem *Pausanias* ait, p. 183. statuam fecit *Euthymi*, qui, ludis *Olympicis*, vicit, Olymp. LXXVII. Iam harum Olympiadum remotissima, quinquaginta non amplius annorum interuallo; disiuncta est ab aetate *Anaxilai*, qui nomen, *Zancle*, cum illo, *Messana*, commutauit. Vt, quantum quidem *Boyleus* sciat, vtriusque, et *Leontisci* et *Symmachi*, parentes esse iuncti matrimonio potuerint, ante tempora istius mutationis: ac tum quid eius fiet conclusioni, *Familias non fuisse permistas?* Imo, etiamsi maius multo fuisset interuallum, potuissent tamen facile coniicere *Siculi*, istos duo non esse e posteris *Messaniorum*, et *Peloponneso*. Quod re vera colonia *Messaniorum*, quae sedem collocauerat *Zanclae*, qualem credidit *Pausanias*, non erat. Nam etsi nominis auctor *Anaxilaus*, ne patriae ciuitatis memoria deleretur; quam tamen eo deduxit, *ex vario hominum genere* (σύμμικτοι ἄνθρωποι, inquit *Thucydides*) *mista* erat colonia.

Proxima argumentatio, qua concludit ille, Zancleorum *vnum aliquod, a reliquis distinctum*, corpus *et pristinum nomen*

manſiſſe aliquot, inde ab vrbe vocata *Meſſana*, *aetates*, ſumta eſt e *Diadara; qui narrat*, inquit *Bayleus*, p. 126. *Olymp.* LXXIX. Zanclaeos *ciuitatem ſuam a peregrinis iſtis, qui tot eam annos poſſederant, recuperaſſe.*. Tot annos? Quot, amabo, eam obtinuerant, ex *Diodori* teſtimonio? *Anaxilaus*, qui nominis, *Zancle*, mutati auctor, mortuus eſt, vt ait ille, p. 37. Olymp. LXXVI. 1. Atque eius liberi inde expulſi, vt, p. 58. Olymp. LXXIX. 4. Quod interuallum eſt annorum non amplius XV. Quid eſt ergo, quod animo intendat ſcriptor Cenſurae, quum dicit *tot annas*, et *manſiſſe aliquot aetates?* Rem aperiam, et quo captus errore ſit, oſtendam: nam, hic, perſuaſum habeo, de eius innocentia, nec factum conſilio, quod impoſuerit lectoribus ſuis. Teſtatur *Diodarus*, *Zanclaeas* libertatem recuperaſſe, Olymp. LXXIX. 4. Hoc obſeruabat ſcriptor Cenſurae; tum autem incidebat in cogitationem eius, quod *Pauſanias* tradit, *Zanclaeas* amiſiſſe libertatem, Olymp. XXIX. 1. Haec ambo ſumſit *Boyleus*, et inde argumentatur, quaſi vtrumque eſſet *Diodori*. Sed iam oſtendi, inter tempora, a *Diadara* et *Pauſania* notata, intereſſe circiter ducentorum interuallum annorum. Nihil ergo ineſt in *Diadori* libro, de *tot annarum poſſeſſione*. Eſt haec commentatio ſcriptoris Cenſurae in illius verba. Ait ille tantum, Olymp. LXXIX. 4. Ῥηγίνες μετὰ Ζαγκλαίων, Rheginos, *vna cum* Zanclaeis, *expuliſſe tyrannide filios* Anaxilai, *et ciuitates liberaſſe ſuas.* Tulerant *Anaxilai*, eiusque liberorum, tyrannidem *Rhegini*, annos duntaxat XXXII. nec tam diu *Zanclaei*. Quae vera cauſa fuit, cur ZANCLAEOS hic nominet *Diodorus*, licet vrbs tum *Meſſana* vocaretur. Zanclaei, inquit, *ciuitatem ſuam liberarunt.* Quod re vera iidem erant, qui antea *Zanclaei* dicerentur. Nam eadem aetas vtramque conuerſionem ſtatus et inclinationem communium temporum vidit, et quam ciuitatem occuparet *Anaxilaus*, et quum eius filiis eriperetur tyrannis. Hoc vno igitur in loco, *Zanclaeas* vocat; ſed dein ſemper *Meſſanii* dicuntur, vrbs *Meſſana;* vt, p. 136. Olymp. XCI. 2. p. 185. Ol. XCII. 4. p. 282, 297. Ol. XCVI. 1. Sic tempore *Heradoti*, circa Olymp. LXXXIII. non erat *Zancle*, ſed *Meſſana*. Quumque *Athenienſium* impetum in *Siciliam* refert *Thucydides*, Olymp. XCI. 2. vbique de *Meſſana* et *Meſſaniis* loquitur; ne nominans quidem *Zanclen*, niſi ſemel, quando res antiquas ciuitatis exponit.

Sed cauſtat, inquit *Boyleus*, p. 126, 127. Zanclaeorum *ſeparatum manſiſſe corpus in ipſa vsque tempora* Plinii, *qui*, *lib.* III. *c.* 8. *aperte eos inter et* Meſſanios *diſtinguit*, *aitque*, Meſſanam *eſſe ciuitatem immunem*, Zanclaeos *autem vectigales.* In li-

bro *Boyleano*, quum primum exiisset, lector reiiciebatur duntaxat ad verba *Plinii:* sed, repetita editione, in margine sic ea collocata videmus: *Messana Ciuium Romanorum, qui Mamertini vocantur, Latinae conditionis, Zanclaei.* Sic, inquam, verba *Plinii* citantur, in margine. Sed re vera haec sunt: *Intus* Latinae conditionis *Centuripini, Netini, Segestani.* Stipendiarii, *Assorini, Aetnenses*, (cet. qui, ordine literarum, enumerantur omnes) *Zanclaei Messeniorum in Siculo Freto.* Luce clarius, vt arbitror, apparet, *Boyleum*, primae editionis scriptorem, *Plinii Stipendiarios* recte accepisse, pro *vectigalibus*; sed, qui ea, quae sunt in margine secundae editionis, scripsit, opinatum, *Latinae conditionis* valere, *vectigales*; et *Stipendiarios* esse, vt reliquos, inter quos medii collocati sunt, populum *Siciliae.* Quorum vitiorum, vt quam lenissime dicam, eam turpitudinem esse et infamiam, arbitror, cui nemo, nisi is, cuius ista sunt, nomen opponat suum. Sed magis etiam animum meum excruciat hoc, quod, in epistola, data *Parisiis*, quae est in secunda editione, quidquid mutatum sit, ex quo genere vnum hoc est, id omne, vt a se mutatum, edidit. Qui vero haec inter se componentur? alio enim, oratio ipsa, alio spectat, quod est in margine. Si qua *Boylei* honestas et probitas est, vt est, huius, quod in margine notatum, auctor est: Sin aliqua intelligentia, et iudicium, vt etiam est, eius auctor esse non potest. Ingens, hic, pugna, eius honestatem inter et iudicium; atque ex animo velim, rem ad exitum peruenisse: Vnum scio, quo eam expediat. Quum opus ipsum sit scriptum *Londini*, *Parisiis* id, quod in margine, esse fortassis causam aliquam naturalem, cur tanta sit sententiarum istarum discrepantia.

De *Plinii* autem loco quid dicam? Quid? respondebo *Boyleo*, vbi, quae sit ei subiecta sententia, aperuerit. *Cluuerius*, vir doctrina aliisque virtutibus haud multo inferior *Boyleo*, quo eum expediret, non habuit. *Hinc mira breuitate*, inquit, Sicil. Antiq. p. 81. *et historiarum confusione* Plinius, *Zanclaei Messeniorum in Siculo Freto.* Huic viro, vt videtur, obscura fuerunt omnia, et *confusa*. Sed causa nulla est, cur me interponam: quoniam plane ostendi, male calculos subduxisse *Pausaniam;* vt sophistae vitio non vertam, quod nominet *Zanclaeos* (quae causa citati *Plinii* est), sed, quod de *Messaniis* loquatur, qui veri temporibus *Phalaridis* nec auditi, in *Sicilia*, nec cogniti.

Est hactenus quidem de *Zanclaeis*. Satis enim puto haec esse disputata. Ac scire velim a scriptore Censurae, *primo quoque* (p. 131.) *tempore, quo inter nos disseramus*, num ad-

huc in priſtina erga *principem* ſuum *Siculum* (p. 43.) fidelitate perſiſtat. Si faciat, valeat, habeat illum: quoad volet, veneretur ſuum *heroa* (his *Perkin Warbeck*).

V.

ΔΕ ΠΙΤΤΟΣ ΔΙΚΗΝ ΕΚΤΡΙΒΕΙΝ.

Orditur *Boyleus*, p. 134. hanc diſputationis partem a locis communibus, de eo, quod habeant lubrici et incerti ducta ex ſententiis et dictis argumenta. Vt opinatur ille, potuit non tantum *Siculus* ſuus *princeps* iisdem ſententiis, ſed vti quoque verbis *Herodoti*, *Euripidis*, aliorum; licet, vno et altero ſaeculo, iis prior fuerit. Hoc, vt vt abſurdum, non ſic ei abibit, vbi locus reſponſioni aptior.

Quaerit, p. 135. *Quomodo proho, dictum toti ciuitati negotium dediſſe?* ac ſibimet reſpondet ipſe; *Plane! quod ſenior aliquis, e numero ciuium, rem acu tetigit. Accuratum vero concludendi genus.* Quod ſi dimidio minore accuratione eſſet ille, in verbis alterius edendis, non impleuiſſet librum ſuum tam indignis fallaciis, quam quas intendit in lectores; quorum vnusquisque, ſi modo mea, vt in Diſſertatione ſunt, legerit, hominis integritatem videbit. Ait aperte *Herodotus*, toti ciuitati multum *negotii fuiſſe* (Πλανομένων Λαμψακηνῶν), atque ipſi etiam ſeni, qui *vix* tandem (*μόγις κοτὲ μαθὼν*) ſententiam expediuit.

Obſeruaueram, *Primos hiſtoricos orationes (Speeches) aliorum compoſuiſſe ipſos.* Tenet me *Boyleus*, p. 135. *Neque enim hoc* Croeſi *oratio (Speech) eſt, ſed nuncius (a Meſſage) duntaxat.* Accuratiſſima vero diſtinctio! Dic mihi, amabo, o bone, cum noua tua dialectica, quomodo definitur nuncius. Antea putabam, *nuncium eſſe orationem, quae mittatur:* quumque ventos, apud *Virgilium*, obiurget *Neptunus:*

Maturate fugam, regique hoc dicite veſtro,
Non illi imperium pelagi, cet.

id eſſe vtrumque, opinabar, et orationem, et nuncium. Et ſunt certe infinita talia in ſcriptis Poetarum et hiſtoricorum, nec non vſu hominum communi. Imo ſponſor mihi ipſe *Herodotus*; ait enim, Croeſum ALLOCVTVM (SPOKE) Lampſacenos *per nuncium (a Meſſenger):* Πέμποντα προσαγορεῦσαι.

Sed *non immerito ſuſpiceris*, inquiebam, Herodotum *primum hoc dicto vſum fuiſſe.* Hic inuehi in me *Boyleus*, et falſe rogare, p. 136. *Num* Herodotus, Lampſacenis, ait, *negotium fuiſſe in explicando dicto, quo primus vſus* Herodotus? *Num* Lampſaceni, *temporibus* Croeſi, *ſententiam expedire non*

poterant, non auditam ante, quam Herodotus, *centum inde annis, eam inueniret? Miror profecto, cui sit cerebrum, ad istud ratiocinandi genus delabi posse.* Quis neget, perinde hoc ingeniose, atque vrbane dictum? Sed vt mittam illud, vereor, vt magna inde ad scriptorem Censurae redundatura laus sit, si quis ex hoc ipso loco existimet, tantumne cerebri, quantum ille et ego putamus, habeat.

Quam sit falsus, satis apparet. Duplici via concludebam ego: Si ipsa *Croesi* verba dedit *Herodotus*, sequitur, vt sexennio minimum, quam fingantur, in epistola, sint recentiora: aut, si *Herodotus*, vt eius et ceterorum consuetudo historicorum est, *Croeso* dictum affinxit, a se inuentum, consequens est, vt integro saeculo sit epistola recentius. Ambo haec, pro sua sapientia, sumsit scriptor Censurae; ac disputat, quasi ego statuerim, vtrumque, in hac disiunctione, verum esse; et *Croesum* vsum dicto, et *Herodotum* illud inuenisse. Ecquis tale *ratiocinandi genus*, typis editum, legit ante, quam ille sua Censura literatos beauit, et istius suppeditauit copiam?

Quo clarius illustratam videat *Boyleus* ratiocinationis formam suae; Fecit suas *Achilli* orationes *Homerus*, perinde atque, ex mea opinione, *Herodotus Croeso*. Ac dudum censuerunt docti, quasdam illarum partes inuentas esse, et confictas, ab *Homero*. *Hoc dicitis, o boni!* exsiliuerit scriptor Censurae, Homerus, Agamemnonem, *refert, aegre tulisse dictum, quo primus sit vsus* Homerus? *Num* Troianis *metum attulerat verborum sententia, non audita ante, quam* Homerus, *quingentis inde annis, eam inueniret? Miror, profecto, quibus sit cerebrum, ad istud ratiocinandi genus delabi posse.* Vides, qua sit vsus ratiocinationis forma scriptor Censurae, ac respondere licet suis ipsi verbis, p. 137. *Haud dubie eum, qui hoc scripserit, alto fuisse somno sopitum, alioquin non potuisse tam temere effutire.* Sed magis etiam admirabile, contraque opinionem omnium id est, cuius rumor exiit foras, non solum *effutitam temere*, sed *meliorem* partem libri *Boyleani* conscriptam fortassis esse, cum *alto* esset *somno sopitus* ille.

Porro *Boyleus*, p. 137. *Si* Herodoto *habenda fides, dicto hoc vsus* Croesus *est; sin autem, quid erat, cur, ad probandum aliquid, adhiberetur ille?* En iterum, admirabilis conclusio! Eadem via, vno quasi ictu, *Thucydidis, Xenophontis, Liuii, Sallustii*, et quotquot sunt, historicorum tollere fidem poterit. Solent enim praefari, *Aliquem haec vel illa locutum his verbis:* tametsi nemo est, quin sciat, esse ipsorum orationes historicorum; nec raro vsu venit, vt alius aliam, eamque discrepantem plane, orationem eidem homini, eadem occasione, affin-

gat. Vt igitur scriptoris Censurae verbis concludam; *Si* Thucydidi *habenda fides, tali dicto vsus* Pericles *est; sin autem, quid erat, cur, ad probandum aliquid, adhiberetur ille?* Eodem gladio iugulare *Xenophontem*, ceteros, potest. Et metuendum est, ne partem nobilissimam veteris perdamus historiae, nisi clementior factus *Boyleus* conclusiones suas in eum locum, vnde illas, tanquam pugiones, expediuit, recondat.

At Croesus(p. 137.), *qui, quod nunciabatur, ei mox obediri, volebat, num iis verbis, quae intellectu haud facilia viderentur, sententiam explicasset suam?* Sic qua huius vis argumentationis est, in ipsius caput *Herodoti* recidit; qui aperte declarat, nuncium *missum*, sed esse *difficulter* intellectum. Intelligebant generatim *Lampsaceni* id quod nunciabatur: Redderent *Miltiadem;* nisi facerent, exscissum iri. Insunt in solo verbo, ἐκτρίψειν, minae terribiles; *exscindi* enim instar arboris cuius etiam cunque, poena satis grauis. Sed quae esset verbis, πίτυς δίκην, subiecta sententia, principio non assequebantur; cur *pinus*, et non alia arbor. Nec tamen hoc vanus fuisset factus nuncius, etiamsi nunquam, quae esset translati verbi ratio, inuenissent *Lampsaceni:* sed eos videmus, diligenti facta inquisitione, rem acu tetigisse: quo recte et iure defenditur *Herodotus* ab hac scriptoris Censurae calumnia.

Quod imperabatur, vt videmus, apertum erat et planum: Redderent *Miltiadi* libertatem; minae aliquid habebant obscuritatis. Atque hoc reprehendit *Boyleus*, vt dictum absurde. Sed vide, quam inter se summa differunt ingenia. Laudat enim vehementer *Demetrius*, in libro eleganti, περὶ Ἑρμηνείας, quod, simili occasione, dixerat *Dionysius Syracusius*. Nunciauit *Locrensibus*, *Nisi facerent, quod imperaret, eorum* cicadas τέττιγας *canturas humi.* Mandatum apertum; minae obscurae: ac fortasse, vt lepidus Censurae scriptor ait, p. 135. *negotium dederit praetori, et magistratibus, imo ipsi* Locrensium *scribae. Iam vero est in* ἀλληγορίᾳ *grande quoddam*, inquit *Demetrius, in primis in minis: vt, quum* Dionysius *ait*, Eorum cicadas canturas humi. *Nam si aperte dixisset*, se agros eorum vastaturum, siluamque exscissurum; *plus haberet acerbitatis, ac minus metuendus fuisset visus. Sed vsus est* ἀλληγορίᾳ, *vt eius obscuritate quasi minas inuolueret. Nam minarum significatio quo tectior, hoc terribilior est; quum alius aliud metuat. Stesichoro* dictum adscribit *Aristoteles*, de Rhet. l. II. et III. sed, quod ad rem ipsam attinet, nullius id momenti est. Sufficit, consentire eum in illo, Esse perinde ἀστεῖον, atque αἰνιγματικόν. *Boyleus* igitur sensuum et eius, quod deceat, non ne acerrimus aestimator est?

Gellius, vt obſeruabam, *Herodoto* ipſi, non *Croeſo*, adſcripſit: ſubiicit *Boyleus*, Fieri potuiſſe, vt non diſtincte loqueretur *Gellius*, nec *accurate perpenderet* id, de quo ageret: qua excuſatione rectius defendi rudia non neminis opera, quam *Gellius*, ſcriptor diligentiſſimus, poterunt. Sed, praeter eum, *Euſtathius* ait, ad Il. p. 37. „Ἐχεπευκὲς, apud *Homerum* va„lere *letale;* nam πεύκην, piceam, decacuminatione interire. „Quocirca obſeruandum, *inquit*, τὸ τȣ̃ Ἡροδότȣ, *hoc* Hero„doti; *De omnibus arboribus ſolam pinum, exſciſſam, nunquam* „*denuo a radice pullulare.* Nam, ſi picea et cupreſſus intereant „decacuminatione, quid eſt, quod, de ſola pinu, hoc affir„met *Herodotus?*“ En alius ſcriptor, non *diligentior Gellio:* nec fortaſſe diligentior eorum *Boyleus* erit, ſed, vt ſolet, plane dicet, neutrum eorum *habere cerebrum.*

Sed ante, quam ille cauſam deferat ſuam, vnum adhuc telum coniiciendum in *Anglica*, *a Pine-tree lopt (pinum decacuminatam)*, quibus reddidi *Gellii Pinum caeſam. Male*, inquit, p. 136. *hoc redditum eſt*, *pro* cut down (exſciſſam). *Pinum enim interire decacuminatione, nouum eſt, et incognitum naturae inueſtigatoribus.* His, puto, *naturae inueſtigatoribus*, quibuscum res mihi eſt, nouum eſſe poteſt; illis, qui aut *Plinium* legerunt, aut *Theophraſtum*, non poteſt. *Similem et decacuminatio rationem habet*, inquit *Plinius*, XVII. 24. *cupreſſi, piceae, cedri: hae enim, detracto cacumine, aut ignibus aduſto, intereunt.* Et *Theophraſtus*, de Cauſ. v. 24. *Abietem*, ait, *piceam, pinum, palmam, et, vt nonnulli aiant, cedrum et cupreſſum interire decacuminatione*, κατὰ τὴν ἐπικοπήν. *Dici autem* ἐπικοπὴν (decacuminationem), *quum rami detrahantur, et abſcindatur cacumen.* Hoc, vt apparet, *nouum* ſcriptori Cenſurae; quare, haud ingratum ei fore, ſpero; reſtant enim adhuc multa dicenda ante, quam ei vale dicam.

Praecipuum, quo, hic, animum intendebam, vt apertum ſophiſtae indicium, id erat, quod ipſis *Herodoti* verbis vtebatur, πίτυς δίκην ἐκτρίβειν; aliis, qui prouerbii meminere, verbis leuiter diſcrepantibus, quum habeant, πεύκης τρόπον κόπτειν. Hoc, vt planum indicium, accipiebam, habuiſſe eum ante oculos *Herodoti* locum; vt, quum dictum citat *Euſtathius*, p. 32. expreſſe eum auctorem citat. Atque, ita *Aelianum* ad eum reſpexiſſe, apparet, quum, Var. Hiſt. VI. dicat, τὸ δαιμόνιον παραχρῆμα ἐκτρίβον τυράννας πίτυς δίκην. Iam autem ſcriptor Cenſurae, vt ſaltem vnum aliquod hic exſtaret prudentiae ſuae exemplum, ſilentio hoc praetermiſit. Atque, *incenſum ſe*, ait, p. 134. *fuiſſe cupiditate totam hanc Diſſertationis meae partem intactam relinquendi.* Cupiditas vero

innocens! Quanto fuisset satius, ei cedere, quam vtraque, et dialectica, et critica, tam turpiter abuti?

VI.

DE TAVROMINIO.

Opposuit *Boyleus*, p. 132. *Bifariam insistere* Diodorum, *in exponenda ratione conditi* Taurominii: *Altero in loco*, Siculos, *ait*, *primos vocasse* Taurominium, *Olymp.* XCVI. 1. *in altero*, Andromachum *sic nominasse*, XL. *circiter inde annis. Vtrumque accommodatum esse proposito meo, confitetur; quum vero inter se repugnent, neutro standum esse.* Durum vero. Quid? neutro standum? Ne hoc quidem, vt inde concludas, Vrbem saltem non fuisse conditam CL. amplius, ante priorem, e duobus, temporis articulum, annis? Est hoc ex eo genere ratiocinandi, quod nouissime nobis apposuit. Optime omnium eiusmodi argumenta refutabis, non contra dicendo, sed iis vtendo: nam, si modo leuiter tentes, plumbeos esse pugiones, compertes, quorum mucrones retundantur celerrime. Experiamur itaque vno et altero exemplo. Exstant variae opiniones, de anno, quo sit natus ille humani generis sotet; et, *quum inter se repugnent, earum nulla standum:* vt non possis inde concludere, temporibus *Maccabaeorum* posteriorem fuisse. Sunt, qui dicant (vid. *Diod.* p. 246.), *Halesam*, in *Sicilia*, conditam ab *Archonide*, Olymp. XCIV. 2. alii vero, a *Carthaginiensibus*, Olymp. XCIII. 4. *Repugnant haec inter se, ac neutro standum.* Potest ergo perinde antiqua esse vrbs, ac *Troia*. Fuit, qui mihi narraret, scriptorem Censurae annos esse natum XXIV. alius vero, qui XXV. Iam autem, *hae narrationes inter se repugnant, et neutra standum:* idcirco credere licet, esse hominem quinquagenarium.

Quod ad duo *Diodori* testimonia attinet; prius verum opinor: idcirco posterius sic expressi, vt cum altero cohaereret. Posterius quidem mauult *Cluuerius;* sed nondum cum eo sentio, quod *Diodorus* vrbem *Taurominium* vocat, Olymp. XCVI. 1. (p. 282.) Olymp. XCVI. 3. (p. 305.) et Olymp. XCVII. 1. (p. 309. 310.) ter, ante factam *Andromachi* mentionem.

At fuerunt ab antiquis inde temporibus, qui in locis habitarent montosis circa Naxon, *vbi* Taurominium *situm* (p. 132.). Bene iterum; ac propterea *Taurominium* conditum longe ante tempora, a *Diodoro* notata. Vtar huius quoque forma argumenti, eritque hoc pro *responsione*. *Arrianus*, l. III. p. 230. *Alexandrum*, ait, condidisse *Alexandriam* ad *Caucasum*. *At fuerunt ab antiquis inde temporibus, qui in locis istis montosis habitarent*, vt

ipse confitetur; ibid. Ἐγενήθησαν πολλοὶ ἄνθρωποι· *Complures*, inquit, *fuerunt*, *qui in monte habitarent*. Planum itaque est, *Alexandriam* ad *Caucasum* fuisse ante, quam vnquam ibi fuerit *Alexander*. Cedo nunc, hoc gladio nonne iugulatus est *Arrianus?* Quis est autem historicorum, cuius sit melior futura conditio, quum disputandi cupiditate inflammatur scriptor Censurae?

Quid? *quod populus* (p. 133.) *potuit vocari* Tauromintanus *ante conditam vrbem; et obseruandum est*, Phalarin *nominare populum*, *et non ciuitatem; nec iis vti verbis*, *quibus significetur*, *illos in corpus ciuile formatos*, *aut alicuius fuisse ciuitatis*. Memini, dictum alibi a *Boyleo*, *Ostentationem ineptam scientiae quibusd in obseruationibus adferre venustatem (that there's a Quaintness of Pedantry in some Obseruations)*. Potuisset, si libuisset, etiam *obseruare*, *Phalarin* mentionem facere *Syracusiorum*, nunquam autem vrbem *Syracusas* nominare: num ideo *nullius ciuitatis sunt Syracusii?* Quod si hac tam parui momenti obseruatione funditus euerti ciuitates possint; nunc duce et auctore *Boyleo*, terribilior, quam, quum viueret, tyrannus erit.

Cur non vrbis *Taurominii*, sed populi duntaxat, meminit, obscurum non est. Cum enim nec ceperit vrbem, nec oppugnauerit, nec illuc taurum transtulerit in spectaculum, nec quidquam illic fuerit, quod ad eum attineret, quid esse tandem poterat, cur illius meminisset? Cum populo autem res quaedam ei fuerunt; nam ait, *Eos iniustum sibi bellum intulisse; redemisse captiuos*, *pretio communiter constituto; ac se remisisse istud pretium communiter iis*, *petente* Stesichoro. vid. ep. XV. (IC.) XXXI. (IIC.) XXXIII. (C.). Ac profecto satis aperte hic indicat, *eos in corpus ciuile formatos*, *et alicuius fuisse ciuitatis*. Nisi adeo pertinax *Boyleus* est, vt etiam *praetoris*, *magistratuum*, *et ipsius scribae*, nomina requirat, ad probandum, fuisse ciuitatem.

Addit *Boyleus* locum, ex *Vibio Sequestre:* Taurominium *dici*, *a fluuio vicino*, *cui nomen* Taurominius. Et cogit, *Perinde esse populum potuisse* Taurominitanum, *ac fluuium* Taurominium *ante*, *quam esset ciuitas* Taurominium. Conatur aciem mentis nostrae praestringere bellus iste minuta conclusiuncula: *Si fluuius*, Taurominius; *Ergo populus*, Taurominitanus. Quod si *Taurominitani*, genus pileum esset, argumentum hoc, a *fluuio* sumtum, magnum momentum adferret ad probandum. Sed, saluo *Boylei* iudicio, crediderim ego, *Taurominitanos* naturae humanae, vt reliquos *Siculos*, fuisse participes.

Sed obseruandum, quod dixit scriptor Censurae, p. 133. *Si Vibio Sequestri habenda fides est.* Haud dubie sibimet tacite

respondit, non esse habendam. Videtur enim *Boyleus* locum hunc *Vibii* sumsisse e *Cluuerii* Sicil. p. 90. 91. Sed, quae summa eius integritas est, silentio dissimulauit id, quod ibi probaret *Cluuerius*: *Errasse* Vibium; *nam flunio istuc nominis fuisse ab vrbe, non vrbi a flunio; quem non* Tauromimium *vocatum, sed* Onabalam, *vsque in tempora* Augusti, *et vltra*, i. e., inde vsque a condito *Tauromimio*, CCCC.

Verba *Vibii Sequestris*, de Fluuiis, haec sunt: *Tauromimius, inter Syracusas et Messanam, a quo oppidum Tauromimium; quod oppidum aliter Eusebouεora dicitur.* Debuerat *Boyleus*, pro magna, qua est, eruditione, locum hunc pluribus verbis adscribere, et emendare. Vitium, vt opinor, apertum satis; cui enim auditum vnquam *Eusebouεora? Cluuerius* corrigere voluit; *Eusebio Naxos*. Nolo equidem disputare, de viri doctissimi emendatione, sed aliam solummodo proponam; *Eusebon Cora*. Voluit ille Εὐσεβῶν Χῶραν, *Regionem Piorum;* quod nomen loco prope *Tauromimium* et *Catanam*, a celebri illo facto *piorum fratrum*: qui, igne ex *Aetnae* vertice erumpente, quum ad aedes suas liquefacta defluεret massa, parentes, aetate prouectos, in humeres suos extulerunt, et, relictis propriis fortunis omnibus, cum iis aufugerunt. Exstat, ea de re, *Cononis* narratio, 43. vbi haec clausula: Διὰ ταῦτα οἱ Σικελιῶται τὸν χῶρον ἐκεῖνον Εὐσεβῶν χῶραν ἐκάλεσαν· *Hanc ob caussam*, inquit, Siculi *vocarunt* ΕΥΣΕΒΩΝ ΧΩΡΑΝ, *Regionem Piorum*. Idem narrat *Lycurgus*, contra Leocrat. p. 60. additque, *Ab illo inde tempore locum nominatum* ΕΥΣΕΒΩΝ ΧΩΡΟΝ. *Aristoteles*, Θαυμ. *Strabo*, VI. et *Pausanias*, Phoc. *fratres* appellant ΕΥΣΕΒΕΙΣ; ac PIOS FRATRES *Claudianus*, Epigr. 35. Locus a *Solino*, c. 5. CAMPVS PIORVM dicitur. Teste *Aeliano*, apud *Stob.* Serm. 77. ignis iste erupit, Olymp. LXXXI. Sed suspicor, mendum esse in numero.

Vt autem ad id, de quo disceptatio est, reuertar; sunt alia nobis in promtu firmissima argumenta, quibus, quae sunt a *Diodoro*, de origine *Taurominii*, tradita, confirmentur. Nam *Plinius* et *Solinus* aperte dicunt, Taurominium *esse eam ciuitatem, quae antea nominaretur* Naxos. Non potuit itaque *Tauronominium* esse ante *Naxon* excisam. Sed constat, vrbem dirutam a *Dionysio Syracusio*, (*Diodor*. p. 246.) Olymp. XCIV. 2. Ac septennio post, ait *Diodorus*, *Tauromininm* conditum, Olymp. XCVI. 1. Plana et aperta omnia, nec quidquam est in tota narratione, quod non cohaereat cum reliquis, iisque confirmetur. Accedit *Herodoti* l. VII. auctoritas, qui vrbem *Naxon*, ciues *Naxios*, vocat, circa Olymp. LXX. atque ita *Thucydides*, l. VI. Olymp. XCI. 2. Imo ipsi numi *Taurominitano-*

rum manifesto testimonio sunt, eos a *Naxiis* profectos esse. Sunt apud *Parutam* quinque numero, in quibus hinc TAY-POMENITAN; inde caput *Apollinis*, cum inscriptione, AP-ΧΑΓΕΤΑ. Iam autem in *Apollinis* Ἀρχαγέτα tutela *Naxii* erant. Chalcidici Euboei, inquit *Thucydides*, l. VI. *condiderunt* Naxon, *aramque* Apollini Archagetae *consecrarunt, quae adhuc extra vrbem est.* Ac testis *Appianus* est, de Ciuil. B. v. p. 1162. *Tauromenitanos* fuisse in tutela *Archagetae eiusdem, cui a* Naxiis *dicata ara et statua.* Sed ei omnium firmissimo testimonio sunt numi *Taurominitanorum*; et inter rerum antiquarum inuestigatores conuenit, esse eam caussam inscriptionis, vt ne memoria *Naxiorum*, vnde essent prognati, obliteraretur.

Tetigit hoc, contra Epistolas, e tempore conditi *Tauromi-nii* ductum, argumentum scriptor Censurae, in Praefatione, *Phalaridi* praemissa. Et est insuetae in eo moderationis exemplum, quod me furti non insimulauit. Potuerat eodem id iure facere, ac me accusauit, quasi *compilauerim pauperes suas Notas*, et sua *Vizzanium* et *Neueletum* laude priuauerim; qua de re postea. Sed aperiam lectori, quae caussa sit, cur non furem hic literarium me dixerit. Et in Praefatione, et in Indice, ait, Naxum *a* Dionysio IVNIORE *dirutam*, *teste* Diodoro. Iam, si quis inspexerit modo *Diodorum*, vel, vt *Boyleus* ait, *oculos* in eum *coniecerit*, fieri poterit, vt isto errore ducatur: quod strictim illud attingitur, vbi res *Dionysii*, filii, exponuntur, p. 411. Sed re vera *Naxos* euersa fuit a *Dionysio*, PATRE, Olymp. XCIV. 2. i. e. XXXV. annis ante, quam ad regnum accessit alter. vid. *Diodor.* p. 246. Admonuit igitur *Boyleum*, vt opinor, huius, in Praefatione, turpissimi mendi, nescio quis, qui ei opera sua adfuit; atque ita culpae suae conscientia ab ampla hac occasione insimulandi me deterritus est. Sed, si lectori libuerit videre, quemadmodum in hoc argumento versatus fuerit vterque nostrum; nihi erit amplius, in quo eius aequitatem animi desiderem. Haec typis descripta iam erant, quum viderem, errasse me, quando opinarer, scriptorem Censurae errorem animaduertisse suum: perseuerat enim adhuc in falsa, de *Dionysio Iuniore*, opinione, p. 183. Censurae: et tam est insipiens, vt dicat, me argumentum ab eo sumsisse *commodato*, neglecta, *quae inde capi posset*, *vtilitate*.

At quaerit ex me, p. 133. *Vnde resciui*, Phalarin *concrematum in tauro?* Ex Ouidii Ibi:

Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bouis, Paphio clausus in aere, gemas.

et veteri scholiasta, ad eum locum: *Phalaris ipsemet, resecta lingua, in taurum aeneum coniectus est. At*, contra *Boyleus, tu*

moraris scriptorem ineptum versuum in Ibin? Supra p. 28. *Ouidius* inter summa ingenia, quae tulit antiquitas, erat, et tanto praestantior *Manilio*, quanto *Therfite* pulchrior *Nireus*. Hic, contra, *scriptor ineptus* est. Equidem intelligo, moleste ferre *Boyleum*, quod quis ei contradicat, ac solum velle in semet istoc vrbanitatis genere vti. Cedo, autem, cur adeo durus in *Ouidium*. Cur nulla ei fides habenda, in quaestione historica? Eumne notare *Boyleus*, tanquam qui *mentiendi profiteatur artem* (p. 164.); ad quod *natos et aptos poetas* omnes, facere ait? In tanta rerum varietate, quae tanguntur in *Ouidii* Ibi, e quadraginta ne vnica quidem est, cuius, praeter ipsum poetam, non habeamus etiamnum sponsores idoneos. Et habuit haud dubie reliquarum auctores, etiamsi nunc non exstent. At *grauis* alicuius *scriptoris*, et non *inepti poetae*, testimonium requirit *Boyleus*. p. 133. Citaueram *Heraclidem Ponticum*, scriptorem grauissimum et eruditissimum; at ille: *Falso* me citare; aut *vti exemplo* Heraclidis, *quod non viderat*, p. 133. 117 Quid viderit *Boyleus*, quid non, eius adiutoribus, quam mihi, notius. Sed, in omnibus *Heraclidis* exemplis, satis, vt opinor, indicatur, *Phalarin* in tauro concrematum: *Graecis*, puta; nam in *Latinis*, quae illis nonnunquam facilius *legi* possunt, id expressum non est. Phalaris, inquit *Heraclides*, in Polit *nonnullos in tauro suo aereo concremauit; sed eum vlta est multitudo, atque etiam matrem eius, et amicos concremauit*: Ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα. Si concremauit matrem *etiam*, certe id indicat, *Phalarin* ipsum concrematum. Quid, quod eum concremare neglexissent *Agrigentini*? Iam erat accommodatum supplici genus, tam facile ad eius cogitationem excitari memoria poterat, vt credibile non sit, eos si viuum in potestate haberent, non fuisse in tauro concrematuros. Auctor *Tullius* est, de Offic. II. 7. *In eum vniuersam* Agrigentinorum *multitudinem impetum fecisse*. Satis hoc cohaeret cum illis, quae de eo refert *Ouidius*; nam *impetum fecit in eum multitudo*, et prehensum in taurum rpuit. Quod ad *Valerium Maximum* attinet, qui, III. 3. *Coopertum lapidibus fuisse*, narrat, *hortante Zenone Eleate*; manifestum est; eum *Phalarin* sumsisse pro *Nearcho*; qui *Veliensium*, in *Italia*, tyrannus fuit, centum post *Phalarin* annis. vid. *Laert.* in Zenon. Eleat. *I. Tzetzes*, Chil. p. 95. auctor est, *Plumbeo eum vestimento indutum, fame periisse:* sed vix dignus is est, cuius ratio habeatur; aut si est, tres auctores sunt, eum *concrematum* fuisse, *fame necatum*, solus ille.

Vt autem caput hoc concludam; suis nunc momentis rationes pondeiemus, quas nostrum vterque, scriptor Censurae, et ego, protulimus. Hinc *Diodori*, *Plinii*, *Solini*, *Thucydidis*, *He-*

rodoti, testimonia, et numi *Taurominitanorum* sunt: illinc opiniones duae falsae, duae conclusiones malae, et vnus *iocus festiuus* (*one refreshing Quibble*, p. 133.): nam iocus illius est ex veteri dicto, *Qui caput, ille facit.*

VII.

DE ΛΟΓΟΣ ΕΡΓΟΥ ΣΚΙΑ.

Notat *Boyleus*, p. 138. inter eos, qui sibi dictum hoc, Λόγος ἔργου σκιά, vindicant, *secundum* Democritum *me iudicasse, grauissima de causa; quod ceteroquin nullus eius vsus esset in hac controuersia.* Quae verba partim inuersa, partim falsa sunt.

Secundum *Democritum* iudicaueram, non vt esset, quod in rem praesentem conuerterem; sed iusta et certa de causa. Duo sunt, qui *Democrito*; singuli, qui singulis reliquorum dictum adscribant. Imo tertium in causam *Democriti* nunc addam: Πένταθλος, inquit *Suid.* voc. Πέντ. ὁ Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης, κ. τ. λ. Τούτου ἐστὶ καὶ τὸ, Λόγος ἑρμοῦ αἰκίη· i. e. *Oratio Mercurii flagellum*, vt reddiderunt *Wolfius* et *Portus*. Sed reponendum, Λόγος ἔργου σκιή. Et, praeter numerum, ipsa testimoniorum, pro *Democrito*, quam reliquorum, momenta maiora sunt, in huius generis quaestione. Nam *Isidorus*, scriptor *Christianus*, minus erat in libris *Graecorum*, quam *Plutarchus* et *Laertius*, versatus; et *Psellus* recentiori, vt opinor, memoria est, quam qui componi cum illis possit; quum mille a *Plutarcho*, a *Laertio* nongentorum annorum interuallo, absit. Haec itaque inuersa a *Boyleo*.

Altera pars, vt aiebam, falsa est; vbi, *Ceteroquin*, inquit, *nullus eius vsus esset in hac controuersia:* et p. 139. *Si quis illorum, praeter* Democritum, *id habet, eo* Phaleris *postea vti potuit.* Quis is dicet tandem, qui talia dicit, *pari habita veritatis atque honestatis ratione?* Si *Simonidi* adscribimus, eo *Phalaris* postea vti potuit? Etiamsi manifestum sit, valde puerum fuisse *Simonidem* vltimo vitae tempore *Phalaridis* (v. supra, p. 20. 21.)? Notaueram hoc in mea Dissertatione: nec quidquem contra *Boyleus*; et tamen, ex ore suo haec tam plumbea excidere, passus est. Quid? Si audiamus *Isidorum*, dictumque *Lacedaemoniis* assignemus; mirum profecto, nisi *Phalaridis* aetate recentius est. Nam si dicta *Laconica*, a *Plutarcho* collecta, consideremus, de quinque partibus quatuor videbimus temporibus *Phalaridis* recentiores.

Sed negat *Boyleus*, p. 138. verba *Plutarchi*, κατὰ Δημοκρίτου, indicare, *Habuisse eum* Democritum *dicti auctorem, sed tantum inuenisse illud in scriptis* Democriti. Taedet profecto re-

ſponſionis ad haec tam ieiune diſputata. Alio in loco, idem auctor, Κατὰ τὸν Σιμωνίδην, inquit,

Ἄθηλος ἵππῳ πῶλος ὡς ἅμα τρέχειν·

et, Κατὰ τὸν Πλάτωνα, Λόγου κουφοτάτου πράγματος βαρυτάτη ζημία. Non, primos harum ſententiarum auctores fuiſſe *Simonidem* et *Platonem*, hic indicat *Plutarchus?* Nihil in eius, et ceterorum ſcriptis tam eſt obuium, quam κατὰ τὸν Αἰσχύλον, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, κατὰ τὸν Μένανδρον, et ſim. Iam autem, ſi *Boyleo* demus, Non eſſe hos auctores dictorum, quae iis attribuantur, ſed illa, aliunde ſumta, ſibi arrogaſſe; quod ſcriptores, tot numero fures erant literarii.

Vrget porro, p. 138. Laertium *referre*, Solonem *ſolitum fuiſſe dicere*, Λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων· *vt* Democritum *auctorem non faciat huius, de quo ſermo ſit, dicti.* Sed, bona cum venia ſcriptoris Cenſurae, intereſt inter Λόγος εἴδωλον τῶν ἔργων, et Λόγος ἔργου σκιά· quod niſi voluiſſet *Laertius*, vtrumque non nominaſſet. Si in *Phalaridis* Epiſtolis legeretur, Λόγος εἴδωλον τῶν ἔργων· nunquam inde duxiſſem argumentum, contra Epiſtolas: quod *Solonis* memoria tam antiqua, quam illa *Phalaridis*, eſt. Quum vero legatur, Λόγος ἔργου σκιά· quae, vt *Plutarchus, Laertius*, et *Suidas*, affirmant, ipſa verba ſunt, quibus ſententiam iſtam expreſſit *Democritus*, argumento tam firmo id eſt, vt labefactari nulla ratione poſſit.

Sed, ex *veteri dicto: Nihil eſt dictum, quod non dictum prius; opinatur*, p. 137. 139 Λόγος ἔργου σκιά· *centies potuiſſe dici ante, quam celebre fieri coeperit nomine* Democriti. Video, *dicti veteris*, de quo loquatur, ſententiam non eſſe aſſecutum *Boyleum*. Primus vſus illo eſt *Terentius*, Prol. Eunuch. vbi, *quum iisdem*, quibus *Menander*, perſonis eſſet vſus, ſemet excuſauit, verſibus his elegantiſſimis:

Quod ſi perſonis iisdem vti aliis non licet;
Qui magis licet currentes ſeruos ſcribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſeruum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt IAM *dictum, quod non dictum ſit prius.*

Excuſationem adfert, *Quod nullae amplius perſonae erant, quibus non eſſent ante ſe iam vſi poetae* (exſtabant enim iſto tempore bina millia amplius comoediarum *Graecarum*, praeter *Latinas*); *vt nullum eſſet* IAM *dictum, quod non dictum eſſet prius. Iam*, inquit, i. e. *ſua aetate*, quae tot numero poetis eſſet poſterior: Sed idem abſurdiſſimum, ſi ex ore exiſſet *Epicharmi*, aut alius e primis poetis comicis. Nec minus abſurdum eſt,

quod ex hoc *dicto* cogit scriptor Censurae, dicti alicuius primum auctorem esse non potuisse *Democritum*, qui tam prope ab origine eruditionis abesset. Vnumquodque certe dictum initium habuit; nisi *Boyleus*, mundum et genus humanum, sicut nunc est, perpetuo fuisse, opinatur. Sed ipse argumento firmissimo est, contra suum, *Nihil est dictum*. Insunt enim talia *Nostra* in eius libro non pauca, tam priua et peculiaria errorum exempla, quam quae nec subierunt animum, nec ex ore alicuius exierunt ante eum vnquam.

VIII.
DE ΑΘΑΝΑΤΟΣ ΟΡΓΗ.

Dixeram, versum iambicum, citatum ab *Aristotele*,

'Αθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν,

ortum videri a scena. Displicuit hoc scriptori Censurae; nam aggressus me est quaestione hac difficili, p. 240. *Cur potius ortum a scena, quam ex* Archilochi Iambis, videtur? *cuius fragmenta eiusmodi* sententiarum, quae in prouerbium venerunt, *plena sunt.* Dicam, cur a scena potius, quam *Archilocho, videtur.* Primum, quia temporibus *Aristotelis* tot milleni versus *iambici* e scena, quot singuli *Archilochi*, erant. Comoediae veteris fabulae numero erant CCCLXV. vid. Prolog. ad *Aristoph.* mediae, DCXVII. imo *Athenaeus*, p. 366. semet, ait ipsum legisse DCCCC. amplius fabulas mediae comoediae. Adde tragoedias, quae haud dubie reliquis plures fuerunt; ac merito existimabis, tot integras fabulas exstitisse temporibus *Aristotelis*, quot singulos versus iambicos in vniuersis *Archilochi* carminibus. Dein, quod eo ipso in loco, vbi hanc sententiam citat *Aristoteles*, alias non paucas habet: quas omnes, excepta vna, constat, a scena profectas esse, ex *Euripide* et *Epicharmo:* et est veri valde simile, esse illius etiam eandem originem. Iam autem vicissim quaerere ex scriptore Censurae liceat: Quid velit, quum dicat, *Fragmenta Iamborum* Archilochi, *eiusmodi sententiarum, quae in prouerbium venerint, plena esse?* Nam, vt opinor, ne quidem decem versus iambici *Archilochi* nunc exstant; et duo non amplius sunt sententiae, quae in prouerbii consuetudinem venerunt. Ait, p. 285. *Ad colligenda Fragmenta me valde aptum esse, eamque operam mihi successisse.* Vbi vero protulerit istos iambicos versus ex *Archilochi* Fragmentis, istiusmodi sententiis *plenis*, illum, quam me, aptiorem ad id esse, agnoscam.

Concludebam, si hic versus iambicus esset a scena, *non posse non esse* Phalaride *recentiorem, cuius esset cunque, siue tra-*

gici, *siue comici*, *poetae*. *Negat Boyleus*, p. 140. *se vlla ratione id posse concedere*; *habere enim persuasissimum*, *vtrosque*, *et tragicos*, *et comicos*, *poetas fuisse ante tempora* Phalaridis. Ac *tragoediae* quidem originem in aliud caput referuat; de *comoedia* autem; *Susarionem* inducit, qui inuenisse eam ante tyrannidem *Pisistrati* dicitur.

Conducit scriptori Censurae, quod nuuquam magis errat, quam cum contracta fronte vehementissime loquitur, et os suum ostendit audacissime. *Negat*, *vlla se ratione id*, *quod vellem*, *posse concedere*, *et persuasissimum* habet. Sed hoc ei dico, vt amplius sit, quod sibi *persuadeat*; Etiamsi demus, actas fuisse, paullo ante, aut temporibus *Phalaridis*, fabulas; non inde consequi, Vt istum versum *Phalaris* citare e poeta, siue tragico, siue comico, potuerit.

Primum, quia *versus* est *iambicus*; ac dudum inuenta comoedia et tragoedia ante, quam numeri istius vsus, in iis, fuit. De hoc, *Aristoteles*, quantum quidem attinet ad tragoediam; *In tragoedia*, inquit, Poet. c. IV. tetrametri versus *commutati sunt cum* iambicis. *Nam primum* tetrametris *vsi sunt poetae*, *quod* trochaeus *saltationi aptior est*: Τὸ μὲν πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο· et sic, Rhet. III. 1. Atque similis ratio comoediae: quia, teste *Donato*, *Comoedia vetus*, *vt ipsa quoque olim tragoedia*, *simplex carmen fuit*, *quod chorus cum tibicine concinebat*. Fuit igitur, cur ibi etiam, *tetrametro* potius vterentur, quam *iambico* versu; qui, vt idem *Aristoteles* obseruat. Poet. C. XXIV. et IV. *rebus agendis*, quam saltationi, *sermoni*, quam cantui, aptior.

Dein, quia comoedia et tragoedia in initio, *Athenis*, non alia, atque ludicra erant *ex tempore* nata, non arte facta carmina: diuulgabantur nunquam, nec seruabantur scribebanturve; sed, quemadmodum nunc in circulatorum scenis ludiorum oblectamenta, praesenti duntaxat coronae, atque ita obliuioni, dabantur. Rem declarat *Aristoteles*; *Vtraque*, inquit, Poet. IV. *et tragoedia*, *et comoedia*, *in initio*, *edita* EX TEMPORE: Γενομένη ἐν ἀπ' ἀρχῆς ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΤΙΚΗ, καὶ αὐτὴ καὶ ἡ Κωμῳδία et *Maximus Tyrius*, valde probandus auctor, Differt. XXI. *Choros duntaxat fuisse puerorum et virorum*, ait, *quum rustici vicatim*, *post sementem et messem*, EX TEMPORE *cantus ederent*: Ἄσματα ᾄδοντες ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑ. *Donatus*, siue quisquis auctor est libelli, de Comoedia, Thespis *autem*, inquit, *primus haec* scripta *in omnium notitiam protulit*. Sed aetate tyranno posterior fuit ille, vt mox planius apparebit. Vt istis temporibus, quum fabulae non *scriberentur*, in hunc versum *Phalaris* incidere non potuerit;

nisi *clam* trans mare ad ludicra, quae in vicis *Atticis* celebrarentur, eum transtulerit *Boyleus*.

Atque hac de causa forte plerique, qui de origine comoediae sunt locuti, silentio praetermiserunt *Susarionem*, et ceteros, qui iisdem temporibus vixerunt: eiusque inuentorem fecerunt *Epicharmum*. Nam, vt videtur, nihil in eo genere *scriptum* fuit, et in posteritatis memoriam propagatum, ante *Siculi* istius tempora. Idcirco planissime *Theocritus*, Epigr. 17. *Epicharmum comoediae* INVENTOREM facit:

"Ατε φωνὰ Δώριος, χ' ὡ'νὴρ ὁ τὰν Κωμωδίαν
Εὑρὼν Ἐπίχαρμος.

Comoedia, inquit *Themistius* Orat. XIX. *ab antiquis temporibus* ORTA *est in* Sicilia: *inde enim* Epicharmus *et* Phormus. Epicharmus, inquit *Suidas*, v. Ἐπίχ. *et* Phormus *comoediam* INVENERVNT Syracusis. Et, in descriptione *Siciliae*, *Solinus*: *Hic* PRIMVM INVENTA *comoedia*. *Sunt*, *qui putent*, inquit *Diomedes*, p. 486. Epicharmum PRIMVM *fecisse comoediam*. De *Susarione* quidem obscure *Aristoteles*, Poet. c. 3. sed ita loquitur, vt tantum non declaret, se secundum *Epicharmum* iudicare. *Comoediam*, inquit ille, *vt a se inuentam*, *vindicant* Megarei, *vtrique*, *qui hic sunt* (*Megarei Atticae* vicini), *et illi*, *in* Sicilia: *nam inde* Epicharmus, *qui aetate longe prior* Chionide *et* Magnete. Quum, Megarei, inquit, *qui hic sunt*, forte ad *Susarionem* respicit, cui patria ista *Megara*: aperte tamen indicat, non magno id iure ab illo vindicari, quum nomen eius praetereat. Potuit ei tribuere lusus quosdam *ex tempore* natos, quae prima comoediae initia dixeris; et id quidem totum est, quod ei concedi possit. Atque in hoc omnes consentiunt, qui comoediam tragoedia recentiorem faciunt; nam iidem, *Thespin*, opinantur, inuentorem esse tragoediae, qui viguit circa Olymp. LXI. *Horatius*, postquam progressionem commemorauerat tragoediae, et carminis Satyrici, *Successit*, inquit, Art. Poet. 281. *vetus his comoedia*. *His*, inquit vetus scholiasta, *scil. Satyris et tragoediae*. Et plane *Donatus*, de Comoed. affirmat, *Tragoediae originem illa comoediae antiquiorem esse*, *ratione argumenti perinde*, *atque temporis*, *quo sit inuenta*.

Quod si igitur *Epicharmus* primus comoediam scripsit, apparebit mox, verum *Phalarin* non potuisse versu iambico a scena vti. Nam constat, vixisse *Epicharmum* temporibus iisdem, quibus *Hieronem Syracusium*: v. *Plut.* schol. *Pind. cet.* et vtrumque ad Olymp. LXXVII. 1. *Charete Athenis* magistratu, refert auctor Marmoris *Arundel.* quod a morte *Phalaridis* abest annos LXXVIII. Licet *Epicharmus* vixerit diutissime, in

annum, vt vult *Laertius Epich.* XC. vel, vt *Lucian* in Macrob. XCVII. Fac autem, maiori, ex his, annorum numero vitam eius terminatam; finge porro, eo ipso anno, ad quem refertur in Marmore (etsi verisimile non est) mortuum esse; fuerit tamen annos non amplius, natus XVIII. vltimo regni *Phalaridis:* quae aetas fortasse nondum apta videbitur ad res inueniendas: neque enim magnorum ingeniorum omnium ea natura est, vt tam celeriter maturitatem consequantur, quam illud *tironis* cuiusdam *in scribendo* (Praef. p. 3.), de quo fama ad me venit.

Aut si qui *Epicharmo* iunctus est, *Phormus* primus habetur poeta scenicus: non meliorem res exitum habebit: nam is etiam posterior est, quam qui in causa Epistolarum alicuius sit momenti. Scribitur varie eius nomen, et quidem apud *Athenaeum* et *Suidam* est Φόρμος, *Phormus*; sed apud *Aristotelem*, Poet. c. v. Φόρμις, *Phormis.* Apud *Themistium* legitur Ἄμορφος, *Amorphus*, quod manifesto corruptum. Sunt, qui, apud *Aristotelem* etiam scribendum, putent, *Phormus:* sed, si verum est, quod refert *Suidas*, in Φόρμ. *fuisse amicum* Gelonis Syracusii, et liberorum eius custodem; non potest non esse *Phormis.* Nam idem ille *Phormis* est, qui, vt copiose narrat *Pausanias*, Eliac. I. in magna existimatione fuit apud *Gelonem*, quique ei successit, *Hieronem:* atque id, vt opinor, argumento certissimo est, non inuenisse hunc comoediam iam tum, quum vigeret *Phalaris.*

Ad summam, ex iis, quae disputata sunt, apparet, vt opinor, concedenda esse haec quatuor: Testimonia, pro *Epicharmo*, plura et grauiora esse illis, pro *Susarione:* Non potuisse *Phalarin*, si primus poeta comicus fuerit *Epicharmus*, citare locum e comoedia: *Susarionis* etiamsi aliqua in inuenienda comoedia fuerit opera, fuisse tamen ludicra, ex *tempore* celebrata, nec, vt diuulgarentur, perscripta vnquam, incognita adeo *Phalaridi:* ac denique, Si fuerint diuulgata, veri esse similius, fuisse tetrametros, aliosque versus, choris saltantium et canentium aptos, quam iambicos. Tantum abest profecto, vt iure concludas, *si modo audita* Athenis *comoedia*, Phalarin *inde citare iambicos potuisse*: licet eo tam *cumulate satisfactum* sit doctissimo scriptori Censurae.

Sunt, fateor, quinque versus iambici, qui *Susarioni* adscribantur, et forte re vera sunt eius:

Ἀκούετε λεώς· Σουσαρίων λέγει τάδε,
Υἱὸς Φιλίνου Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος·
Κακὸν γυναῖκες· ἀλλ᾽ ὅμως, ὦ δημόται,
Οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.
Καὶ γὰρ τὸ γῆμαι, καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν.

Exſtant quatuor verſus antecedentes in Commentario *Diomedis Scholaſtici*, in *Dionyſium Thracem*, manuſcripto, qui nunc eſt in bibliotheca regla; vltimus, cum tribus aliis, apud *Stobaeum*, tit. LXVII. primus, tertius, et quartus, apud *Diomedem*, grammaticum *Latinum*, libr. III. p. 486. ac tertius et quartus apud *Suidam*, v. Οὔτε σύν. Secundum verſum emendauit *Pearſonus*, Epiſcopus excellentiſſimus, Vind. Ignat. nam valde corruptus eſt in MS. Sed in primo verſu, vt edidit ille.

Ἀκέετε λέξεως, Σεσαρίων τάδε λέγει,

duo vitia ſunt, contra numerum verſus iambici. Quod mendum vt elueretur, pro λέξεως, in *Latino Diomede* repoſitum eſt λέξιν. Sed verum eſt, Ἀκέετε λεώς, vt eſt apud *Stobaeum*; i. e. *Audite, populus*. Formula conſueta praeconum erat; quae lingua *Atticorum* eſt, Ἀκέετε λεώ. *Ariſtophan.* Acharneſ. p. 300.

Ἀκέετε λεώ. Κατὰ τὰ πάτρια τὰς χοὰς, κ. τ. λ.

et, Pac. p. 454.

Ἀκέετε λεώ. Τὲς γεωργὲς ἀπίεναι, κ. τ. λ.

Plutarchus, in Theſ. auctor eſt; *Apud* Pallenaeos, Attice *populum, illicitum fuiſſe praeconi, vti formula*, Ἀκέετε λεώς· *quod praeco quidam, cui nomen* Leos, *antea maiores eorum prodidiſſet.* Eam facete illuſit *Stratonicus*, muſicus, apud *Athenaeum*, p. 348. nam, quum aliquando eſſet *Mylaſae* in oppido, incolis fere vacuo, ſed templis quamplurimis ornato, in forum tetendit, tanquam pronunciaturus aliquid: ſed pro Ἀκέετε λαοί, quae conſueta formula erat, dixit: Ἀκέετε ναοί. In *Lucian.* Auct. Philoſoph. hac vſus formula *Mercurius* eſt: Ἄκεε, σίγα. Sed haec per viam dicta ſunto, vt ad emendationem *Pearſoni*, viri ſummi, cumulus adderetur.

Si non neminis artes imitari, atque id, quod contra me eſſe videatur, diſſimulare ſilentio vellem; poſſem facile occultare huius, nondum diuulgati, codicis locum, in quo ſpecioſum argumentum, quod a me diſputatis opponatur. *Diomedis* verba, vbi verſus citat *Suſarionis*, haec ſunt: Πρῶτον μὲν ἦν Σεσαρίων τις τῆς ἐμμέτρε Κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο, ἕ τὰ μὲν δράματα λήθῃ κατενεμήθησαν· δύο δὲ ἢ τρεῖς ἴαμβοι τῆ δράματος ἐπὶ μνήμῃ φέρονται· Suſarion *quidam comoediae, verſibus expreſſae, primus auctor fuit, cuius fabulas omnes deleuit obliuio Sunt tamen duo aut tres verſus iambici, e fabula, quorum adhuc exſtet memoria.* Vbi aperte dicit ille, *Suſarionem*, in *fabulis*, verſus iambicos vſurpaſſe; tametſi modo ante conatus ſum probare, principio in comoedia nullum fuiſſe illorum vſum; vt, nec in tragoedia fuiſſe, ex *Ariſtotele* conſtat. Sed eſt vnum et alterum, quod *Diome-*

dis opponam teſtimonio. Primum, ſolus id ait: non magna eius exiſtimatio eſt; vixit aliquot ab eo, de quo loquitur, ſaeculis; vt coniectura duntaxat, ab ipſo facta, haberi debeat. Dein, obſeruari velim, hos quinque verſus iambicos nomine *Suſarionis* pronunciatos eſſe; quod parum abeſt, quin argumento ſit, non eſſe illos e *fabula*. Nam, quum ſuo nomine populum alloqui poeta vult, per *chorum* id facit, et Παράβασις dicitur (vid. ſchol. *Ariſtophanis*, *Hephaeſt. Pollux*); cuius generis plures exſtant in *Ariſtophane*. Nunquam autem tum iambicis vtebatur chorus, ſed ſemper anapaeſtis, vel tetrametris. Nec vllum omnino exemplum inueniri, puto, vbi verſibus iambicis populum, in cauea, alloquatur; licet aliquando actorem. Denique, ſi, verſus hos *Suſarionis* e *fabula* eſſe, conſtiterat, tam occulti, tamque remoti ab *Ariſtotelis* cognitione eſſe non potuiſſent. Nam planum eſſe, opinor, eum nunquam certi aliquid relatum legiſſe, de aliqua *Suſarionis* fabula: quod niſi eſſet, minime comoediam inuentam a *Siculis* feciſſet, tam longe ab illius aetate. Nec parui hoc momenti argumentum eſſe videbitur; ſi cogitaueris, vniuerſo doctrinae genere ornatiſſimum fuiſſe philoſophum; et ſpeciatim ſe totum collocaſſe in cognitione ſcenae; quum ſcripſerit Διδασκαλίας, *Indicem, quo fabularum, quotquot eſſent editae vnquam, omnium nomina, tempora, et auctores enumerentur.* Si ergo re vera *Suſarionis* ſunt verſus, veri ſimile eſt, alia de cauſa, non ſcenae, eſſe factos.

Redeo ad ſcriptorem Cenſurae; qui quemadmodum *Suſarionem* ſuum ſubornauerit, videamus: nam, praeterquam quod generatim in vitio eſt, quum argumentum infirmum proponit, mirum, niſi ſigillatim in varia noua delabitur, quae quis peritior callide declinauerit. Et, quo pateat, veram eſſe hanc ſuſpicionem, principio ſtatim bis terue offendit. *Chronicon Marmoreum*, inquit, p. 140. docet, *comoediam aductam* ATHENAS *a* Suſarione, *vel potius*, SCENAM *ab eo primum erectam* Athenis. Atque ex nomine, SCENA, conficere vult, vt *Comoedia non inuenta a* Suſarione, *ſed tantum emendata ſit.* Nego autem de ATHENIS, nego de SCENA, vllum in Marmore verbum inueniri. Ponam hic integrum locum, vt eſt deſcriptus et editus a *Seldeno* et *Youngio*:

'ΑΦ' οὗ ἐν 'ΑΘ .... αις κωμω .... ρ .... εθη ... σανι .... των
'Ικαριέων ηὑρόντος Σεσαρίωνος καὶ δολεν .. τεθ .. ππω
τον ισχα .... δ .... αρσιχο .... νοιυε .. ·ερ ... ος ....

Hac ratione, exeſis partibus, locum diuulgauit *Seldenus*; quaeque ab iſto tempore addita ſunt, ad eum interpolandum, coniectura ſolum quaeſita ſunt a viris doctis; nec iniuria reiiciam.

tur a nobis, si meliora adsint, quae in eorum loco ponantur. Principio, ἐν αϑ .... αις, quod legitur, esse ἐν Ἀϑήναις, *Athenis*, coniecit *Seldenus*, quo cum consenserunt *Palmerius*, *Pearsonus*, *Marshamus*, et ceteri inde omnes. Sed, etsi plurimum apud me valet eorum auctoritas virorum, persuasum tamen habeo, non ita corrigendum esse. Auctor enim Marmoris, quum *Athenis* vult, vbique vtitur, Ἀϑήνησι, nusquam ἐν Ἀϑήναις. Sic versu quinto; Ἀφ' ὃ δίκη Ἀϑήνησι· v. 33. Ἀφ' ὃ Ἀϑήνησι· v. 61 ... εν Ἀϑήνησι v. 70. Ἐνίκησεν Ἀϑήνησι διδάσκων· et ita v. 79, 81, 83, 85. praeterquam quod in singulis fere locis, vbi factum quoddam memorabile est, additur Ἄρχοντος Ἀϑήνησιν. Verisimile itaque non est, in vnico hoc, eum scripturum fuisse ἐν Ἀϑήναις. Praeterquam quod re vera *Athenis* comoediam non inuenit *Susarion*: nam, vt docet *Athenaeus*, p. 40. in pago *Icario* fuit: quae caussa est, cur *Susarionem Icarium* vocat *Clemens Alex.* Strom. I. Σουσαρίων Ἰκαριεύς. Et in ipso Marmore, in ipso hoc loco, *Icarii* nominantur; Τῶν Ἰκαριέων. Atqui non potuit idem *primus*, et in *Icario*, et *Athenis*, in pago, et vrbe, eodem tempore, agere. Quapropter obseruandum, quod alio in loco, vbi *tragoedia primum acta* dicitur *a* Thespide, qui, teste *Suida*, v. Θέσπ. *Icarius* quoque erat, *Athenarum* nulla fit mentio. Errat itaque plane scriptor Censurae, quando auctorem Marmoris dicentem facit, Susarionem ATHENAS *aduexisse comoediam*.

Proximus error est, vbi narrat, p. 140, 141. quasi ex testimonio auctoris Marmoris, Susarionem SCENAM *erexisse* Athenis. Totum fundamentum, quo conficta haec *scena* nitatur, pars verbi est .... σανι .... quod, *Palmerius*, vir doctissimus et ingeniosus, Exerc. p. 702. opinatus est, fuisse ἐπὶ σανίσι, *super tabulas*; nec displicuit magno *Pearsono*, Vind. Ignat. II. 11. coniectura. Hoc, nescio, quo pacto, in editione Marmorum *Oxoniens.* mutatum in ἐν σανίσι *in tabulis*. Ac scriptor Censurae, qui haud dibie intelligit, quomodo comoediae condi *in tabulas* possint, vitii huius, fortuito relicti in eleganti (vid. ib. Not. p. 203, 204.) istac editione, vestigiis prudenter insistit.

Petebam a *Millio* meo, locum in Marmore, cuius nunc possessione, quae *Oxoniae* est, vniuersitas literaria gloriari potest, ipse scrutaretur. Ille autem, literas, quas, *Seldenus* et *Youngius*, ΣΑΝΙ esse, putarunt, euanuisse prorsus, ne vllo quidem vestigio relicto: et, quod ad ΕΝΑΘ .. adeo obscuras esse duas vltimas literas, vt difficile esset dictu, fueritne ΑΘ, an aliud simile. Quapropter, non ἐν Ἀϑήναις, sed ἐν ἀπήναις, *in plaustris*, scriptum fuisse in Marmore, arbitror;

nec ΣΑΝΙ esse partem vocis Σανίδες, *tabulae* sed vltimam syllabam verbi. Vt, totum locum sic interpolandum, censeam: ΑΦ ϰ ΕΝ ΑΠηι ΑΙΣ ΚΩΜΩδιαι εΦοςΕΘΗΣΑΝ Υπο ΤΩΝ ΙΚΑΡΙΕΩΝ ΗΥΡΟΝΤΟΣ ΣΟΥΣΑΡΙΩΝΟΣ i. e. *A quo tempore comoediae vectae sunt plaustris ab* Icariis, *inuentore* Susarione. Principio *plaustris vectas* esse fabulas, testis certissimus *Horatius* est, in Art. Poet.

Ignotum tragicae genus inuenisse Camenae
Dicitur, et PLAVSTRIS VEXISSE *poemata Thespis.*

Atque ita vetus scholiasta, ad l. cit. *Thespis primus tragoedias inuenit, ad quas recitandas circa vicos* PLAVSTRO *quoque vehebatur ante inuentionem scenae.* Ac, satis notum, opinor, Ἀπήνην esse idem, quod PLAVSTRVM. *Hesych* et *Suid.* Ἀπήνη, ἅμαξα· et duobus in locis, *Eustathius;* Ἅμαξαν μὲν καὶ Ἀπήνην εἰπεῖν ταυτόν ἐςίν. Glossarium *Philoxeni; Plaustrum,* ἅμαξα. *Plostrum,* ἀπήνη.

Quod si de his coniectura non omnino aberrasse videar, de reliquis, pro certo spondebo, me verum assecuturum. Verba in Marmore, vt sunt edita a *Seldeno*, haec habemus: Καὶ δολον .. τεϑ .. πτωτονισχα .... δ .... αρσιχο .... νοινα ... ερ ... ος ...... Ex quibus partibus hanc conficere sententiam conatus est *Palmerius*, ibid. Καὶ Δόλωνος τεθρίππῳ, τὸν ἰσχάδων ἄρσιχον, πίθον οἴνου· id est, *Dolon* (vna cum *Susarione*) *inuentor fuit comoediae: ac praemium, cista ficuum, et cadus vini: quae a victore domum vehebantur curru, quatuor equis iuncto.* Sed candide fatetur, nec quidquam legisse se de hoc *Dolone*, poeta comico, nec de praemiis, qualia cista ficuum, et cadus vini: nec ea curru domum fuisse vecta. Nihilominus tamen hanc eius emendationem probauit doctus editor Marmorum *Oxoniensium.*

Ipsa sententia loci adductus, suspicabar, *Seldenum* aut *Youngium* male descripsisse inscriptionem; et pro ΔΟΛΟΝ .. ΔΕΘ. ΠΠΩΤΟΝ debuisse legere ΑΘΛΟΝ ΕΤΕΘΗ ΠΡΩΤΟΝ: parum enim inter se differunt hae figurae literarum, adeo etiam, vt in tam obscura inscriptione vel diligentissimi lectoris aciem fugere possint. Hoc communicabam cum *Millio*; quem testem habeo, me ante per literas hanc correctionem ipsi patefecisse, quam, quid in lapide esset, vidisset: simul autem petebam, vt, ipsum consuleret Marmor: ad haec ille, satis clare scriptum in Marmore legi hoc: ΚΑΙ ΑΘΛΟΝ ΕΤΕΘΗ ΠΡΩΤΟΝ ΙΣΧΑΔΩ .. ΑΡΣΙΧΟ .. ΚΑΙ ΟΙΝΟΥ. Totum itaque locum sit interpolandum, censeo. Καὶ ἆθλον ἐτέθη πρῶτον ἰσχάδων ἄρσιχος, καὶ οἴνου ἀμφορεύς· i. e. *Ac praemium primum propositum fuit, cista ficuum, et amphora vini.* Vides,

euanuiſſe iam *Dolonem* cum ſuis *quadrigis:* et quod attinet ad praemia, quae ſibi incognita plane eſſe, fatetur *Palmerius;* de iis, vt opinor, habeo, quam reddam, rationem. *Olim,* inquit *Plutarchus*, Περὶ Φιλοπλετ. *feſtum* Bacchi *ruſtice et iucunde agebatur: primum geſtabatur* (Ἀμφορεὺς οἴνε) AMPHORA VINI, *et pampinus; ſequebatur, qui* (τράγον) HIRCVM *duceret; alius geſtabat* (ἰσχάδων ἄρριχον) SISTAM FICVVM; *poſtremo cernebatur* Phallus (ὁ φαλλος). Quum autem vtriusque, et tragoediae, et comoediae, origo fuerit hoc feſtum *Bacchi;* altera inuenta ab illis, qui *dithyrambos* canerent (*Ariſtot.* Poet c. IV.), altera ab his, qui carmina *Phallica;* tum praemia, quibus, qui vincebant, donarentur, parata erant, et in medio comitatu; huic, qui comoedia viciſſet, *amphora vini et ciſta ficuum*, illi, qui tragoedia, *hircus.* Vtrumque verſibus expreſſum *Dioſcoridis*, nondum editis; de quibus ad cap. IX. vbi *de Origine Tragoediae*, agetur:

Βάκχος ὅτε τριττὸν κατάγοι χορὸν, ᾧ ΤΡΑΓΟΣ ἆλθον,
Χὠττικὸς ἦν ΣΥΚΩΝ ΑΡΡΙΧΟΣ ὕθλος ἔτι.

Iam vnum hoc quaero ex ſcriptore Cenſurae, num re vera putat, *Suſarionem* deſcriptas compoſuiſſe comoedias, cum apparatu *ſcenae;* quum, vt apparet, praemium, quo prouocaretur, non aliud eſſet, atque vaſculum vino repletum, et caricarum cumulus? Abiiciebantur haec praemia, quum comoedia maturitatem aſſequebatur: quando, qui viciſſet, poetae, non minor ferme, quam victori *Olympiae*, honor habebatur.

Ignoſco *Boylei* errori, quum dicat, p. 141. *Suſarionem vixiſſe temporibus mediis inter annum* DCX. *et* DLXXXIX. *ante Chriſtum natum.* Video enim, iam fuiſſe, qui iſto nomine eum reprehenderet. Ac valde placet eius iudicium de commentatione *Pearſoni*, viri plurimum reuerendi, in Vind. Ignat. II. II. *Eum* SINE CONTROVERSIA *demonſtraſſe*, Suſarionem *alium*, *atque* Sannyrionem, eſſe *poetam;* Intelligo, *Boyleum*, quum alterius, non ſua cauſa agatur, recte iudicare poſſe. Quorum ſua cuiusque aetate non minus clarum, quam hac noſtra *Boylei* nomen fuit, *Caſaubonus* et *Seldenus*, ambo nomina eiusdem eſſe hominis, opinati ſunt: ſed vnico argumento, e temporum rationibus ducto, eos refutauit *Pearſonus*, *ſine controuerſia*, inquit *Boyleus.* Tametſi ego, modeſtia mea ſalua, affirmare poſſum, me Epiſtolas *Phalaridis* falſas coarguiſſe duodecim circiter argumentis, e temporum rationibus ductis, iisque ſingulis tam certis, quam illud vnum *Pearſoni*; praeter argumenta aliunde petita a me: tamen (vide, quantum malum eſt, eſſe inuiſum *Boyleo*) *probaui in vniuerſum nihil.* Haud dubie cauſae fuerunt, cur tam inter ſe diuerſa ſint

a *Boyleo* habita iudicia. Sed hoc quaero, quid eſt, quod dicat, p. 141. *Ex ſententia* Seldeni *conſequi, vt* Suſarion *temporibus demum* Ariſtophanis *vixerit?* Atqui contrarium omnino inde effici poterit, et *Sannyrion* collocari ante ipſa *Piſiſtrati* tempora. Neque enim de tempore, in Marmore notato, dubium fuit *Seldeno*.

Probauit, inquit *Boyleus*, *Pearſonus*, Sannyrionem *non potuiſſe non viuere temporibus* Ariſtophanis. Sic eſt ſane: reliquit tamen eius aetatem vagam, intra ſpatium annorum XXXX. tamdiu enim ſcripſit *Ariſtophanes*. Si qua in *Boyleo* fuerat facultas rem vllam expediendi; potuiſſet *Sannyrionis* tempora arctiori definire ſpatio. Nam in fabula, cui nomen *Danae*, illudit *Sannyrion* verſum *Euripidis*, in Oreſte. vid ſchol. *Ariſtoph.* ad Ran. p. 142. et ſchol. ad Oreſt. v. 279. Acta autem Oreſtes, Olymp. XCII. 4. magiſtratu *Athenis Diocle*. vid. id. v. 371. 770. Aut igitur breui poſt acta fuit *Danae*, aut iocus fuiſſet alienior. Ranae *Ariſtophanis*, vbi idem verſus ridetur, actae fuerunt triennio poſt; Olymp. XCIII. 3. vid. Argum. Ranar. Vt tempus actae *Danaes Sannyrionis* tuto collocari inter Olymp. XCII. 4. et XCV. poſſit.

Venio nunc ad alteram partem argumenti, ex hoc loco, in Epiſtola *Phalaridis*, a me ducti, Θνητοὺς γὰρ ὄντας ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν, ὥς φασί τινες, οὐ προσήκει· *Mortales, vt quidam aiunt, immortales iras exercere, non oportet.* Sententia duobus in locis exſtat, altera poetae, quem citat *Ariſtoteles*, altero *Euripidis*, Philoct. Fac igitur *primum*, ſcriptorem epiſtolae eam ſumſiſſe ex horum priore: tum autem, vt hactenus demonſtrare conatus ſum, nec id, vt equidem exiſtimo, vane, non potuit tam eſſe antiqua eius, quam veri *Phalaridis Siculi* memoria. Sed, obſeruet, velim, lector, haec omnia addi *ex abundanti*: ſunt enim clara veſtigia, ex quibus cognoſcas, ſumtam eſſe, non ex poeta, ab *Ariſtotele* citato, ſed ex *Philoctete*, centum et viginti demum a *Phalaridis* morte annis facta. Vt vt igitur haec de *Comoedia* et *Suſarione* diſputatio ceciderit, quamquam nulla ineſt alea, altero tamen hoc argumento, in manifeſta fraude tenebitur ille.

Verba noſtri, qui fingitur, *Phalaridis* ſunt; Θνητοὺς ὄντος ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν οὐ προσήκει· *Euripidis*,

Ὥσπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
Οὕτω προσήκει μηδὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
Ἀθάνατον — —

Quum haec conferebam, praeter verba Θνητὸς et Ἀθάνατος ὀργή, in vtroque loco, videbam inueniri quoque ὀργὴν ἔχειν et προσήκει. De θνητὸς et ἀθάνατος ὀργή· illis in hac ſen-

tentia opus eſt, neque haec edi, ſine illis, poteſt: nec enim, diſparatum quod eſt, *mortalis*, *immortalis*, in quo ſumma ſententiae verſatur, aliis verbis *Graecis*, atque θνητὸς et ἀθάνατος, efferri poteſt. Quapropter, in cauſa *Phalaridis*, concedendum eſt; ſi duo pluresue in cogitationem de hac ſententia veniant (quod facile fieri poteſt), neceſſe eſſe, vt in eadem illi verba incidant, θνητὸς et ἀθάνατος ὀργή· nec tamen poſſe alium alii ea veluti ſurripere: quemadmodum videmus, tria omnino verba inueniri in altero verſu, citato ab *Ariſtotele:*

Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

Huic igitur exſpectationi vt occurram: Obſeruabam ante, eſſe alia verba, in vtroque loco; ὀργὴν ἔχειν et προσήκει· nec eſſe ibi huic rationi locum. Nam ἔχειν et προσήκει non eſſe, vt θνητὸς et ἀθάνατος, ad ſententiam neceſſaria; quia varia alia vocabula ſunt, quibus eaedem res ſignificentur: vt poſſit, ab hac parte ſententia variari diuerſis modis; ſic perinde bene dixeris ὀργὴν φυλάττειν, vt ἔχειν (atque ita poeta, apud *Ariſtotelem*), vel ὀργὴν τηρεῖν, vel ὀργὴν τρέφειν, cet. Atque ſimiliter, pro προσήκει, poni poſſet, οὐ δεῖ, οὐ πρέπει, οὐ πρέπον ἐστὶν, οὐ προσῆκόν ἐστιν· vel οὐ τηρητέον, οὐ φυλακτέον, vel aliud; quae omnia, promiſcue ſumta, varietates quam plurimas efficient. Vt, in vniuerſum, quum ipſis verbis *Euripideis* ibi vtatur ſcriptor Epiſtolarum, vbi, valde mireris, non fuiſſe ab illo mutata; id acceperim ego, vt adhuc facio, planum imitationis indicium, atque adeo planum exemplum operis conficti.

Quid ad haec moroſus ſcriptor Cenſurae? Quid? iocari ſe ſimulans, ſed re vera ad anguſtias redactus, *Phalaridis*, (p. 143.) *cauſam deſerit*, *ſeque ad hoc argumentum reſponſurum*, *negat*. Non dicam, quam turpe eſt, quod in tantas anguſtias adductum *Siculum* ſuum *principem* deſtituat. Vereor autem, ne ſero eius repudiet patrocinium: diutius clientem habebit ſuum *Phalarin*, quam quidem cupiuerit. Nihilominus, loco reſponſionis, a me ſibi reſponderi, vult (p. 143.); *Num prudenter fecerim*, *quod furti accuſarem* Phalarin, *duobus adductus teſtimoniis*, *quae ex pauperibus ſuis*, *ad hanc epiſtolam*, *notis compilauerim*. Pauperes notas! *habeat eas*, quoniam ſibi vindicat, vt *ſuas* (p. 35.); et tamen, vt vt pauperes illas vocat, ſi vera fama eſt, fuit, qui pro illis ſponderet. Sed *vult*, *a me reſponderi:* reſpondebo; nam capitalis cauſa agitur. *Compilare eius pauperes notas*, tam eſt barbari, quam, qui ſit nudus, eum ſpoliare veſtitu velle; addo, tam inepti. Dico pro me, Duo haec loca, a me prolata, eſſe ex *Ariſtotele* et *Stobaeo* depromta: et aſſeverare auſim, me ea legiſſe apud duo iſtos ſcriptores ante,

quam nomina eorum nouisset *Boyleus*. Aliis in locis, agnoscit, *me vtiliter operam collocasse in fragmentis Graecis colligendis:* (p. 282.) cur ergo non potui haec duo ex ipsis fontibus haurire? Euanuerunt hae sententiae ex *Aristotelis* et *Stobaei* scriptis inde a notabili anno *Phalaridis Boyleani* editi? Si quis vnquam ab illo tempore iis fuerit vsus, aut posthac vsurus sit; necesse est, hunc *compilauerit?* Papae! certo praedixeris, etiamsi augurii disciplinam non profitearis, fore, qui has sententias citent, quum *pauperes* eius *Notae* non solum, sed pauper etiam Censura, obliuione iam sint obrutae. Si idem ex his sententiis, quod ego, elicuerat *Boyleus*, fuisset aliqua saltem causa me furti accusandi; sed solum eas citat, in Notis: et certe magnus ad sagacitatem scriptoris Censurae cumulus accedit eo, quod, etiamsi occurrant ei argumenta, *illis* tamen *vti* nesciat.

Notaueram, abductus scholiis *Eurip.* Philoctetem *actam* Olymp. LXXXVII. Sed auctor quidam incertus (v. View of Dissert p. 19.), qui in hanc controuersiam se interposuit, contra dixit, *Esse, qui aiant*, Phoenissas *tum actas; ita in* Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῆ *Scaliger. et schol. Aristoph.* Est autem, quam fuit in paucis hisce lapsus! Primum, ignorasse auctor videretur, fuisse quatur fabulas *Euripidis* anni vnius actas spatio: non ergo valet hoc argumentum; potuerunt enim vtraque, et Phoenissae, et Philoctetes, agi, Olymp. LXXXVII. Dein, et hic, et aliis in locis, quasi opus antiquum sit ista Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴ, argumentatur. Sed confiteretur ipse *Scaliger*, esse suum; et, hoc quidem in loco, vir ille summus lapsus est, siue festinatione, siue memoriae nimium tribuens: nam, pro Φοίνισσαι, voluit Μήδεια, ex scholiasta *Euripidis*; quomodo non raro, in isto opere, imprudentia peccatum est. v. supra, p. 87. Porro, errat, quum citat scholiastam *Aristoph.* quod, vt opinor, sumere potuit ex Vita *Euripidis Barnes.* Sect. XXVI. Tantum vero abest scholiasti, vt dicat, *Phoenissas* actas Olymp. LXXXVII. vt eius testimonio demonstrari possit, actas fuisse post Olymp. XCI. 2. Nam bis, p. 382. et 585. ed. Basil. declarat, *Phoenissas* non esse actas tum, quum *Aues* doceret *Aristophanes;* quod factum Olymp. XCI. 2. magistratu *Chabria.* v. ibid. 366. Tum rationem reddit, ibid. 132. cur *Aristophanes* in *Ranis* illudere *Andromedam Euripidis*, quae *tum* annorum octo erat, quam *Hypsipylen*, aut *Phoenissas*, aut *Antiopen*, *paulo* ante *actas* (πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων) *omnes*, maluit. Sed *Ranae* actae Olymp. XCIII. 3. *Callia* magistratu. Apparet ergo, *Phoenissas* fuisse actas interuallo, Olymp. XCI. 2. inter, et XCIII. 3. Equidem tantum pono in incerti huius auctoris integritate, vt, agniturum eum, opiner, hac responsione sibi

satisfactum esse. Nec plura inueniri in eius Commentatione arbitror, vel ad me, vel has Disputationes pertinentia, ad quae sigillatim responderi, necesse sit.

Non est, quod diutius morer in hac, de Comoedia, quaestione: nolo tamen concludere, nisi ante compellauerim scriptorem Censurae. Vnum hoc ab illo peto pro tea, qua est, aequitate; Vt proximo quoque tempore, quum sit illusurus *nodum* aliquem in meis, aut cuiuscunque aduersariorum, quibuscum res sibi futura sit, scriptis, nolit de suo addere quatuor notas interpositionis () () tanquam continuationis nodos, quo *nodosius* illud videatur. Operae pretium erit, iocos sectari non tam nocentes, quam iste est, cum dispendio veritatis et integritatis.

IX.

DE ΔΑΙΜΩΝ ΕΤΕΡΟΣ.

Scriptor Censurae, quum multa per *iocum* et *illusionem*, ad quae aptum valde se putat, tanquam sannio praefatus esset, venit tandem ad minutam istam conclusiunculam, qua hic carere potest. Ἕτερος δαίμων dictum poetice, non vult: *verum enim*, inquit, p. 144. *poeticum est*, *ἕτερος*, an *δαίμων*? Ἕτερος *hic nec plus, nec minus valet, quam* alius; et *δαίμων sumtum est pro τύχη*, fortuna; *atque ita vsurpantur in omni sermonis genere.* Ecqua ratio, et quasi obrussa, melior inuenta est vnquam, ad quam dictio poetica exigatur? Si sigillatim sumta verba poetica non sint, tum certum habere, generatim nihil esse in compositione poetici? Concedat parumper hanc mihi facultatem, vt, quid ea valeam, vno et altero exemplo explorem; vt, *Lucret.* v.

Luna, dies, et nox, et noctis signa seuera.

Crediderunt adhuc literati viri, posteriorem partem huius versus coloris esse poetici, esse autem, in communi sermone, *sidera*. Sed, ad obrussam si exigo, video verba, *nox*, *signa*, *seuera*, nec plus, nec minus valere, quam in communi hominum sermone. Nihil ergo est, quod habeat *formam compositionis poeticae*, sed omnia plana, et, e vulgari sermone sumta. *Virgil.* Georg. IV.

Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat: eum vasti circum gens humida ponti
Exultans, rorem late dispergit amarum.

Auctor horum versuum, quum pisces, *humidam gentem ponti*, et aquam marinam, *rorem amarum*, vocaret, haud dubie cogitauit, ea dici supra communem sermonis consuetudinem: sed

probabit *Boyleus*, erraſſe eum; nam oſtendere poteſt, *Varronis* ſermone, ante ſcripta *Georgica*, verba, *gens*, *humida*, reliqua, ſigillatim ſumta, idem valuiſſe, atque apud *Virgilium*. Si hac vice ſuam obruſſam abiecerit ſcriptor Cenſurae; tum eum docebo, non eſſe ſeparata verba ἕτερος, δαίμων; ſed, ſpeciatim iis inter ſe iunctis ſubiectam ſententiam, vnde iis compoſitionis poeticae forma accedat. Verbis ἕτερος δαίμων, *alter genius*, nulla ratione habita eius, qui opponatur, ſignificare *malum genium* velle, re vera *poetae* eſt. Sic ſane cenſuit ſcholiaſta in *Pindarum*, non contemnendus auctor, ſi huius iudicium componi cum illo *Boylei* liceat: interpretatur enim, Ἕτερος, κακοποιός; et addit locum *Callimachi*, vt verba *Pindari* ſimili defendat exemplo: quo certe minime opus erat, ſi tam nota et ſermone hominum trita fuiſſet, quam vult noſter ille.

Alterum, quod *Callimachi* eſſe, ſophiſtae obieceram, eſt ὄλεθρον εὗρε· de quo, quod diſputauit ille, id priori non eſt diſſimile, et eiusdem generis. Latinum, inquit, p. 145. *quo* Graecum *redditur*, inuenere tormentum, *eſt apud* Horatium; *ſpondetque, in caſum fortunae re commiſſa, inuenturum ſe, extra poeſin, ambo haec verba inter ſe iuncta.* En, homo conſilio promtus! *Spondet in caſum fortunae re commiſſa;* ac profecto totus eius liber iſto modo conſcriptus videtur. Sed hanc ei veniam do, vt iſti parcat labori, et, quum in tanti beneficii loco apud eum futurum ſit, indicabo ambo iſta verba *Graeca* (in rem eius accommodata magis, quam illa *Latina* ſua) quam arctiſſime inter ſe iuncta, in verſu *Hermeſianactis*, apud *Athen.* p. 598.

Εἰσόκε τοι δαίμων, Εὐριπίδη, ΕΥΡΕΝ ΟΛΕΘΡΟΝ
Ἀμφὶ βίου στυγνῶν ἀντιάσαντι κυνῶν.

Sed viciſſim meminerit, me non vrſiſſe illud, Ambo verba, ὄλεθρον εὗρε, inueniri inter ſe iuncta apud *Callimachum*; ſed, Ad eandem rem pertinere; nam, et ſophiſta, et poeta, de *Perillo* eiusque tauro loquuntur. Et, ſi *Boyleus*, pro ſuo *indices compilandi ſtudio*, *ſpoſponderit*, ſe eadem inuenturum verba apud alium ſcriptorem, idque in eandem ſententiam; viciſſim *ſpondebo*, *in caſum fortunae re non commiſſa*, oſtenſurum me, illum auctorem quoque egiſſe cum *Callimacho*.

Ne quidem breuiſſima capita praeterire ſolet *Boyleus*, niſi eruditionis ſuae aliquod ediderit exemplum, etiamſi ſit a propoſito alienum. Callimachus, inquit, p. 143. Dorice *loquitur*, *quum vtitur* ἅτερος *pro* ἕτερος. Niſi hic iocum intenderat animo ſcriptor Cenſurae, potuiſſet cauere, ne ſerio erraret. Nam, ſaluo eius iudicio, ἅτερος non eſt *Doricum*, ſed *Ioni-*

cum et *Atticum.* Vtuntur eo *Herodotus*, IV. 11. Ἔστι δὲ καὶ ἄτερος λόγος· et, in Aiac. *Sophocles:* Εἶθ' ἄτερος στρατηγός· aliique, quorum eadem lingua communis est: sed, si *Boyleo* a manu fuerunt quidam scriptores, qui dicerent, esse *Doricum*, eos errasse, intelliget.

Concludit hoc caput, *Me nuper denuo typis descripsisse binas has commentationes, vna cum Fragmentis* Callim. v. p. 145. Attamen bene notum est, ista Fragmenta *Callimachi* typis esse descripta, ante Dissertationem; ac propterea dico; Fragmenta typis fuisse *descripta* ante, quam vnicus versus Dissertationis esset *scriptus*. Hoc demum est *spondere*, *in casum fortunae re commissa;* sed vltra rem in casum fortunae committit, et, *nisi coniectura aberrauerit, ea sola pars Dissertationis meae erit, quam vnquam in Latinum conuertam ego.* Equidem serio nunc testor, me, illius causa, praeter alias rationes, nec constituisse, nec velle, vt *Latine* reddatur: quum tamen cogito, quam sit vanus *coniector*, quamque semper aberret; praesentio, fore, vt pateat, ne nunc quidem rectius eum *coniecisse.*

X.

DE NOMINE, ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ.

Quod conficiebam ex nomine, Φιλόσοφος, eius summa haec est; Erat inuentum temporibus *Pythagorae*, et ab eo ipso; idque fortasse non ante habitam cum *Phalaride* consuetudinem: sin ante, tamen veri simile non est, *Phalaridi* auditum fuisse nomen ante, quam vnquam hominem vidisset ille, imo, etiamsi audiuisset, non fuisset eo vsus, tanquam vulgo noto, et consueto; sed, pauca praefatus, significasset, verbum nouum esse, et *Pythagoricum.*

Videamus nunc, quam simpliciter et candide haec proponat *Boyleus. Reprehendit*, inquit Phalarin, *quod* Pythagoram, *philosophum vocat: cur? quia* Pythagoras *ipse nomen inuenit.* Tantum profecto hoc abest a ratiocinatione mea, vt nulla omnino pars eius sit. Nec enim *Phalaridi* vitio do, quod vsus sit nomine, Φιλόσοφος, *quia id inuenerat* Pythagoras; sed *quia non poterat tum ipsi auditum esse et cognitum; aut si potuisset, praefatus aliquid fuisset, quo, nouum esse, et a* Pythagora *inuentum, significaret.* Non haec apta, eaque honorifica, operis *descriptio mei* (Praef.)? Commentatur tamen declamitans de hac, quam fixit, argumentatione. *Num ergo* Phalaris *vrbanius agere cum* Pythagora *poterat, quam si nomine vteretur?* Elizabetha *regina prima finxit nomen* feminilis, *in oratione ad quandam vniuersitatem literariam: numquid illustrius honoris*

et obsequii, quo eam prosequeretur, 'exemplum edere illud collegium potuisset, quam si inde eo ipso nomine, in suo ad illam sermone, tam libere vteretur, quam si fuisset optimae Latinitatis? Hoc omne, quodcunque est, id, vt plane ostendi, omnino nec ad me, nec ad meam conclusionem, attinet: eius tamen memini, vt intelligat lector, quam acer decoris et honestatis aestimator sit scriptor Censurae. Nam eos omnes appellare ausus, in quos re vera ea persona conueniat; ni tam abiectam, tamque ineptam, adulationem contemsisset sapientissima illa regina, commendassetque potius virilius ac liberius dictum eius, qui, alicui, semetipsa etiam illustriori, quum verbum barbarum finxisset ille, hoc dicebat: *Hominibus, Caesar, ciuitatem dare potes; Verbis non potes.* Quid vociferatur *Boyleus*, p. 287. me primum, vt opinatur, vocabulo, *commentitiosis*, esse vsum? tametsi idem hic, pro sua sapientia, totam ciuitatem literariam loqui barbare, vult, quod forte fortuna id fecit primaria femina. Sed optandum est, vt non eodem, quo *Boyleus*, *rectore* vtatur venerandum illud collegium.

Quaesiueram, '*quomodo fama rei tam minutae, quam colloquii* Pythagoram *inter et* Leontem, *ad aures perueneris* Phalaridis, ad quem aditus tam difficilis: quum, in arcem suam compactus, nunquam non apparitorum praesidio tegeretur.? Cui nunquam aqua haeret, scriptor Censurae facile id expediuerit: *nam* (p. 161.) *eodem iure aliquis quaesiuerit, quomodo rescivit*, Pythagoram *nominari? Quae vnum nunciabat, fama poterat quoque alterum.* Acute vero! Si nomen alicuius audiuerit, poterit aeque facile rationem reddere totius eius vitae et consuetudinis. Haud dubie is, cui ista tam admirabilis facultas fuerat, primum locum obtinuisset apud *Phalarin.* Ferunt, olim circulatricem fuisse, quae quid aliquando *Iunoni* in aurem dixisset *Iupiter*, narrare vellet. Sciscitasset autem circulus, vnde id rescivisset? *Boyleus* respondisset pro ea *eodem illum iure posse quaerere, quomodo resciuerit, nominari* Iovem. *Quae vnum nunciaret, famam, potuisse quoque alterum.*

Habes cuncta, quae commentatus est, de hoc loco, *Boyleus*, si excipias iocum frigidum et ieiunum, quo, quod dixerim ego, *primus inuentor*, illusit; de quo ibi agendum, vbi respondebo ad ea, quae contra stilum orationis meae dixit. Sed, proximo capite, quo in *originem tragoediae* inquirit, tanquam aestu magno doctrinae fluctuans, in altum prouehi, omnesque superare scopulos, constituit: animum itaque praeparet lector, ne impetu simul abripiatur.

XI.

DE ARISTOLOCHO, ET ORIGINE TRAGOEDIAE.

Notaueram pauca haec in Epiſtolas, Ariſtolochum, *et* Lyſinum, *ambo tragicos ibi commemoratos*, *inaudita plane eſſe nomina et noua.* Ad huius cauſae operam magna cum apparatione acceſſit *Boyleus:* ſed ante, quam incipit, *ex nomine* Ariſtolochi (p. 163.) *coniecturam facit*, *eſſe tragicum* giganteum *potius*, *quam* larualem *(a* Gyant *Tragedian*, *rather than a Fairy one).* Sed vnum genus concluſionem eius, et cum iocatur, et cum ſerio agit. Nam ſi ex vi nominis argumentum elicit, *Ariſtolochus* is eſt, qui ad *inſidiandum et ſpeculandum* ſit aptus, nomine orto a λόχος, quod certe in perſonam *gigantis* non quadrat. Sin grandem nominis ſonum vrgebit, meminerit, *Borborocoetes* et *Meridarpax*, duorum heroum, in *Batrachomyomachia*, nomina grauius eſſe anhelata, quam *Achilles* et *Hector.* Quin noſtris etiam temporibus reperiuntur exempla, quibus pateat, poſſe alicui ingens eſſe nomen, etiamſi non is ſit, de quo tanquam *gigante*, monſtra promulgentur.

Eſto: iam ad cauſam aggreditur; et reperit huius *Ariſtolochi* veſtigia in incerti auctoris opere, quod *Cenſorino* vulgo ſit iunctum: *nam* (p. 163.) *ibi eſt* numerus Ariſtolochius: *qui dicitur*, *ab* Ariſtolocho *poeta*, *vti ibi* Ariſtophanius, *ab* Ariſtophane. Qua de re porro copioſe diſputat: et eſt perdifficilis quaeſtio, maioremne doctrinae copiam, hic, in margine, an ingenii vim acriorem, in ipſo libro, oſtendat. Locus, quem citat, hic eſt:

Numerus Saturnius:

Magnum numerum triumphat | hoſtibus deuictis.

Sunt, *qui hunc Archebolion vocant.* Ad haec *Ludouicus Carrio* notat, *Libros editos*, *ante ſuum*, *habere* ARISTOLOCHIVM, *MSS. autem* Ariſtodolium. Quo igitur, ex tribus ſtandum? *Archebolio*, *Ariſtolochio*, an *Ariſtodolio? Boyleus*, qui, nunquam committendum ſibi putat, vt locum aliquem temere corrigat, lectori liberum horum arbitrium permittit: tertium ſuum duntaxat paciſcitur, quia caſu aeque bonum eſſe *Ariſtolochium* poteſt, ac reliquorum alterutrum. Quid autem, ſi oſtendero, tria omnia mala, et ſcribendum eſſe ARCHILOCHIVM? abibit rurſus in *ſedes laruales* (muſt vaniſh into *Fairy-land*) eius *Ariſtolochus.*

Primus, inter *Latinos*, verſibus *Saturniis* vſus eſt *Naeuius*, poeta antiquus, et aetate *Ennio* prior: numeros eorum facillime omnium ex exemplis cognoſcas. *Naeuii* hi duo ſunt, ap. *Atilium Fortun.* p. 2679.

Nouem Iouis concordes | *filiae sorores.*
Ferunt pulchras pateras | *aureas lepidas.*

In posteriore quorum bis corruptus numerus sic emendandus est:

Ferunt pulchras creterras | *aureas lepistas.*

vid. *Plotius*, p. 2650. et *Nonius Marcellus*, C. de Vasis. Proximus *Metellorum* est, inimicorum *Naeuii:*

Dabunt malum Metelli | *Naeuio poetae.*

vid. *Atilius*, ibid.

Iam autem obseruatum est a *Terentiano Mauro*, elegantissimo scriptore, p. 2439. Errare *Latinos*, quum *Saturnium* versum inuentum, opinentur, a suis popularibus: quum sit a *Graecis* profectus. Idem ait *Fortunatianus:* et addit, inueniri apud *Euripidem*, *Callimachum*, et ARCHILOCHVM. Exemplum hoc habet, vocatque ARCHILOCHIVM:

Quem non rationis egentem | *vicit Archimedes.*

Similiter *Seruius*, Centim. p. 1825. ARCHILOCHIVM profert:

Remeauit ab arce tyrannus | *hostibus deuictis.*

Non sunt vere hi duo versus *Archilochi*, sed facti ab istis grammaticis conuenienter illius numeris: sed habeo, quorum auctor ipse sit:

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε | *χρῆμά τοι γελοῖον.*
Ἀστῶν δ᾽ οἱ μὲν κατόπισθεν | *ἦσαν οἱ δὲ πολλοί.*
Ἐρέω πολὺ φίλταθ᾽ ἑταίρων | *τέρψεαι δ᾽ ἀκούων.*
Φιλέειν στυγνόν περ ἐόντα | *μηδὲ διαλέγεσθαι.*

vid. *Hephaest.* p. 48. 50. qui, Archilochum, ait, *primum hoc genere vsum fuisse:* Πρῶτος τούτοις Ἀρχίλοχος κέχρηται. Vix autem, vt opinor, opus est, moneam, hos ARCHILOCHIOS versus eosdem, quos SATVRNIOS, esse: satis indicant ipsi numeri; nec enim inter se differunt, nisi quod dactylus sit pro spondaeo, aut trochaeo, quae consueta varietas in *Latinis* etiam *Saturniis;* vt in his, e *Tabulis Triumphalibus*, apud *Atilium Fort.* ibid.

Fundit, fugat, prosternit | *maximas legiones.*
Duello magno dirimendo | *regibus subigendis.*

Singulos incidi, vbi caesura media est, quo lector, si forte ab hac parte doctrinae sit alienus, percipere numerum possit. Ac, nisi fallor, pulchre sibi persuasum habebit, non esse a manu auctoris, quod citat *Boyleus*, *Aristolochium*, sed *Archilochium.* De reliquis nominibus, *Aristodolium* et *Archebolion;* prius, manifesto corruptum; posterius, vt videtur, nec in libro MS. non edito, sed ex coniectura *Carrionis*, est, eaque falsa; nam *Archebulii*, vt nominare debuerat, diuersus plane numerus est, vt patebit his exemplis, apud *Hephaest.* p. 27. et *Atil.* p. 1673.

Ἀγέσθω θεὸς, οὐ γάρ ἔχω δίχα τῶνδ' ἀείδειν.
Tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba.

Ignoscet lector huic digressioni, quod, quem frustra tentauerat *Boyleus*, locum, plane emendaui ego: ex quo longe maior ad me peruentura laus esset, nisi toties eius occasio offerretur.

„Fac vero", inquit *Boyleus*, p. 164. „hos tragicos nusquam commemorari, nisi apud *Phalarin*; quid tum porro? „Excludet *Bentleius* omnes poetas, quorum a vetustis scriptori„bus semel tantum facta sit mentio? Quid igitur *Xenocli* fiet, „quid *Pythangelo*; quorum (saltem *prioris*) mentionem factam „apud vllum scriptorem, nisi semel apud *Aristophanem*, inue„nire, difficillimum *Bentleio* erit?" *Difficillimum* vero! mentionem auctoris factam inuenire in libro tam obuio, quam est *Aeliani* Var. Historia: vbi, l. II. 8. et nomen huius *Xenoclis*, et aetas, et quatuor commemorantur fabulae, *Oedipus, Lycaon, Bacchae*, et *Athamas*; quibus *Euripidem*, aduersarium suum vicit, Olymp. XCI. 1. Tametsi *Aelianus* factum indignatur; *Ridiculum esse, minutum istum* Xenoclem *antelatum* Euripidi; *inprimis, quum istae fabulae* Euripidis *in optimis, quas fecerit vnquam, numerentur. Iudices aut stultos et indoctos, aut corruptos fuisse.* Est haec incorrupta vox bene iudicantis de excellenti virtute posteritatis; quam si futuram praeuidisset *Euripides*, hanc post mortem gloriam cum plausu, *Xenocli* victori imperito, commutare noluisset. *Quare praeteriens* Boyleum *moneo* (liceat sua (p. 162.) in ipsum verba retorquere), *vt ne insolentius se efferat*, quum opus suum magno clamore et plausu, comprobatum audiat ab iis, qui non sunt aequi iudices. Fuerunt *Bauio* et *Maeuio* (quos hic commemorat *Boyleus*), quoad viuerent, admiratores non pauci: ceteroquin de illis siluissent *Virgilius* et *Horatius*. Sed id, quod debet, illorum meritis tribuit posteritas; nam, nec assentari cuiquam, nec solet ea partis alicuius clamore, sed veritate, res iudicare. Sed vt ad *Xenoclem* reuertar; commemoratur quinta eius fabula, *Licymnius*, a scholiast. *Aristophan.* ac duo inde loca proferuntur ab ipso *Aristophane*. *Semel* tantum eius mentionem ab isto poeta fieri, *Boyleus* ait; sed, praeter locum, in Ranis, quem putat *Boyleus*, p. 133. tria sunt, p. 120 364. 464. vbi de eo sermo fit, tanquam *filio Carcini*. Meminit eius quoque *Plato*, comicus, in fragmento, ibid. p. 465.

—— Ξενοκλῆς ὁ δωδεκαμήχανος
Ὁ Καρκίνου παῖς τοῦ θαλαττίου ——

Illusit in eum etiam *Phaerecrates*, alius poeta comicus, ib. 364 Ac de ieo legas apud *Suidam*, variis in locis, vt v. Καρκίνος,

Σφυράδες, et Ἄξενος. Quid ergo ſcriptor Cenſurae vult cum ſuo, *difficillimum erit Bentleio.* Eius cauſa his etiam difficiliora faciam. Sed perſuaſum habeo, ſic eum, *in caſum fortunae re commiſſa*, ſcripſiſſe, adductum ſilentio *Voſſii*, de *Xenocle*, in libro, de Poëtis *Graecis.*

Niſi inanis quaedam gloriae cupiditas, et leuitas fuerat ſcriptoris Cenſurae, ſuam, vt opinabatur, in libris et arte critica peritiam temere oſtentantis, tuto hos duo, de *Ariſtolocho* et *Xenocle*, errores effugiſſet. Quid eſt enim, quod vrgeat? aut quis eſt, quo cum diſputet? Num contra *Phalarin* argumentabar ego, *Nihil vnquam auditum fuiſſe de iis, quos finxerit, tragicis?* Non ſane: ſed *Tragicos ab eo nominatos temporibus illis, quum de ipſa tragoedia nihil adhuc eſſet auditum.*

Haec igitur praecipua cauſa eſt, de qua omnis cum *Boyleo* diſceptatio contentioque ſit futura, *Origo Tragoediae.* In Diſſertatione mea amplexus ſum eorum ſententiam, qui, inuentam a *Theſpide*, volunt, profeſſus, *Praeterire me obſcuram, de* Epigene Sicyonio, *narrationem.* Hoc, vt opinor, certiſſimo argumento eſt, cognouiſſe me, quosdam tragoediae memoriam inde altius temporibus *Theſpidis* repetiiſſe. Sed, maiora eſſe teſtimoniorum in alteram partem momenta, putabam. Tametſi quid ineſt in hac verboſa *Boylei* diſſertatione a p. 165. inde vsque ad p. 180. niſi perobſcura iſta narratio, apparata cum inani ſcientiae oſtentatione et illuſione; quam praeteriiſſe me, declaraueram; et quidem ita comparata, vt, ſi a vitiis, in quae pro more incidit ille, diſceſſeris, nulla particula ſit, quam non, veluti per manus traditam, ab obuiis quibuscunque ſcriptoribus acceperit? Cui tam odioſae declamationi, vt exſtet, quod opponatur; Primum oſtendam, *Theſpin* iure tragoediae *inuentionem* vindicare ſibi poſſe; dein in eius inquiram *aetatem;* ac tandem, quae ſint a *Boyleo* diſputata, eodem, quo ab eo collocata ſunt, ordine videbo.

Celebris illa, in Marmore *Arundeliano*, inſcriptio, facta Olymp. CXXIX, temporibus *Ptolemaei Philadelphi*, CCLX. amplius, ante *Chriſtum* natum, annis, qui doceret tragoediam, PRIMVM *Theſpin* fuiſſe, declarat: Ἀφ᾽ οὗ (lin. 58.) Θέσπις ὁ ποιητὴς . . . . ΠΡΩΤΩΣ ΟΣ ΚΑΙ ΕΔΙΔΑΞΕ . . . . Vox, πρῶτος, non eſt in libris, typis editis: ſed hac de re conſulenti mihi affeuerauit *Millius* meus, vir doctiſſimus, plane ſic eſſe in ipſo, quod nunc *Oxoniae* eſt, Marmore. De his mox plura: fac autem, ſic eſſe, vt edidit *Seldenus:* planum tamen eſt, et inter omnes conuenit, auctorem inſcriptionis hic indicare voluiſſe, quando primum inceperit tragoedia. Praeterea *Dioſcorides* eius inuentionem tribuit *Theſpidi,* in epigrammate:

Θέσπιδος εὕρεμα τοῦτο, τάδ' ἀγροιῶτιν ἀν' ὕλαν
  Παίγνια, καὶ κώμους τούσδε τελειοτέρους
Αἰσχύλος ἐψύχωσε, νοήσιμα * ετα χαράξας
  Γράμματα, χειμάῤῥῳ δ' οἷα καταρδόμενα·
Καὶ τὰ κατὰ σκηνὴν μετεκαίνισεν· ὦ στόμα πάντων
  Δέξιον, ἀρχαίων ἦσθά τις ἡμιθέων.

Sic epigramma diuulgauit *Stanleius*, vir doctiſſimus, in praeclara editione *Aeſchyli:* nec otium mihi nunc eſt ad inquirendum, fueritne typis editum antea. Verſum tertium, in quo manifeſtum vitium ineſt, *Stanleius* emendauit, ὀνήσιμα, pro νοήσιμα, ſcribendo, vt apparet ex eo, quo *Graecum* reddidit, VTILE; reliquam partem non attigit. Exſtat ipſum epigramma in Anthologia Epigramm. Graec. MS. cuius exemplum humanitati *Edwardi Bernardi*, amici olim integerrimi, debeo: eſt autem ibi ſic ſcriptus verſus tertius:

Αἰσχύλος ἐξύψωσε νονήσμια ευτα χαράξας.

Ex quibus partibus disiunctis veram, vt opinor, ſcripturam hanc elicui:

Αἰσχύλος ἐξύψωσε, νεοσμίλευτα χαράξας
  Γράμματα ——

A in extrema voce *νονήσμια* male poſitum erat vice Λ. Ἐξύψωσεν, *euexit* quaſi *in altum* tragoediam, *νεοσμιλεύτων γραμμάτων*, ſeu verborum *nouorum et arte politorum* granditate: quod ei adſcripſit *Ariſtophanes*, Ran. p. 169.

Ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνά·

et ſcriptor vitae eius: *Ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν καὶ ὑπέρογκον*, ΟΝΟΜΑΤΟΠΟΙΙΑΙΣ *καὶ ἐπιθέτοις χρώμενος*. Sed *Dioſcarides*, epigrammatis auctor, etſi *Aeſchylum* cultioris tragoediae auctorem citat, aeque aperte tamen dicit, *εὕρεμα*, *inuentum*, eſſe *Theſpidis*. id quod dilucidius etiam fiet alio epigrammate eiusdem auctoris, in ipſum *Theſpin*, nondum typis edito: ſed exſtat in eadem Anthologia MS.

Διοσκορίδος εἰς Θέσπιν τραγῳδόν.
Θέσπις ὅδε, Τραγικὴν ὃς ἀνέπλασε πρῶτος ἀοιδὴν,
  Κωμήταις νεαρὰς καινοτομῶν χάριτας,
Βάκχος ὅτε τρίτον κατάγοι χορὸν ᾧ τράγος ἆθλον.
  Χ' ὥτικὸς ἦν σύκων ἄῤῥιχος ἆθλος ἔτι.
Οἱ δέ με πλάσσουσι νέοι, τὰ δὲ μύριος αἰὼν,
  Πολλὰ πρὸ σευ, Φήσει, χἄτερα· τἄλλα δ' ἐμά.

Verſus tertius et quartus, qui mendoſi ſunt in MS. nec intelligi poſſunt, ſic forte corrigi debent:

Βάκχος ὅτε τριττὸν κατάγοι χορὸν, ᾧ τράγος ἆθλον,
  Χ' ὡττικὸς ἦν σύκων ἄῤῥιχος, ὗθλος ἔτι.

Cum Bacchus ducat triplicem chorum; cui hircus,
Et cui Attica ficuum cista praemium erat, vt adhuc fabula est.

Per triplicem chorum *Bacchi* intelligit poeta *Trina Dionysia*; Διονύσια τὰ ἐν Λίμναις, Διονύσια τὰ κατ' ἄστυ, et Διονύσια τὰ κατ' ἀγρούς; quibus temporibus, quae mensi *Martio*, *Aprili*, et *Ianuario* respondent, et tragoediae et comoediae agebantur. Postea quidem addita haec oblectamenta Παναθηναίοις fuerunt, quae celebrabantur mense *Augusto*; sed, quum haec mutatio aetate *Thespidis* posterior fuerit, eam non attigit poeta. Sed vt mittam hoc; indicat epigramma, Thespin PRIMVM *finxisse tragoediam, quod tum* NOVVM *oblectamenti genus.* Post *Dioscoridem*, pro *Thespide Horatius* est:

Ignotum tragicae genus inuenisse camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.

Nec tantum recte explicatam, puto, hanc poetae opinionem, sed confirmatam etiam a vetere scholiasta, qui, in edit. *Cruquii*, Thespin, ait, PRIMVM *fuisse tragoediae* INVENTOREM. Atque ad haec omnia addi poterit *Plutarchi* testimonium; cuius verba, in Solon. amplius aliquid indicant, a Thespide *ipsa tragoediae initia repetenda esse*: Ἀρχομένων τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν· et *Clem. Alexandr.*, qui, Strom. I. Thespin *tragoediae innentorem* (ἐπενόησε τραγῳδίαν) facit, vt, *illum comoediae*, Susarionem. Atque in eadem haud dubie opinione *Athenaeus* fuit; quum p. 40. scriberet, *et comoediam et tragoediam inuentam in* Icario, *vico* Atticae, *fuisse*: nam ibi natus *Thespis*. Et, p. 22. *Veteres poetas*, ait, Thespin, Pratinam, Cratinum, *et* Phrynichum, *vocatos* Ὀρχηστικούς, Saltatores; *quod in choris suis tantopere amarent saltationes.* Quod si iam haec cum verbis conferemus *Aristotelis*, Poet. v. *Principio Tragoediam* (ὀρχηστικωτέραν) *saltationes celebriores habuisse, quam deinceps;* plane apparebit, *Athenaeum Thespide* antiquiorem *tragicum* cognouisse neminem: nam si cognouisset, illum nominasse, e re sua fuisset. Sed vitium inest in isto loco, quod per viam corrigam: nam Κρατῖνος, *Cratinus*, qui ibi nominatur, comicus fuit: nec recte iungitur reliquis. Scribendum, puto, Καρκίνος, *Carcinus;* qui poeta tragicus fuit, et semel atque iterum illusus ab *Aristophane*, p. 364. 464. hoc ipso, quod adeo delectaretur *saltationibus*, de quibus loquitur *Athenaeus*, v. *Suid.* V. Καρκ. Fuerunt tres ei filii, quos educauit ad saltandum in choris suis; quapropter illic, inter alia plura cognomina, vocantur ὀρχησταί, *saltatores.* Vt res *Thespidis* nunc persequar; *Suidas* auctor est, Phrynichum *fuisse discipulum* Thespidis *primi tragoediae inuentoris,* ac *Donatus* ait,

Retro prisca voluentibus reperiri Thespin *tragoediae* PRIMVM INVENTOREM. Sed quid singulos testes cito? quum *Platonem* habeamus, qui, in Min. generatim dicat, sua aetate *Communem omnium opinionem fuisse, tragoediam incepisse a* Thespide *vel* Phrynicho, (Ὡς οἴονται, ἀπὸ Θέσπιδος): a qua alienus etsi ipse, suam tamen, vt paradoxon, proponit: ac licet videre, quam parum eius paradoxon fidei; quum singuli eorum, quos citaui, aetate licet posteriores, de eo recusauerint.

Quidquid dictum est *in Thespin*, praeter vagum quendam rumorem (de quo videro, vbi *Boyleo* respondero, de hoc capite), dictum est pro *Epigene* quodam *Sicyonio*. Solus hic est, qui nominatur, quem *Thespidi* opponas. Et quis est, qui pro hoc *Epigene* stet? Vnicus modo testis; et ille quidem non nisi tenuem auditionem narrat, quam ipse falsam habuisse videtur. Thespis, inquit *Suidas*, in v. Θέσπ. *Sextus decimus ab* Epigene Sicyonio *tragicus numeratur*: *sed alii*, Thespin *ab illo secundum*, *alii*, *omnium fuisse primum*, *volunt*. Et, vbi explicat prouerbium, Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. *Natum id*, ait, *a quadam* Epigenis Sicyonii *tragoedia: sed Esse*, *qui alia et meliora de eo tradant*. Quod si hoc totum est, quod de *Epigenis* fabula; imo vero, si totum, quod omnino de eo sit dictum (nam, qui eius meminerit, praeter *Suidam*, esse, puto, neminem) corruit, vt opinor, haec male sustentata tragoediae causa: nisi fortassis eius imbecillitate ad eam fulciendam alliciatur *Boyleus*. Nam, vt alios corporis, sic ingenii vi eum defendere vulgo infirmiorem, video. Sunt, fateor, *Lilius Gyraldus*, de Poetis, et *Gerardus Vossius*, de Poetica, vir vterque summus, ne alios commemorem, qui dicant, hunc ipsum *Epigenem* citatum, et quasdam eius fabulas nominatas, ab *Athenaeo* esse. Si ita est, res iudicata recognoscenda est. Sed, bona cum venia *Boylei*, iterum *viris summis contradicam*: dico enim, *Epigenem* illum *Athenaei*, poetam comicum fuisse, et aliquot aetatibus posteriorem, hoc, quem fingunt, *Epigene* tragico. Sponsor mihi ipse *Suidas* est. Epigenes, inquit, *poeta* COMICVS: *eius fabulae sunt*, Ἡρωΐνη, Μνημάτιον, *et* Βακχεῖα, *vt tradit*, *in Deipnosophistis*, Athenaeus. Trahit quidem hoc testimonium in suam partem *Gyraldus*; et, pro Κωμικὸς, reponit Τραγικός. Sed interponit se *Athenaeus*, quo minus haec mutatio fiat: Epigenes, inquit p. 384. *poeta* COMICVS *in* Bacchis: Ἐπιγένης ὁ Κωμῳδοποιὸς ἐν Βάκχαις· Ἀλλ' εἴ τις ὥσπερ χῆν' ἔτρεφέ με λαβὼν σιτευτόν· Versus ita distinguendi sunt:

Ἀλλ' εἴ τις ὥσπερ χῆνά μ' ἔτρεφεν λαβὼν
Σιτευτόν — —

Indicant ipſa verba, ſe attingere *comoediam*, quum ſermo ſit de *anſere ſaginato*. Et vero ipſa materia omnium eius fragmentorum id declarat: eſt, in quo *ficuum*, *in coena*, fiat mentio, p. 75. Ἐπιγένης ἐν Βραγχίᾳ·

Εἶτ' ἔρχεται χελιδειίων μετ' ὀλίγον
Σκληρῶν ἁδρὸς πινάκισκος — —

Corrige,

— — Εἶτ' ἔρχεται
Χελιδονείων μετ' ὀλίγον σκληρῶν ἁδρὸς
Πινάκισκος — —

Aliud ſuppeditat eadem fabula (p. 498. Ἐπιγ. ἐν Βακχίᾳ), tria Μνημάτιον, ac duo Ἡρωΐνη, de *poculis*, omnia: ex vltimo quorum, ap. *Athen.* p. 502. quaedam, de aetate poetae, elici poſſunt:

Τὴν Θηρίκλειον δεῦρο καὶ τὰ Ῥοδιακὰ
Κόμισον — —

Huc adfer Thericleum *et pocula* Rhodia. Nam, quum poculum THERICLEVM nominauerit, certum eſt, aetate non fuiſſe *Ariſtophane* priorem: vid. ſupra, p. 61. cet. quin tempora longe recentiora attigiſſe, docet *Iulius Pollux*, VII. 10. vbi nouae comoediae poetam vocat: Τῶν δὲ νέων τις Κωμικῶν Ἐπιγένης ἐν Ποντικῷ. Τρεῖς μόνους σκώληκας ἔτι, τούτους δέ μ' ἔασον καταγαγεῖν. Numeri verſuum hi ſunt:

— — Τρεῖς μόνους
Σκώληκας ἔτι· τούτους δέ μ' ἔασον καταγαγεῖν.

Sic, vt opinor, ſaluis illorum manibus, plane oſtendi, *Gyraldum* et *Voſſium* erraſſe, de *Epigene*. Vnum addo, corrigendum eſſe apud *Suidam* Ἡρωΐνη pro Ἡραΐνη; et Βακχεία pro Βακχεῖα: ac tria apud *Athenaeum* Βάκχαι, Βραγχία, et Βακχία, vnum idemque fabulae nomen eſſe, toties corruptum, exiſtimo.

Obſeruet, velim, lector id, quod dicat *Phalaris*, ep. LXIII. (XVIII.) Ariſtolochum SCRIPSISSE *tragoedias in ſe:* ΓΡΑΦΕΙΝ τραγῳδίας· atque vna recordetur eius, quod ſupra oſtendi, et comoedias, et tragoedias, aliquamdiu ſubitas et fortuitas fuiſſe; nec diuulgatas vnquam, nec ſcriptas. Fac ergo *Epigenem* hunc, aut alium quemuis *Sicyonium*, excitaſſe tragoediam ante *Theſpin;* non tamen excuſabitur *Phalaris;* niſi eius defenſor demonſtrauerit, ante tempora *Theſpidis*, *ſcriptam* tragoediam fuiſſe. Sed fundamentum eius nullum eſt, nulla cauſa; nulli veterum ſunt, qui id ſuſtineant, nulla tragoedia citata vsquam, illius temporibus antiquior. Plane *Donatus*, primum fuiſſe, ait, qui *ſcriberet:* nec veri ſimile eſt, opinionem de tragoedia, ab illo primum inuenta, tam com-

munem fuisse, quam ostendimus, si vlla exstitisset vetustioris tragoedia poetae. Imo, longius etiam progredior, ac libere, quod sentio, dicam, *Ne ipsum quidem* Thespin *aliquid scripto in vulgus edidisse:* quod si effecero, hoc magis praesens argumentum contra Epistolas valebit. Tametsi sine eo etiam validissimum est; si veri *Phalaridis* aetate posterior fuerit *Thespis*, quod iam demonstrabo. Sed iam audire mihi videor, qui vociferentur, Esse *paradoxa, et studium contradicendi viris summis, futili aut nulla de causa;* nam in Marmore *Arundeliano* Ἄλκηςις *Thespidis*, a *Iulio Polluce* Πενθεύς, et quatuor, aut quiuque, amplius a *Suida* commemorantur; proferuntur a *Plutarcho* et *Clemente Alexandr.* aliquot eius versus. Haud dubie haec praeiudicata magnam vim adferent ad opinionem meam dicam, an suspicionem, euertendam: sed melius lector rem iudicabit, vbi cognouerit, quibus ea rationibus nitatur.

Hoc, tanquam fundamentum iacio eorum, quae de hac materia dicentur: *Heraclidem*, celebrem illum *Ponticum*, *Thespidis* inscripsisse tragoedias suas. Φησὶ δ' Ἀριςόξενος ὁ Μεσικὸς, inquit *Diogenes Laertius*, Heracl. καὶ Τραγῳδίας αὐτὸν ποιεῖν, καὶ Θέσπιδος αὐτὰς ἐπιγράφειν. Fuit hic *Heraclides Aristotelis* discipulus: atque ita quoque *Aristoxenus*, isque illo etiam praestantior: vt hoc factum sedes et fundamentum constituendae fidei firmissimum sit.

Iam autem ante fraudem hanc *Heraclidis* nihil, quod *Thespidis* esset, commemoratum reperitur. Loquitur, in Poet. *Aristoteles*, de origine, progressione, et profectione, tragoediae; dictata dedit de fabulis primorum poetarum: sed verbum nullum de aliqua *Thespidis* fabula. Hoc aperte indicari mihi videtur, nihil eius fuisse seruatum; sed locus *Platonis* est, ex quo clarius illud intelligas. *Tragoedia*, inquit, in Minoe, *res perantiqua est, nec, vt opinio est, incepit a* Thespide, *aut* Phrynicho. Ex hoc confici arbitror, vt, si temporibus *Platonis* fuerint, qui, tragoediam a *Phrynicho* inuentam, opinarentur, nihil vnquam iis auditum fuerit et cognitum de *Thespidis* tragoediis. Nam si fuisset, nulla fuisset controuersia, vter illorum inuenisset: erat enim alter, integra aetate omnino, posterior altero. Quum vero interiissent tragoediae *Thespidis*, et illae *Phrynichi* earum, quae exstabant, antiquissimae essent, hunc primum auctorem credere, complures animum induxerunt.

Post tempora *Heraclidis*, pauca quidem *Thespidis* fragmenta citata reperiuntur, commemoranturque quarumdam eius fabularum nomina: sed nunc ostendam, singula ista loca esse ex confictis ab *Heraclide* tragoediis, non ex ipsius *Thespidis* scriptis.

artificialia pertinet, Κναξζβὶ, Χθύπτης, Φλεγμώ, Δρόψ; quibus comprehenduntur viginti quatuor omnino *Graecarum* literarum elementa. Iam nego, si *Thespidis* aetate nondum inuentae fuerint omnes XXIV. hae literae, eius esse vere posse hoc fragmentum. Consequens, vt opinor, tam manifestum et planum est, vt ne ipse quidem *Boyleus*, cum noua sua dialectica, efficere, quod sit aptum magis, possit. Obseruandum itaque, diu fuisse post introductam *Graecae* scripturae, et vero etiam librorum conscribendorum, consuetudinem, antequam literarum *Graecarum* numerus fuerit perfectus, qualis nunc est, et ante duo millia abhinc annorum fuit. Erant quidem tum iidem, in pronunciando, soni (nec enim mutata lingua) sed non eadem, in scriptura, ratione exprimebantur. Istis temporibus E valebat vtrumque, et E, et H; vt vnum E *Anglicum* nunc duo distinctos sonos habet, in THEM, et THESE. Si O erat vtrumque, O et Ω. ac sonus literae Z exprimebatur per ΔΣ, Ξ per ΚΣ, Ψ ΠΣ. et quibus adspirabatur, literae tres scribebantur, ΤΗ, ΠΗ, ΚΗ, quae deinceps Θ, Φ, Χ, fuerunt. Ista aetate, cogitandum est, primum versum *Homeri* sic scriptum fuisse:

ΜΕΝΙΝ ΑΕΙΔΕ ΤΗΕΑ ΠΕΛΕΙΑΔΕΟ ΑΚΗΙΛΕΟΣ.

Atque eadem scribendi consuetudo aetate *Thespidis* vigebat: quod literarum numerus non, nisi post mortem eius, fuit completus, Nam inter omnes constat, siue *Simonidem*, siue *Epicharmum*, siue vtrumque, quasdam inuenisse literarum. *Plinius*, VII. 56. auctor est, Simonidis *Melici esse, perhiberi,* ΖΗΨΩ. Aristotelem *autem* XVIII. *priscas fuisse, et duas ab* Epicharmo *additas* ΘΧ, *quam a* Palamede, *malle. Marius Victorinus*, p. 2459. Simonidem, ait, *inuenisse* ΘΦΧ. Simonides *quatuor addidit* inquit *Hyginus*, Fab. 277. *et duas*, Epicharmus; *tres* autem *addidisse* Epicharmum, Simonidem *duas Io. Tzetzes*, Chil. XII. 398. vult. Sed haec qualiscunque dissensio, in praesenti quaestione, momenti nullius est: nam XXIV. literae omnes in hoc, *Thespidi* afficto, fragmento commemorantur. Sufficit ergo, illarum aliquas inuentas fuisse siue ab *Epicharmo*, siue *Simonide*. Nec enim potuit *Epicharmus* supra XXVII. annos esse natus, ac verisimillimum est, longe fuisse minorem, Olymp. LXI. qui terminus *Thespidis* vltimus est. Ac *Simonides* eodem tempore annos tantum XVI. habuit, vt ex ipsius verbis nouimus. v. supr. p, 21. Vt igitur reliquorum testimonia mittam; vnus *Aristoteles*, qui eius, quod traderet, veritatem ex tot inscriptionibus, ante tempora *Epicharmi* scriptis, et sua aetate adhuc dum exstantibus, cognoscere poterat, testis certissimus est. Certum itaque est, lo-

cum hunc, *Thespidi* adscriptum, falsum esse; ac probabile est, sumtum esse ex aliqua commenticiarum fabularum, quas ei affinxerit *Heraclides*.

Proximo loco, ostendam, reliqua, quae citantur; *Thespidis* eidem plano deberi. Tradit *Zenobius*, v. 40. *Principio chorum solitum fuisse* Baccho *canere* dithyrambum: *sed postea temporis, eo neglecto, poetas Gigantes et Centauros argumentum fecisse fabularum* (Αἴαντας καὶ Κενταύρους λέγειν ἐπιχειρῆσαι forte vera scriptura est Γίγαντας.). *Quapropter in eos allusisse spectatores*: Nihil illud ad *Bacchum* attinere. *Poetas itaque nonnunquam* Satyros *induxisse, ne, prorsus obliuisci deum festiuitatis, viderentur.* Atque in eandem rem *Suidas*, in Οὐδὲν πρὸς Διόν. narrat; *Primum fabulis omnibus subiectam materiam, ipsum* Bacchum *cum* Satyris, *fuisse: quam ob caussam fabulas istas nominatas* Σατυρικά: *dein autem, quum in consuetudinem vsus venirent tragoediae; poetas deflexisse ad fabulas et historias* (Εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν), *vnde natum prouerbium*, Hoc nihil ad *Bacchum*. Addit porro, Chamaeleontem *idem narrare in libro, de*, Thespide (Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος). Fuit hic *Chamaeleo* vir doctissimus, discipulus *Aristotelis*. Ac licet colligere ex ipso nomine libri eius, hanc tragoediae mutationem, certe quadam ratione, attigisse *Thespin*: siue vltimus, fuerit, qui *Satyricis* fabulis vteretur, siue primus, qui negligeret. Vtrum autem fecerit, dictu difficile esset; nisi nos expediret *Plutarchus*. *Cum*, inquit, Symp. l. I. c. I. Phrynichus *et* Aeschylus *argumentum tragoediae conuertebant ad fabulas, et lugubria facta, Quid hoc, inquiebat populus, ad* Bacchum? (Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων.) Apparet enim ex hoc loco *Plutarchi*, comparato cum reliquis, supra prolatis, veri *Thespidis* fabulas Satyricas omnes (i. e. iis comprehensas fuisse res *Bacchi*, chorum constitisse ex Satyris, ac denique argumentum fuisse ludicrum), *Phrynichum* autem et *Aeschylum* primos auctores nouae ac lugubris tragoediae fuisse. Imo post tempora *Thespidis*, tam tarde emersit seria tragoedia, vt, teste *Suida*, in Πρατ. e quinquaginta fabulis *Pratinae*, qui proxima a *Thespidis* aetate viueret, duae et triginta Satyricae fuisse dicerentur.

Adiungamus haec nunc fragmentis, *Thespidi* adscriptis, vnum quorum ita citatur a *Plutarcho*, de Aud. Poet. Τὰ δὲ τοῦ Θέσπιδος ταυτί.

Ὁρᾷς, ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
Οὐ ψεῦδος οὐδὲ κόμπον, οὐ μωρὸν γέλων
Ἀσκῶν· τὸ δ' ἡδὺ μοῦνος οὐκ ἐπίσταται.

Quid intereſt, inquit *Plutarchus*, *hoc inter*, *et illud* Platonis, *Diuinitatem eſſe ab omni voluptate et dolore remotam* (Πόῤῥω ἡδονῆς καὶ λύπης ἵδρυται τὸ θεῖον)? Quid? re vera nihil intereſt: nec, alio opus eſſe, arbitror, argumento, quo pateat, non poſſe illud eſſe e fabula Satyrica ludrici argumenti, quales *Theſpidis* erant omnes. Nam nullo modo haec verba *Baccho* et Satyris conueniunt: ac dicam, grandiora etiam eſſe et philoſophica nimis, quam pro ipſo *Theſpide*. Sed fac, animum eius potuiſſe ad tantam cogitandi altitudinem aſſurgere; ſententiam tamen nequaquam collocaſſet in ore dei iſtius ebrioſi, eiusue miniſtrorum laſciuorum. Ipſe *Aeſchylus*, ille ſcenae grauis emendator, raro aut nunquam heroes inducit ſententiis vtentes philoſophicis, a tragoediae rationibus id abhorrere ratus: Τὸ γνωμολογικὸν ἀλλότριον τῆς Τραγῳδίας ἡγούμενος, inquit auctor Vit. *Aeſch.* quo minus id feciſſet *Theſpis*, cuius tragoediae, non niſi ludicra erant. Probabile igitur non eſt, fragmentum hoc verum eſſe; et, ad quem referendum ſit, auctorem, ex indicio, quod fecit *Plutarchus*, licet id non animaduerterit, cognoſcas. Nam, vt indicauit, ſententia *Platonis* eſt; cuius igitur eſſet fragmentum, niſi *Heraclidis*, *Theſpin* mentiti, qui (teſte *Laert.* Heracl.) primum inter diſcipulos *Platonis* numeratus, a vetere magiſtro ſententiam accipere potuit?

Alius verſus citatur a *Iulio Polluce*, e *Theſpidis Pentheo* VII. 13.

Ἔργῳ νόμιζε νευρίδας ἔχειν ἐπενδύτην.

Vbi, pro *νευρίδας ἔχειν*, reponas *νεβρίδ' ἔχειν*. Iam ipſum fabulae nomen, Πενθεὺς, et reliqua, a *Suida* commemorata, Ἆθλα Πελίᾳ ἢ Φόρβας, et Ἱερεῖς, et Ἤιθεοι ſatis declarant, non potuiſſe fabulas eſſe Satyricas, nec adeo *Theſpidis*, qui nullas, niſi illius generis, fecit. *Caſaubonus*, de Satyr. p. 157, et 30· quum e veteribus docuiſſet, *Theſpin* Satyricarum fabularum genus inueniſſe; *Tamen inter fabulas*, inquit *quae* Theſpidi *adſcribuntur*, *nulla eſt*, *quae Satyrica fuiſſe videatur*. Πενθεὺς *quidem tale quid inprimis indicare videtur; ſed obſervatum eſt*, *veteres poetas nunquam induxiſſe Satyros cum* Pentheo. Verbis *Caſauboni* de induſtria vſus ſum, etiamſi obſervationem ei non debeam; quod non poteſt non iudex videri aequus, et nullius partis; quum nihil ſuſpicatus ſit eius, quod nunc inde efficio. Summa enim concluſionis haec eſt; Nihil editum ſcripto fuiſſe ab ipſo *Theſpide*; atque *Heraclidis* figmentis impoſitum eſſe *Clementi*, *Plutarcho*, *Polluci*, ceteris. Quo, per viam, excuſari quodammodo poſſet *Boyleus*, niſi,

qua in primo errore perſiſtit, pertinacia eſſet, quae cauſam huius illorum cauſae diſſimillimam faceret.

Proximum, de quo mihi cum *Boyleo* diſceptandum eſt, veri *Theſpidis* aetas eſt. Ac teſtis, qui primus omnino audiri meretur, Marmoris *Arundel.* auctor eſt: eſt enim eorum, qui nunc exſtant, ſcriptorum antiquiſſimus, qui aetatis illius faciat mentionem; maxima cum cura in toto opere verſatus eſt, et ſpeciatim ſtudioſe inquiſiuit in hiſtoriam poetarum et ſcenae vt ex quam plurimis temporum notis, diuerſos poetas attingentibus, apparet; et, quod ad fidem faciendam longe maximum momentum adfert, habemus adhuc ipſum Marmor; vt numerorum notae (vbicunque legi adhuc poſſunt) haud dubie verae ſint, nec obnoxiae, vt libri ſcripti, mutationibus, et interpolationibus, quas negligentia aut fraus librariorum pariat. Literae partis iſtius, qua *Theſpidis* aetas definitur, nondum exeſae hae ſunt: Ἀφ' ἕ Θέσπις ὁ ποιητὴς .... πρῶτος ὃς κὴ ἐδίδαξεν .... τέθη ὁ .. ράγος· quod aeque clare indicat, ac ſi toto integra eſſet, Theſpin PRIMVM *inueniſſe tragoediam, et* HIRCO *fuiſſe donatum illius victorem.* Ipſe ille annus, quo hoc accidit, cognoſci nunc quidem e Marmore nequit; numeri enim vetuſtate et aeris vi exeſi ſunt; ſed vero, quam proxime opus eſt, in praeſenti quaeſtione, accedere licet. Nam certum habemus, annum eſſe debere, qui incidat in interuallum, quod antecedens, et ſubſequens tempus intercedat; quod in tota inſcriptione iuſtus ordo et progreſſio temporum ſeruatur Et antecedens quidem tempus (lin. 57.) definitur Cyri *de* Croeſo *victoria, et* Sardibus *captis*; quod, vt inter optimos temporum doctores, *Scaligerum*, *Lydiatum*, *Petauium*, *cet.* conuenit, incidit in Olymp. LIX. 1. aut minimum, Olymp. LVIII. 2. Subſequens (l. 59.) autem terminatur *Initio regni* Darii, Olymp. LXV. 1. Sed ſi tragoedia inventa fuit a *Theſpide*, inter Olymp. LIX. 1. et LXV. 1. qui potuit eius intelligentiam habere *Phalaris*, qui interfectus eſt ante, Olymp. LVII. 3?

Atque haec ratio teſtimonio *Suidae* confirmatur, idque mutuo confirmat, quum ille, Theſpin (primam) *fabulam feciſſe*, ait, *Olymp.* LXI. Θέσπις ἐδίδαξεν ἐπὶ τῆς α. κὴ ξ. ὀλυμπιάδος· quod tempus incidit inter duo articulos, ante et *Theſpin* notatos. Quique primus edidit inſcriptionem, ac vidit, et menſus eſt lapidem, *Seldenus* numeros ibi ſupplet ex hoc *Suidae* loco, *ſpatio*, inquit, *lacunae annuente. Seldenum* inde ſecuti fuerunt omnes; ac tempus a *Suida* definitum, alio confirmatur *Phrynichi*, *Theſpidis* diſcipuli. Nam (*Suid.* Φρύνιχ.) Olymp. LXVII. docuit *Phrynichus*, i. e. annis a *Theſpide*

XXIV. iuſto, diſcipulum inter et magiſtrum, interuallo. Sed ſi adhuc reſiſtere et repugnare contra hanc Marmoris interpolationem velit *Boyleus:* faciat hic, vt ante, de aetate *Suſarionis; Sume tuo* (p. 141.) *mediam rationem* inter duo tempora, ante et poſt notata. Et quid ex eo lucri faciet? Antecedit Olymp. LIX. 1. ſequitur LXV. 1. Medius, inter vtrumque, annus eſt Olymp. LXII. 1. quod eſt quadriennio, quam a *Suida* collocatur, poſterius.

Sed videamus, quanta dexeritate, labefactare hoc Marmoris *Arundeliani* teſtimonium, conatus ſit *Boyleus:* nam, tanquam alter *Phaethon* ſublatus, currum conſcendit, ac temerario auſu per altiſſimas criticae partes inuectus eſt, ſed pronus deuolutus in caput, cecidit miſerandum in modum. Tentavit autem hac via; *Sculptorem* Marmoris (p. 168.) inſimulat integri verſus omiſſi; aut fortaſſe plurium; nec enim hoc definit. Ipſam inſcriptionem, cuius exemplum faceret ſculptor, hanc formam habuiſſe, opinatur:

'Αφ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητὴς ....:
....
'Αφ' οὗ Φρύνιχος ὁ ποιητὴς ...... αχι ... ος .ἐδίδαξεν
· αλ ... στιν ..... τέθη ὁ .. ρχγος ....

Spatio, inter Θέσπις ὁ ποιητὴς et 'Αφ' ȣ̃ Φρύνιχος, quod nunc omiſſum eſt *negligentia ſculptoris*, compreheňſa erant, vt ille opinatur, ea, quibus definitur *Theſpidis* aetas, *i. e.* nomen et tempus actae eius fabulae, et *magiſtratus Athenienſis.* Quum vero primum verſum, non vltra ποιητὴς, in lapidem incidiſſet Sculptor; caſu (p. 168.) *oculum coniecit in verſum ſequentem, et vocem,* ποιητὴς, *ſimili modo collocatam cum inueniſſet, recta inſiſtere ſe ratur, ad reliqua, quae ſequerentur, aggreſſus eſt;* atque ita ad *Theſpin* retulit, quae vere, et in vero exemplo, *Phrynichum* attingerent. Facinore hoc tam mirando vehementer delectari videtur noſter (p. 169.); ſemel atque iterum id inculcat, ſuamque, in eo, ſagacitatem admiratur: ſed erit fortaſſe poſthac, quum exemplo ſuo docebit *tirones* et rudes *in ſcribendo*, ſine pennis volare haud facile eſſe.

Fundamenta, quibus haec, contra *ſculptorem* criminatio nititur, tam ſunt infirma et precaria, tam inutilia et aliena ab ipſo *Boylei* propoſito; vt, niſi hoc eius *opus ſingulare*, vt ipſe vocat, p. 68 paulo mihi eſſet factum iam notius, obſtupuiſſem, cum viderem, qua ille incederet via. Primum eſt, p. 168. *Quod* Alceſtis, "Αλκηςις, *quam ſculptor* Theſpidis *fabulam fecit, nomen eſt fabulae* Phrynichi; *ſed nusquam numeratur inter eas* Theſpidis, *niſi hic.* Sed iam demonſtraui, "Αλκηςιν eſſe ſolummodo interpoſitum a *Seldeno*, et quidem falſam conīectu-

ram, e vestigiis obscuris literarum AA ... ΣΤΙΝ. quae nunc plane euanuerunt; ac re vera nec "Αλκηςιν, nec vllius fabulae nomen, commemorari in Marmore. Sed finge, fuisse ibi "Αλκηςιν; num, quod voluit *Boyleus*, consequitur? Nullasne *Thespis* tragoedias fecit, nisi a *Suida* commemoratas? Non aperte ipse *Suidas* dicit, *Fuisse nomina* QVARVNDAM *eius fabularum*, non OMNIVM, quas fecisset? Τῶν δραμάτων αὐτῦ, inquit, v. Θέσπ. ἆθλα ἐλίε, κ. τ. λ. non τὰ δράματα. Quam vero apta conclusio haec: Alcestis *fabula* Phrynichi *fuit: ergo nulla* Thespidis *fuit eodem nomine.* Quasi vero eaedem res, eaedem personae a diuersis poetis iterum atque iterum non inducerentur? Inter paucas, quae nunc exstant, tragoedias, habemus Ἠλέκτραν *Sophoclis*, et aliam Ἠλέκτραν *Euripidis.* Imo praeter hanc ipsam "Αλκηςιν *Phrynichi*, et aliam, cui nomen Φοίνισσαι fuerunt. "Αλκηςις et Φοίνισσαι *Euripidis* quoque, quae adhuc exstant. Cur ergo non potuit vnam tragoediam post *Thespin* scribere *Phrynichus*, duas post hunc potuit *Euripides?*

Proximum, cur *sculptorem* insimulauit praetermissionis quorundam versuum, est; *Quod* (p. 168.) *constat, saepius id accidisse in describendis codicibus MSS.* Habes aliam conclusionem priori similem. *Quod saepe accidit, vt praetermitterentur quaedam in describendis codicibus MSS.* ergo *hoc omissum in verbis, quibus* Thespidis *aetas definitur.* Quod si alicuius momenti hoc argumentum est, similiter id valebit contra reliqua in hoc Marmore definita tempora, et contra quaecunque Marmora, et libros MSS. Quid enim firmum erit, si hoc euerti poterit, quum dicas, *Saepe accidisse, vt quaedam praetermitterentur?* Si sculptoris negligentiam coarguere vellet *Boyleus*, ex ipso loco, ex interrupta sententia, alioue eius vitio, ductis argumentis, demonstrare deberet, esse, cur suspicaretur, quosdam versus esse praetermissos. Sed accusare eum velle hac generali de causa, quod *fuerunt, qui negligenter in describendo versarentur*, tam est sapientis, et aequi animi, quam si *Boyleum* accusaueris temeritatis, quod se interposuit rebus, quas non intelligeret, *Quod constat, saepius id accidisse in rudibus scriptis* tironum in scribendo. Praeterea aliud est, quod huius vim argumenti infringat. Nam etsi aliquando accidit, vt quis in describendo versum vnum et alterum praetermittat, quum alio deflectat oculos; tamen, modo eam adhibeat diligentiam, vt suum cum vero exemplo componat, mox, quod sit praetermissum, animaduertet, et corriget: atque eo fit, vt tali modo quod praetermissum sit in contextu MSS. generatim ab eadem manu in margine adscriptum reperiatur. Si igitur fingamus, scul-

ptoris negligentia aliquid praetermiſſum eſſe; num etiam fingere licet, auctorem inſcriptionis nunquam legiſſe, quod eſſet inſculptum? Num vir doctus, et illuſtris, vt ille fuiſſe videtur, qui tanto ſtudio ſeriem temporum ab ante *Deucalioneum* diluvium inde ad ſuam aetatem vsque contexuit, eamque, vt ad poſteritatem tranſmitteretur, in marmore inſculpſit, et in loco conſpicuo, tanquam monumentum publicum, collocauit, tanta ſtupiditate et negligentia eſſe, vt non exigeret opus ſculptoris, vbi vnius literae abſentia, in notis temporum, falſam rationem, et auctoris inſtitutum irritum, faceret? Quam igitur abſurdum et ſtultum eſſet, ſi, quemadmodum *Boyleus* affirmat, integri verſus fuiſſent praetermiſſi a ſculptore, vitio non correcto. Num fieri potuit, vt auctor monumenti (imo vero *auctores* dixerim, nam factum videtur publicis ſumtibus) tam ſecum ipſe pugnaret? Hoc credat, ſi volet, aut fingat, ſe credere, *Boyleus;* vbi vero me id aientem deprehenderit, per me licebit, iterum dicat conſueta ſua vrbanitate, *Non habere me cerebrum.*

Docet enim ipſa verborum ſententia, nihil hic praetermiſſum culpa ſculptoris. Verba haec ſunt: 'ΑΦ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητὴς . . . . . . πρῶτος ὃς καὶ ἐδίδαξεν . . . . τέθη ὁ . . ἐχγος. Si iam omnia verba, poſt ποιητὴς, ad *Phrynichum* pertinent, vt vult *Boyleus*, non autem ad *Theſpin*, vt vult ſculptor; quid, amabo, eſt ΠΡΩΤΟΣ, PRIMVS? Scio, *Theſpin* PRIMVM *inueniſſe trogoediam;* idque, quod hic commemoraretur, dignum erat, vt ante, comoediae inuentio. Sed quid PRIMVS inuenerat *Phrynichus*, hic dignum memoria? At PRIMVS *feminas induxit* (*Suid.* Φρύν.); quod minoris momenti eſt, quam illud *Aeſchyli*, qui alterum actorem *primus* addidit; aut, qui tertium, *Sophoclis:* tametſi neutrum horum commemoratum in Marmore: cur itaque hoc *Phrynichi* fuiſſet notatum, praetermiſſum illud? Sed *Boyleo* vitio non vertam, quod, voce ΠΡΩΤΟΣ hoc indicari, non animaduerterit; nec enim eſt in noſtris Marmoris editionibus. Sed vereor, vt facile excuſaturus ſit, quod non obſeruauerit verba ſequentia; . . τέθη ὁ . . ἐχγος· quibus ſignificari, *Hircum fuiſſe praemium tragoediae*, conſtans adhuc opinio fuit. Atqui proprius huius *praemii* commemorandi locus erat, vbi aetas *Theſpidis* notabatur, inuentoris *tragoediae:* nam ſic praemia comoediae, *amphora vini et ciſta ficuum*, relata ad tempora *Suſarionis*, comoediae inuentoris. Quantus autem ſtupor *Boylei* eſt, id non obſeruaſſe, quum tam impudenter affirmat, ſculptorem, quique eum conduxerit, integrum verſum praetermiſiſſe, atque haec verba pertinere ad *Phrynichum?* Quis, quaeſo, locus HIRCO,

ΤΡΑΓΩι est, vbi aetas *Phrynichi* definitur? Num *Boyleus* opinatur, mansisse istud vile praemii genus, quum nomen tragoediae clarum fieri inceperit? Num aut *Phrynichus*, aut pro eo vllus, sumtus scenae, et totius apparatus, ad chorum et actores pertinentis, sustinuisset, in spem hirci obtinendi, qui vix vna persona aestimaretur? In iis locis, quibus *Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, cet.* aetates notantur, nulla mentio *hirci* est, et si haec nota ad *Phrynichum* pertinuisset, nullus in ea *hircus* fuisset inuentus.

Suspicatur *Boyleus* hoc magis, *sculptorem praetermisisse aliquid* (p. 168.); quod *consequens factum, in Marmore, in Olymp.* LXVII. *incidit: ante quod tempus, dubitari nequit, quin* Alcestis Phrynichi (*illius* Phrynichi, *qui fuit discipulus* Thespidis) *acta sit.* Iam, bona cum venia, ex eo, verbis ipsius, quaero (p. 143.), *Num prudenter fecerit, quod* Sculptorem *insimulauit* negligentiae, argumento, quo ipsemet turpissimae *negligentiae* coarguatur? Neque enim *consequens factum in Olymp.* LXVII. *incidit.* Vt edidit *Seldenus*, est modo Olymp. LXV. 4. Sed haud dubie *Seldenus* (vt ante me obseruauit *Prideaux*, vir doctissimus) pro ΠΙ. legit III. i. e. 3. loco 6. Vt verum tempus, proxime ab illo *Thespidis* notatum, Olymp. LXV. 1. sit; sed nota, de qua loquitur *Boyleus*, Olymp. LXVII. *tertia* ab illa, de *Thespide*, est. Non ergo singulari *Boyleus* diligentia est, et idoneus sculptoris corrector? An culpandus est adiutor, qui (Praef.) *libros consuluit pro eo?* Sed potius opinere, adiutorem recte hunc locum scripsisse, et esse errorem *Boylei: constat enim, saepius id accidisse in describendis codicibus MSS.* (p. 168.)

Sed vitium compensat *Boyleus* rei noua, de qua constet, narratione: *Nam*, inquit, p. 168. *dubitari nequit, quin* Alcestis Phrynichi *acta sit ante Olymp.* LXVII. Iam quaero ex eo, vnde hoc resciuerit? Sed fortasse ille, *Eodem iure quaerere me posse, vnde resciuerit, esse illi nomen* Phrynicho? *Famam, quae vnum narraret, potuisse etiam alterum narrare.* Sed, nisi nimis famae credat (quod ne faciat, auctor ei sum, nam inconstans valde est), rem nouam ei narrabo, huic ipsius narrationi contrariam plane: *Dubitari non posse, quin* Alcestis NON *acta sit ante Olymp.* LXVII. Quia ista Olympiade primum fabulas scripsit *Phrynichus*; isque vixit, et fabulas docuit adhuc, annos inde XXXV. Adhaec alia quaedam, de hoc *Phrynicho*, ei narrabo: sed ante, bona cum venia, cum eo expostulabo iniuriam sculptori, in hac quaestione, factam: cuius causa, vt plane apparet, haec erat. Volebat *Boyleus*, *Thespin* altius collocatum in Marmore, quam ad Olymp. LXI. quia ante istam Olymp. mor-

tuus *Phalaris*, ac proinde ei incognita fuerat tragoedia, niſi prius *Theſpis* fuiſſet. Idcirco ſculptorem negligentiae accuſabat, qui, poſtquam ſculpſiſſet, 'ΑΦ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητής, verſum integrum tranſiliuerit, et verba, ad *Phrynichum* pertinentia, adiunxerit nomini *Theſpidis*. Fac iam miſerum ſculptorem confeſſurum hoc; quid, quaeſo, inde ad *Boyleum*, eiusque *principem Siculum*, redundabit commodi? Eſto enim, vt vult ille; 'ΑΦ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητής . . . . eſto verſus, qui debuerat ſubiici, re vera praetermiſſus. Nihilominus tamen, quum THESPIS ibi nominatus ſit, neceſſe eſt, aliquid de eo relatum fuerit in vero exemplo, quod eſſet a ſculptore deſcribendum; et, quamuis temporis nota interierit *negligentia ſculptoris*; tamen ex ordine totius inſcriptionis certum habemus, debere id tempus poſterius eſſe eo, quod antecedat. Sed antecedit Cyri *victoria de* Croeſo, quae incidit in Olymp. LIX. 1. aut minimum LVIII. 2. Mors autem *Phalaridis*, vt ipſe *Boyleus*, per totam Cenſuram, agnoſcit, incidit in Olymp. LVII. Quid erat ergo, cur accuſaret ſculptorem? Etiamſi non tam clare defendi illius cauſa poſſet; tamen res *Phalaridis* in eodem adhuc loco manerent: mortuus enim eſt, vt apparet, VIII. aut V. minimum annis ante, quam *Theſpidis* fit mentio in ipſa inſcriptio. Non ergo *furor* eſt (vtor eius verbo), de verbis in Marmore praetermiſſis adeo declamitare? vbi, ſi, quidquid velit, concedatur, nihil profecerit. Vereor, ne lectores eius animum inducant, ſiue talem ſe ſculptor praeſtiterit, ſiue non, ſaltem eius accuſatorem ſe praeſtitiſſe hic imperitum valde.

Propulſa igitur iniuria, quam *ſculptori* inſcriptionis fecerat ſcriptor Cenſurae, pauca dicam pro auctore eius. Tradit ſcriptor ille eximius, *Theſpin primum* fabulam docuiſſe poſt Olymp. LIX. 1. Hoc enim plane apparet ex eius verbis; quique in *Marmore hoc illuſtrando operam collocarunt* (p. 141.), viri docti, ita acceperunt omnes. Sed diſplicet *Boyleo*: nam (p. 168. 169.). *Quasdam*, ait, *fabulas* Theſpidis *actas eſſe circa Olymp.* LIII. *et ſi haec, circa Olymp.* LX. *eius ſit, vnam de vltimis potius, quam primis, eius eſſe: tamen vere opinari ſe, nec primam, nec vltimam, eſſe eius· ſed* Phrynichi *fabulam, per errorem ad* Theſpin *relatam.* Cui vt reſpondeam, ex eodem, quo *Boyleus* vſus eſt, loco, *i. e. comparata* Theſpidis *aetate cum illa* Phrynichi, ducto argumento, demonſtrare contrarium conabor: Hanc, circa Olymp. fabulam eſſe *Phrynichi* non poſſe; videri autem primam *Theſpidis*.

Suidas, cui plurimum ſe debere confitentur eruditi omnes, quod tot ſcriptorum aetates et opera expoſuerit, *Phrynichum*,

tradit, *discipulum fuisse Thespidis*, (V. Φρύν. Μαθητὴς Θέσπιδος); atque idem plane affirmat ipse *Boyleus*, p. 168. Ambo nominat *Plato*, tanquam qui tragoediae inuentionem sibi vindicent; quum, in Minoe, *Tragoedia*, inquit, *non incepit, vt opinio est*, *a* Thespide *et* Phrynicho. Ac si quis ex hoc loco *Platonis* efficere velit, vt duo poetae aetate propiores inter se fuerint, quam vulgo soleant magister et discipulus; hoc maius momentum argumento meo, contra *Phalarin*, addet: hac enim ratione *Thespis* propior aetate *Phrynicho* erit, et a *Phalaride* remotior. Sed cum *Boyleo* contentio, *Phrynichum* discipulum *Thespidis* fuisse: vt, modo possit discipuli aetas definiri, inde eam magistri cognosci, liceat. Fecit autem *Athenis* tragoediam *Phrynichus*, quam inscripsit Μιλήτου ἅλωσιν, *Excidium* Mileti. Callisthenes *ait* (verba sunt *Strabonis*, XIV. p. 635.) Phrynichum, *poetam tragicum*, *mille drachmis multatum ab* Atheniensibus, *quod tragoediam fecisset*, Μιλήτου ἅλωσιν ὑπὸ Δαρείου, *Miletum captam a* Dario. Et illo antiquior *Herodotus*, *Quum*, inquit, VI. cap. 21. Phrynichus *fabulam*, *Excidium* Mileti, *exhiberet populo; omnes effusi sunt in lacrimas, et poetam mille drachmis multarunt, vetitumque est, ne quis fabulam deinceps istius argumenti faceret*. Idem referunt *Plutarchus*, (Praecept. Reip. Gerendae), *Aelianus* (XII. 17.), *Libanius* (tom. I. p. 506.), *Ammian. Marcellinus* (XXVIII. 1.), Scholiast. *Aristophanis* (p. 364.), et *Io. Tzetzes* (Chil. VIII. 156.). Sed capta *Miletus*, cuius rationes copiose exposuit *Herodotus*, vel Olymp. LXX. vel LXXI. vt inter omnes temporum doctores conuenit. Cumque tragoedia *Phrynichi* istius fuerit argumenti, certum habemus, vixisse eum post Olymp. LXX. Sed est alia eius tragoedia, Φοίνισσαι, ex qua cognoscas, eum vixisse adhuc XX. amplius annos ab ista Olympiade. Citatur a Scholiast. *Aristoph.* p. 318. et est apud *Athenaeum* (p. 635. Φρύν. ἐν Φοινίσσαις) versus, ex ea, iambicus:

Ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ᾽ ἀείδοντες μέλη.

Sed magis distincte de ea agit auctor argumenti, in Persas *Aeschyli*: *Glaucus*, inquit, *in libro*, *de Fabulis* Aeschyli, *ait*, *argumentum* Persarum *eius sumtum esse ex* Phoenissis Phrynichi: (ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι); *quarum* Phoenissarum *primum versum hunc esse:*

Τάδ᾽ ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων·

induci autem eunuchum, Xerxis *cladem nunciantem* (τὴν τοῦ Ξέρξου ἧτταν), *ac sedes sternentem consiliariis regni*. Iam ex hoc fragmento apparet, *Phrynichum* adhuc vixisse post expeditionem *Xerxis*, *i. e.* Olymp. LXXV. 1. Imo, ab hac Olympiade triennio, *Athenis* tragoediam docuit, vicitque; *Themisto-*

cle apparante fcenam et chorum (*Plut.* in Themift. χορηγῶν τραγῳδοῖς); qui, vt eius exftaret memoria, infcriptionem hanc fecit: ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΦΡΕΑΡΙΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ· ΦΡΥΝΙΧΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ· ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΣ ΗΡΧΕΝ· *i. e.* Themiftocles Phrearius *apparauit*; Phrynichus *docuit*; Adimantus fuit *magiftratus*. Ac facile credo, fuiffe iftas *Phoeniffas* hanc ipfam fabulam, quam fecit *Themiftocli*. Quod enim aptius argumentum inueniri poterat, et vberius ad gloriam *Themiftoclis*, quam clades *Xerxis*, in qua tanta eius opera fuerat? Iam ex nomine magiftratus apparet, accidiffe hoc Olymp. LXXV. 4. quamdiu autem huic victoriae fuperftes fuerit poeta, nemo nunc eft, qui dicat.

Vt igitur haec componamus cum iis, quae, de aetate *Thefpidis* et *Phrynichi*, docuerit *Boyleus*; *Dubitari nequit*, inquit p. 168. *quin* Alceftis Phrynichi *acta fit* ante Olymp. LXVII. Dictum ex tripode: *dubitari nequit*, quia inuenimus, eum XXXVI. inde annis adhuc tragoedias feciffe. Bis *fententiam fuam* declarat *Boyleus* (p. 168. 169.), *Fabulam actam circa Olymp* LX. *non effe factam a* Thefpide, *fed* Phrynicho. Quis eft, qui non aduerfus hanc *Boylei fententiam* refiftat? Neceffe eft, iftam fabulam *Phrynichi* effe, quod adhuc fabulas fecit, imo vicit, LXIII. annis ab ea Olympiade. Paulo diutius effe hoc opinor, quam quod *Drydeni* mufa viguit, quod *annos circiter* XXXVI. *fuiffe*, *Boyleus* ait (p. 169.) Sed aliud ei exemplum fuppeditare poffum, quod ad annum conueniat. *Sophocles* (Marm. *Arundel.*) tragoedias incepit fcribere, annos natus XXVIII. et continuauit in annum XCI. fpatium LXIII. annorum. Si hoc exemplo abfolui poterit *Boyleus*, quod dixerit, effe fabulam *Phrynichi*, contra planum teftimonium Marmoris, habeat id; fed ea lege, vt ne male me tractet, quod id *commodauerim*; de illo enim, iam nimium eft.

Sed fi de eo, quod *Boyleus* cogitaturus fit, aut dicturus, coniecturam facere mihi liceat; re diligentius confiderata, conceffurum eum, puto, quod aiat *Suidas*, in Φρύν. Phrynichum *viciffe*, *Olymp* LXVII. (Ἐνίκα ἐπὶ τῆς ξζ'. ὀλυμπιάδος.) accipiendum effe de *prima* eius victoria. Nam fic in Marmore invenimus, folum commemorari, quum primum vicerint *Aefchylus*, *Sophocles*, et *Euripides* (Marm. *Arund.* Πρῶτον ἐνίκησε). Ac, fi *Phrynichus* incepit Olymp. LXVII. interuallum, inter primam et vltimam fabulam (cuius notitiam habe- us), annorum eft XXXVI. quod id ipfum eft, quod *Boylei* tribuit *Ariftophani* et *Drydeno*. Atque etiam congruit ei, quod idem *Suidas*, de *Thefpide*, tradit, in Θέσπ. *Exhibuiffe eum fabulam Olymp.* LXI. Nam fi hunc locum, vt alterum de *Phrynicho*,

accipiemus, de *prima* Thespidis *fabula:* erit magister maior discipulo XXV. circiter annis: quod interuallum iustum est, et, nisi fallor, prope abest ab eo, quo vir doctissimus, cui *Boyleus* (p. 60.), *quidquid in his rebus sapiat, id omne se debere*, pronunciat (quod, quibus perspecta summi illius viri eruditio est, non valde gloriosum ei esse, opinabuntur), maior est *Boyleo*. Equidem puto, haec tanta tot rerum conuenientia si addatur ad apertum testimonium Marmoris, vbi *Thespis* post Olymp. LIX. collocatur, veri fieri simillimum, *Thespin* primum tragoediam introduxisse circa Olymp. LXI. quod abest XIV. annis a morte veri *Phalaridi*.

Obseruo, significanter dici a *Boyleo*, Alcestin Phrynichi; *illius* Phrynichi, *qui fuit discipulus* Thespidis: quo indicari videtur, opinari eum, fuisse duo *Phrynichos*, vtrumque poetam tragicum: et vero in eadem opinione fuit *Lilius Gyraldus*, vir doctrina non inferior *Boyleo*, de Poetis. Quapropter necesse est, in hoc inquiramus; ceteroquin argumentum, ex tempore actarum *Phoenissarum Phrynichi* ductum, nullum erit: nam fingere licet, auctorem *Phoenissarum* non fuisse *illum* Phrynichum, *qui fuit discipulus* Thespidis. Iam, bona cum *Boylei* venia (nam per *Gyraldum* licet), ostendere conabor, vnicum modo tragicum fuisse istius nominis. Fuerunt quidem duo *Phrynichi*, scenicus vterque poeta, alter tragicus, comicus alter; quod in controuersiam non cadit; sed, quod ego contendo, hoc est, non fuisse duo *Phrynichos*, qui scriberent tragoedias.

Fundamentum, quo innititur haec, de duobus tragicis eius nominis, sententia, locus *Suidae* est; qui, postquam commemorasset φρύνιχον, κ. τ. λ. Phrynichum, *filium siue* Polyphradmonis, *siue* Minyrae, *siue* Chorocleis, *discipulum* Thespidis; et *eius tragoedias nouem fuisse*, Πλευρωνίαν (leg. Πλευρωνίας pro Πλευρωνία, ex *Tzetze*, ad *Lycophron.*) Αἰγυπτίους, κ. τ. λ. denuo locum subiicit, φρύνιχος, κ. τ. λ. Phrynichus, *filius* Melanthae, *tragicus* Atheniensis; *fuerunt inter* fabulas eius Ἀνδρομέδα, Ἠριγόνη, et Πυῤῥίχαι. Posterior hic locus ad verbum sumtus e Scholiast. *Aristophanis* (Vesp. p. 364.), qui addit, eundem fecisse tragoediam, *Excidium* Mileti. Iam duo haec loca indicare videntur, fuisse duo *Phrynichos*, poetas tragicos: Alter enim filius *Melanthae* dicitur, alter non: ac tres fabulae, quae huic adscribuntur, diuersae omnino sunt a nouem, quas fecit ille. Sed vt rem aperiam; liceat mihi dicere, argumentum, e nomine patris *Melanthae* ductum, parui esse momenti: videmus enim, alteri tres patres tribui: tam incerta ratio erat nominis, quod esset eius patri: idcirco quidam auctores esse potuerunt, patrem eius nominatum fuisse *Melantham*;

et tamen ad eundem respicere *Phrynichum*, qui, ex aliorum sententia, filius erat *Polyphradmonis*. Dein, alterum argumentum, quod fabulae, alteri adscriptae, plane diuersae sunt ab illis alterius, etiam priore infirmius est: nam duodecim omnino, commemoratae a *Suida*, esse eiusdem *Phrynichi* potuerunt. Ait quidem, *Phrynichum*, *Polyphradmonis* filium, *scripsisse nouem fabulas;* quod auctor, quem, hic, descripsit, plurium notitiam non habuit. Sed plures esse potuerunt, licet incognitae ei: vt, re vera duas fuisse, videmus, *Excidium* Mileti, et *Phoenissas*, quarum hic apud *Suidam* mentio facta non est.

Postquam ostendi, quam infirmo fundamento excitata sit opinio, de duobus *Phrynichis*, poetis tragicis; argumenta quaedam proferam in medium, quibus fit, vt, vnicum modo fuisse, credam. Ac primum quidem est, quod omnes, quos supra nominaui, *Herodotus*, *Callisthenes*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Aelianus*, *Libanius*, *Amm. Marcellinus*, *Io. Tzetzes*, qui fabulam, *Excidium* Mileti, commemorarunt, nude citant Φρύνιχον τὸν Τραγικὸν, *Phrynichum tragicum:* sine τὸν Νεώτερον, *recentiorem;* vt omnes, aut quidam saltem fecissent, et debuissent; nisi hic fuisset celebris ille *Phrynichus*, discipulus *Thespidis*. Atque ita, quum alia occasione citatur ab *Athenaeo*, *Hephaestione*, *Isaaco Tzetze*, cet. eadem ratione dicitur *Phrynichus*, *tragicus poeta*, sine vllo indicio, fuisse alium eiusdem nominis professionisque.

Praeterea ipse scholiasta *Aristoph.* et *Suidas*, qui soli auctores citantur, fuisse duo tragicos, aliis in locis, plane declarant, vnicum modo fuisse. *Quatuor omnino* Phrynichi *fuerunt*, inquit scholiast. *Aristoph.* p. 397. 130. (vid. quoque *Suid.* in Φρύν. et Λύκις.)

1. Phrynichus, *filius* Polyphradmonis, *poeta tragicus.*
2. Phrynichus, *filius* Choroclis, (vid. etiam p. 113. 358. τραγικὸς ὑποκρίτης.) *actor tragoediarum.*
3. Phrynichus, *filius* Eunomidis, *poeta comicus.*
4. Phrynichus, *dux* Atheniensis, *qui cum* Astyocho *egit*, *et in rempublicam conspirauit.*

Quid clarius, quam quod, ex hac ratione, vnicus modo fuit huius nominis tragicus? sed mirandum non est, si in lexicis et scholiis, quae ex diuersorum auctorum scriptis sint excerpta, varia inueniantur inter se non cohaerentia et repugnantia. Sic, alio in loco, et scholiasta (p. 157.), et *Suidas* (in Φρύν. et Παλαίσμασι,), hunc quartum *Phrynichum*, ducem, eundem faciunt, quem tertium, poetam comicum: contra, *Aelianus*, (Var. Hist. III. 8.) eundem illum facit, quem primum; et praeterea refert, *In tragoedia*, Πυῤῥίχαις, *bellicos eius cantus*, *et saltationes chori*, *adeo placuisse populo*, *vt eum eligerent ducem*

exercitus. Inter recentiores, cum *Aeliano* alii, alii cum illis consentiunt: sed, saluo eorum iudicio, persuasum habeo, vtrosque errare. Nam *Phrynichus*, dux, confossus est *Athenis*, Olymp. XCII. 2. vt refert *Thucydides*, VIII. p. 617. Sed rationes mortis eius, accuratius descriptas, inuenias apud *Lysian*, contra Agoratum, p. 136. et *Lycurgum*, contra Locrat. p. 163. 164. Hoc cum haud dubie verum sit; nego, tempus mortis eius vlla ratione congruere posse cum rebus tragici, aut comici, poetae, quippe posterius, quam pro vno, et prius, quam pro altero. Posterius est, quam pro tragico, quod fabulas scribere coepit, vt supra vidimus, Olymp. LXVII. quod tempus inter et Olymp. XCII. 2. anni sunt CII. imo a tempore *Phoenissarum* eius, quae actae fuerunt Olymp. LXXV. 4. quando postremum eius mentio fit, anni numerantur LXVI. ad mortem *Phrynichi*, ducis. Tum autem prius est, quam pro comico: nam viuum eum inuenimus, quinto post anno, contendentem (Argum. Ran. *Arist.*) fabula, cui nomen *Musis* (citata ab *Athenaeo*, *Polluce*, *Suida*, *cet.*) contra *Aristophanis Ranas*, Olymp. XCIII. 3. magistratu *Callia*.

Rursus, ostendam, vnicum *Phrynichum* fuisse, tragicum: in Vespis, p. 318. *Aristophanes* ait, senes *Athenis* solere canere *antiquos* Phrynichi *cantus*:

— — κὰι μινυρίζοντες μέλη
Ἀρχαιομελισιδωνοφρυνιχήρατα.

Est verbum a poeta copulatum; et σιδωνο, quae pars eius est, pertinet ad *Phoenissas* (*i. e. Sidonias*), fabulam *Phrynichi*, vt bene obseruat scholiasta. Ex his apparet, auctorem *Phoenissarum* (quem posteriorem *Phrynichum* esse, opinantur) intelligi ab *Aristophane*; sed si porro probauero, *Aristophanem*, in hoc ipso loco, respicere ad *Phrynichum*, *Thespidis* discipulum; planum erit, hos duo *Phrynichos* (quos falso fingunt) esse re vera vnum eundemque. Atqui *Aristophanem* intelligere discipulum *Thespidis*, apparebit ex ipsis verbis μέλη ἀρχαῖα, *antiquos cantus*: *Antiquos*, quia iste *Phrynichus* secundus, aut, vt quidam apud *Platonem* putant, primus auctor erat tragoediae: *Cantus* autem; quod isto nomine celebris erat. *Phrynichus*, inquit scholiast. ad hunc locum (p. 318.), *cantibus valde clarus erat*; Διὰ ὀνόματος ἦν καθόλου ἐπὶ μελοποιΐα· sed, alio in loco, idem tradit, de *Phrynicho*, filio *Polyphradmonis*; qui, vt habet *Suidas*, discipulus erat *Thespidis*. *Magna*, inquit p. 397. *eius admiratio erat nomine cantuum*: Ἐθαυμάζετο ἐπὶ μελοποιΐαις. *Commendabatur ob cantus*; *et ante* Aeschylum *erat*: Ἐπαινοῦσιν (p. 166.) εἰς μέλη· ἦν δὲ πρὸ Αἰσχύλου. Num igitur dubitandum adhuc, quin idem intelligatur? Quaerit

Aristoteles, Probl XIX. 31. Διὰ τί οἱ περὶ Φρύνιχον μᾶλλον ἦσαν μελοποιοί; *Quare* Phrynichus *plures cantus fecit, quam nunc vllus tragicus poeta?* Ac respondet; Ἢ διὰ τὸ πολλαπλάσια εἶναι τότε τὰ μέλη ἐν ταῖς τῶν μέτρων τραγῳδίαις; corrige, τὰ μέλη τῶν μέτρων ἐν ταῖς τραγῳδίαις. *An*, inquit, *quia istis temporibus*, cantus (quos canebat chorus) *in tragoediis plures erant, quam versus* (quos actores recitabant)? Non ipsa *Aristotelis* quaestio indicat, vnicum modo *Phrynichum* tragicum fuisse?

Addam vnum amplius argumentum, idque tale, vt, nisi vehementer fallor, controuersiam dirimere possit. Demonstrabo enim, ipsum *Aristophanis* locum, ad quem scholiasta, et, ex eo, *Suidas*, mentionem faciunt huius (quem fingunt, secundi) *Phrynichi*, filii *Melanthae*, pertinere ad vnum et verum *Phrynichum*, *Thespidis* discipulum. *Antiqui poetae*, inquit *Athenaeus*, I. p. 22. Οἱ ἀρχαῖοι ποιηταί, Thespis, Pratinas, Carcinus, *et* Phrynichus, ὀρχηστικοὶ *saltatores, dicebantur: quia non solum saltationibus valde delectabantur, in suis choris, sed artem saltandi profitebantur, quum quosque, eam discere cupientes, docerent.* Et, eodem respiciens, *Aristoteles*, Poet. IV. narrat, *primum poesin scenicam fuisse* ὀρχηστικωτέραν, *ad saltandum magis comparatam, quam illam consequentium aetatum.* Haec praefatus (tametsi antea de iis disserendi occasio fuit), verba poetae (Vesp. p. 364.) nunc in medium adferam:

Ὁ γὰρ γέρων, ὡς ἔπιε διὰ πολλοῦ χρόνου,
Ἤκουσέ τ' αὐλοῦ, περιχαρὴς τῷ πράγματι,
Ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύσεται·
Τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο
Καὶ τοὺς τραγῳδούς φησιν ἀποδείξειν κρόνους
Τὸν νῦν, διορχησόμενος ὀλίγον ὕστερον.

Verba sunt serui, de sene, hero suo, qui saltando se oblectabat, loquentis. Quis fuerit *Thespis*, hic commemoratus, docere conatur scholiasta et *Suidas*; aiunt enim, *Fuisse citharoedum, non illum tragicum.* Vt libere dicam, locus non fuit intellectus postremis his mille amplius annis; quum nec scriptus recte, nec interpunctus, sit. Quid enim est Κρόνους τὸν νῦν? Sufficit Κρόνος; et redundat τὸν νῦν. Sic *Aristoph.* Nub. p. 107.

Οὐχὶ διδάξεις τοῦτον, κρόνος ὤν.

Totum locum sic legendum, et interpungendum, censeo:

Ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται
Τἀρχαῖ' ἐκεῖν', οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο·
Καὶ τοὺς τραγῳδούς φησιν ἀποδείξειν κρόνους
Τοὺς νῦν, διορχησόμενος ὀλίγον ὕστερον.

Totam noctem, inquit, *saltationes illas antiquas, quibus in choris certauit* Thespis, *continuat: seque, ait, mox saltandi periculo facto, ostensurum, tragicos, qui nunc sint, stultos esse.* Iam autem quis est, qui, habita ratione eius, quod modo citauerim ex *Athenaeo*, dubitet, quin *Thespis*, ὁ ἀρχαῖος, *antiquus* tragicus (qui vixit XCIV. annis ante actam hanc fabulam), ὁ ὀρχηστικός, saltandi magister *Athenis*, hic intelligatur ab *Aristophane?* Habeant itaque suum *citharoedum* scholiasta et *Suidas;* fuit enim grammaticorum istorum consuetudo, vt, quando se expedire non possent, aliquid, quod e re sua esset, comminiscerentur. Sed in *Aristophane* pergo: incipit saltare senex, et inter saltandum haec ait:

Κλῇθρα χαλάσθω τάδε· καὶ γὰρ δὴ
Σχήματος ἀρχὴ
(Οἰ. Μᾶλλον δέ γ' ἴσως μανίας ἀρχή)
Πλευρὰν λυγίσαντος ὑπαὶ ῥώμης.

Sic interlocutio hic ponenda est, quae in omnibus libris editis vitiosa est. *Claustra laxentur*, inquit, *nam ad saltationem aggredior, cui vix latera firmissima sufficiant.* Versu vno et altero interposito, addit:

Πτήσσει Φρύνιχος, ὥσπερ ἀλέκτωρ,
(Οἰ. Τάχα βαλλήσεις)
Σκέλος οὐράνιόν γ' ἐκλακτίζων.

Ita verba interpungenda sunt, huc vsque male distincta. Sed mendum inest pessimum, quo huius fabulae exempla fuerunt commaculata, inde ab ipsis *Hadriani* temporibus, et forte ante. Πτήσσω est *subduco me, et aufugio prae metu*, quod, conspecto miluo, facere solent gallinae; aut gallus, quum certamine vincitur. Scholiasta, l. C. et *Aelian.* Var. Hist. XIII. 17. tradunt, Πτήσσει Φρύνιχος ὥσπερ ἀλέκτωρ, Phrynichus *aufugit, vt gallus*, per prouerbium dici coeptum esse, de iis, *quibus male aliquit eueniat*, Ἐπὶ τῶν κακόν τι πασχόντων. quia *Phrynicho* tragico infeliciter euenerat fabula, Μιλήτε ἅλωσις, quum mille drachmis multaretur. Iam, salua antiquitatis auctoritate, suspicor, hoc prouerbium confictum esse, vt haberent commentatores, quo rem expedirent. Primum enim, in eo, *subducere se instar galli*, comparatio non satis apta est: est enim gallus vnus de audacissimis at bellicosissimis auibus. Noui simile esse illud poetae cuiusdam, apud *Plut.* in Alcib.

Ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλον ὡς κλίνας πτέρον·

Subduxit se instar galli, qui demittit alas, quum sit victus. Sed eius longe diuersa ratio est; nam comparatio elegans est, et rei naturae accommodata, quia additur, *quum sit victus.* Sed,

cum idem dicitur generatim de gallo, quasi genus vniuerfum natura timidum fit, abfurdum eft, et alienum. Vtar alio exemplo; *Stupet inftar hominis, prae metu fenfibus alienati*, apte fatis dicitur: fed generatim dici nequit, *ftupet inftar hominis:* Quapropter vix credam, *Ariftophanem*, poetam fuae aetatis, fummis viris feraciffimae licet, longe ingeniofiffimum, ex ore fuo excidere paffurum fuiffe haec, *fubducit fe inftar galli*. Dein, duplo ac triplo aucta abfurditas eft, fententia ei adiuncta. *Phrynichus*, inquit, *ad coelum vsque crura vibrans, inter faltandum, fe fubducit, et aufugit, inftar galli*. Sententia plane inepta; tametfi interpretes, quo eos quodammodo excufabis, ἐκλακτίζων non coniungunt cum Φρύνιχος, vt ego, fed cum verbo, quod eft in verfu confequente. Sed, fi locum apud poetam infpicere lector velit, fibi perfuadebit, non aliter, atque a me factum fit, conftrui verba poffe. Ἐκλακτισμός, inquit *Hefychius*, σχῆμα χορικὸν, ὀρχήσεως σύντονον· (corrige, σχῆμα χορικῆς ὀρχήσεως σύντονον· ita, *Pollux*, IV. 14. Τὸ σκέλος ἕλκειν, σχῆμα ὀρχήσεως χορικῆς.) *genus faltationis fuit vehemens, quo vteretur chorus*. Et *Pollux*, ibid. Τὰ ἐκλακτίσματα, γυναικῶν ἦν ὀρχήματα· ἔδει γὰρ ὑπὲρ τὸν ὦμον ἐκλακτίσαι· Ἐκλακτίσματα, inquit, *faltationes erant feminarum; nam calces fupra humeros vibrare debebant*. Vitium, vt opinor, apertum eft in hoc loco *Pollucis:* enimuero hoc genus faltationis valde dedeceret feminas. Praeterea particula γὰρ, *nam*, locum mendofum effe, declarat. Quomodo enim calcium fupra humeros remiffio inter faltandum, vt *caufa* adiungi poteft, cur faltatio effe feminarum debeat? Indicaret ea potius, effe virorum, quod magnam vim, et agilitatem membrorum poftulat. Sed mendum elues, fi, pro γυναικῶν, corriges γυμνικῶν. Saltatio, inquit, erat γυμνικῶν, *gymnicorum;* crura *enim* in altum valde eleuari debebant, ac propterea *inftitutione* et *exercitatione* opus erat. Apparet iam, quam fit abfurda et aliena fententia loci *Ariftophanei*. Si liceat in medium proferre, quo vitium tam inueteratum corrigi poffit, fcribam fic:

ΠΛΗΣΣΕΙ Φρύνιχος, ὥσπερ ἀλέκτωρ
(Οἰ. Τάχα βαλλήσεις)
Σκέλος οὐράνιόν γ' ἐκλακτίζων.

i. e. Phrynichus FERIT, *vt gallus, magna agilitate calces in altum vibrando.* Verba funt fenis exfultantis; et is inter faltandum, pede in altum eleuato, feruum adftantem *ferire* conatur. Ad quod feruus, Τάχα βαλλήσεις, *Parum abeft, quin me ferias calcitrando.* Πλήσσει proprium galli eft, quum ferit inter pugnandum; vt πλῆκτρον eft *radius*, quo feriat,

Sententia loci haec est: Eum subsilire, et membra flectere, vt *Phrynichum*, isto nomine celebratum: vt clarius apparet ex eo, quod, paucis interiectis, legitur, p. 365.

Καὶ τὸ Φρυνίχειον
Ἐκλακτισάτω τις ὅπως
Ἄδοντες ἄνω σκέλος
Ὤζωσιν οἱ θεαταί.

Quod sic corrigendum, et distinguendum, est.

Καὶ, τὸ Φρυνίχειον,
Ἐκλακτισάτω τις· ὅπως
Ἰδόντες ἄνω σκέλος,
Ὤζωσιν οἱ θεαταί.

i. e. Et, *in morem* Phrynichi, *calces vibrato; vt, quum spectatores crura in altum eleuata videant, cum admiratione exclament.* Iam vero, vt tandem concludam, satis apparere, opinor, ex variis his locis, *Phrynichum*, ab *Aristophane* hic commemoratum, aeque ac *Thespin*, saltationibus clarum fuisse; ac proinde, ex testimonio *Athenaei*, supra prolato, non potest non esse ὁ ἀρχαῖος Φρύνιχος, *antiquus* Phrynichus, ὁ ὀρχηστικός, *magister saltandi.* Exstat, in *Plutarchi* Symp. Quaest. VIII. 9. pars epigrammatis, quod ipse *Phrynichus* fecit, vt artem suam saltandi commendaret:

Σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ
Κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Ad summam itaque, fuit vnicus tantum *Phrynichus* tragicus, discipulus *Thespidis*; quod si ita est, iam plane demonstrauimus, argumentis e tempore actarum fabularum eius ductis, magistrum *Thespin* non debere altius collocari, quam circa Olymp. LXI.

Sed restat adhuc argumentum, a reliquis omnibus diuersum, quo plane demonstrabitur, *Thespin* posterius fuisse *Phalaride.* Nam vt antiquissimam *Thespidis* rationem, quam *Boyleus* vult, sequar, vixit iisdem, quibus *Pisistratus*, temporibus. Sed *Pisistrati* filius, natu maximus, vixit Olymp. LXXI. 2. (Marm. *Arundel.*) et dein, pugnae ad *Marathonem* interfuit Olymp. LXXII. 2. vbi caesus est, testibus *Cicerone*, ad Att. IX. 10. *Iustino*, II. 9. et *Tertulliano*, adu. Gentes; sed, si vera tradit *Suidas* (e libro *Aeliani, de Prouidentia*, vt e stilo et materia coniicias), isti pugnae superstes fuit, mortuus *Lemni*, tabe consumtus (vid. *Suid.* in Ἱππίας): atque haec posterior ratio confirmari videtur a *Thucydide* et *Herodoto:* ait enim ille, VI. p. 412. *Fuisse eum cum* Medis *ad* Marathonem, nulla facta mentione mortis; hic vero, l. VI. 106. non obscure indicat, non fuisse interfectum: nam ait, *Dentem eius, qui e*

capite deciderit in terram Atticam, *vnicam partem corporis eius esse, quae in isto solo locum obtineret.* Sunt itaque duae duntaxat aetates inter *Thespidis* tempus, et pugnam *Marathoniam:* sed quatuor ab illo *Phalaridis;* nam *Thero* (vid. supra, p. 15, 16.), quartus ab eo *Telemacho*, qui *Phalarin* regno priuauit, tyrannidem *Agrigenti* occupauit Olymp. LXXIII. 1. triennio non amplius ab ista pugna; et fuit tum annos minimum circa quadraginta natus, vt ex aetate filii filiaeque eius apparet. En vtriusque progeniei progressionem:

	1. *Telemachus.* Phalaris.
	2. *Emmenides.*
Thespis. 1. *Pisistratus.*	3. *Aenesidamus.*
2. *Hippias.* Ol. LXXII. 2.	4. *Theron.* Olymp. LXXII. 2.

Erat quidem isto tempore senex *Hippias;* apparet tamen e munere, et negotiis, quae ei tribuit *Herodotus*, aetate non tam prouecta fuisse, quam quidam eum faciunt. Verum tamen tot annos habuerit, si ita volent, quot *Theronis* pater: tamen veri simillimum est, *Thespin* aetate omnino posteriorem fuisse *Phalaride.*

Iam tempus est, ad doctissimum Censurae scriptorem revertamur, videamusque, quo vigore, quibusque artificiis cuncta haec, quibus patcat, *Thespidis* aetatem circa Olymp. LXI. collocandam esse, refellat. Auctores citat *Diogenem, Laertium*, et *Plutarchum*, de quibus nunc agendum. Summa argumentationis, qua vtitur *Boyleus*, haec est: *Thespin* fabulas docuisse temporibus *Solonis*, ante mortem adeo *Phalaridis.* Iam verba *Laertii*, quibus continetur, quidquid vlla ratione huc pertineat ab eo dictum, haec sunt: (in Solon.) Solon, inquit, Thespin *probibuit, quo minus doceret tragoedias, inutilia istiusmodi commenta esse, ratus:* Θέσπιν ἐκώλυσε τραγῳδίας ἄγειν τε καὶ διδάσκειν, ὡς ἀνωφελῆ τὴν ψευδολογίαν. Hinc scriptor Censurae cogit, *Thespin* fabulas suas egisse temporibus *Solonis:* vt sic concludat: *Probibitus est agere* tragoedias: *Ergo, egit* tragoedias, i. e. egit eas, quia non egit eas. Ista conclusio nonne digna est acutissimo *Boyleo*, eiusque noua dialectica? Non longe melius argumentabere, si contrarium eius concludes? Nam, si *Solon*, quum, vt existimare licet, *Thespis* veniam ab eo peteret agendarum tragoediarum, id fieri, nollet: nonne iure concludas, *Thespin* nullas egisse, nisi mortuo demum *Solone?* quae ipsa ratio est, tot a me argumentis confirmata.

Sed verba *Plutarchi* non id, quod voluit scriptor Censurae, planius et apertius indicant? Sic sane est: nam speciatim ille narrat, in Solon. Solonem *vnam de* Thespidis *fabulis conte-*

platum fuisse, cuius ratio cum displiceret sibi, vetuisse eum plures agere. Sed quid porro? vnde apparet, actum hoc ante mortem *Phalaridis?* Si concessero id, quod narret *Plutarchus:* tamen perdifficile ei erit, inde, quod intendit animo, elicere. *Quid? euimuero,* inquit, p. 166. *fuit* Solon *magistratus Olymp.* XLVI. 3. *quod est ante* Phalarin *interfectum annis* XLIV. Fingit *Boyleus*, haec cum *Thespide* acta esse eo anno, quo magistratus esse *Solon;* quod est contrarium ipsis, quem citat, *Plutarchi* verbis; qui copiose exponit, quemadmodum *Solon*, quum abiisset magistratu, decennium fuerit peregrinatus; et, post reditum eius (quamdiu post, dici nequit), hoc, eum inter et *Thespin*, actum sit. *Sed* Eusebius, inquit *Boyleus*, p. 166. *originem tragoediae collocat ad Olymp.* XLII. 2. *paulo post* Solonem *Magistratum.* Cum hoc stabit *Boyleus* contra luculentum *Plutarchi* testimonium? Aut scit *Boyleus*, aut sciat, *Eusebii* Historiam adeo confusam esse et interpolatam, adeo discrepantem ab eius tabulis, vt prudens temporum inuestigator nullus ei fidere audeat, in quaestione subtiliore, nisi aliunde accedat auctoritas. *Sed*, inquit p. 167. *elige tempora, quam fieri potest, recentissima, vt* Solon *viderit* Thespidis *fabulas, extremo vitae tempore. Mortuus est* Solon *exeunte Olymp.* LIII. (*Plut.* Solon.) *aut ineunte* LIV. i. e. *ante* Phalaridis *mortem annis* XIV. Iam auctoris, quem citat, sententiam, duplici his via, male exhibet. Nam nihil est in *Plutarcho*, de Olymp. LIII. aut LIV. Narrat solum, esse *Phaniam* quendam, qui aiat: Mortuum *Solonem*, *Hegestrato* magistratu; quem in locum successisse *Comiae*, quo magistratu, *Pisistratum* summa rerum potium esse. Sed, *Pisistratum* ad tyrannidem accessisse, nouimus, (Marm. *Arund.*) Olymp. LIV. 4. magistratu tum *Comia*. Vt *Solon*, ex ratione *Phaniae*, mortuus sit, Olymp. LV. 1. quod est quadriennio posterius, quam *Boyleus* eum dicentem facit. Sed, vt huic errori ignoscam, qui, pro eo, leuis est: grauior tamen alter: nam tempus hoc mortis *Solonis* profert ex *Phania:* quasi certum sit, et ab ipso concessum *Plutarcho*. Quum *Plutarchus* simpliciter eius meminerit, sine vllo approbationis indicio; et ante id ponat contrariam rationem, ex *Heraclide* (auctore perinde antiquo, ac *Phania*, et momenti longe maioris), Solonem *vixisse* ΣΥΧΝΟΝ ΧΡΟΝΟΝ, LONGVM TEMPVS *ab occupata a* Pisistrato *tyrannide.* Imo' est, cur suspiceris, *Phaniae* rationem displicuisse *Plutarcho;* nam (in Solon.) probat, quod de *Solonis* consuetudine cum *Croeso* vulgo narratur; qui ad regnum non accessit, ante Olymp. LV. 3. quod est biennio a morte *Solonis*, ex *Phaniae* sententia: nec tamen *Solon Croesum* vidit, quum primum accederet

ad regnum; sed, postquam XIV. nationes in *Asia* sibi subiecisset, vt narrat *Herodotus*. Vt, quoad *Boyleus* probauerit, *Solon* potuerit hanc habere controuersiam cum *Thespide*, post mortem *Siculi principis*. Quid autem, si ante? Num noui huius oblectamenti, quod tragoedia dicebatur, et tum despicatum erat, vetitumque a magistratu, famam vsque in *Siciliam*, in aulam principis perferri, necesse erat? Quasi vero festo *Bartholomei* exhiberi nouum spectaculum non posset, cuius fama ad exterorum principum aures non perueniret.

Sed, in causa *Boylei*, candide dico (quod ipse, pro se, neglexit), haec quemadmodum de *Thespide* narrantur a *Plutarcho*, non potuisse non accidere paulo ante tyrannidem *Pisistrati*. Subiicit enim haec: Cum semet vulnerasset *Pisistratus*, ac, simulatis inimicorum insidiis, corporis peteret custodes; *Non bene*, inquit *Solon*, *agis personam* Vlyssis; *nam semet vulnerauit ille*, *vt hostes deciperet*, *tu*, *vt cives*. Planius narrat *Laertius*; *Pisistrato*, cum semet vulnerasset, dixisse *Solonem*, *Id oriri a personis, quas, in tragoediis, induceret* Thespis (Ἐκεῖθεν ταῦτα φῦναι. *Laert.* in Solon.). Compone duo haec loca; et concedendum erit, quoad habenda fides sit *Plutarcho*, apparere, *Thespin* quasdam suarum fabularum egisse ante Olymp. LIV. 4. Sed vidimus supra, in Marmore *Arundel.* et a *Suida*, tempus actae primae eius fabulae poni circa Olymp. LXI. Atque aetas *Phrynichi*, discipuli eius, istorum rationem vehementer confirmat; nam, ex istorum sententia, scribere fabulas coepit circa XXV. a magistratu annum, sed, ex *Plutarchi*, supra L. Vtro igitur iam standum? Quamuis suppetat, quod *Plutarcho* opponas, ex antiquitate auctoris Marmoris, qui CCC. amplius annis illo prius fuit; ex accurata diligentia huius in rebus scenae, ductis argumentis; tamen insuper vnum et alterum addam, cur minus hic illum sequi possim. Nam, alio in loco, ipse narrat, (Symp. Quaest. l. 1.) *Primos, qui* Μύθας καὶ Πάθη, *historiam et calamitates heroum in consuetudinem scenae introducerent*, Phrynichum *fuisse et* Aeschylum: vt antea omnis tragoedia fuerit Satyrica, nec aliud argumentum, nisi *Bacchus* cum Satiris. Sed si haec, de *Thespide*, *Solone*, et *Pisistrato*, vera sunt, oportet, *Thespin* induxisse, in fabulis suis, *Vlyssem*, et alios heroes: indicatur enim, persona *Thespidis* factum esse, vt in cogitationem venerit semet vulnerandi, ad exemplum *Vlyssis*. Vt posterior hic locus *Plutarchi* priori refutando sit. Res mihi videtur haec esse: Finxit hoc, diuulgauitque nescio quis, de *Solone*, tanquam quod conueniret personae prudentis legislatoris; ac *Plutarchus*, qui nihil vnquam memorabile silentio praeterire solet,

licet ex omni parte cum temporum rationibus non congruat, peccatum duxit, si id praetermitteret, quum exponeret Vitam *Solonis*. Est aliud huius generis exemplum in eodem libro: nam, in Solon. copiose descripsit consuetudinem *Solonis* cum *Croeso*; tametsi praefatus est, *Esse, qui argumentis, e tempore ductis, demonstrare conentur, rem confictam esse*. Imo adeo delectatur sua narratione, vt doctrinam temporum (χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν, κ. τ. λ.) accuset, tanquam inexplicabilem Labyrinthum. Et tamen ipse, aliis occasionibus, argumentum e tempore ducit, vbi in rem accommodata putat. Sicut, in Vita *Themistoclis*, inuehitur in *Stesimbrotum* (qui, vt ipse, in Cimone, fatetur, eadem, qua *Pericles* et *Cimon*, tempestate vixit; qui, vt ait *Athenaeus*, p. 589. vidit *Periclem*, et videre quoque potuit *Themistoclem*), quod dicat, *Themistoclem* consuetudinem habuisse cum *Anaxagora*, et *Melisso*, philosophis: *Qua in re ordinem temporum non recte seruauit*, inquit *Plutarchus*, in Themist. (Οὐκ εὖ τῶν χρόνων ἁπτόμενος) *fuit enim* Anaxagoras *amicus* Periclis, *qui aetate multum antecedebat* Themistoclem; *et* Melissus *dux fuit contra* Periclem, *bello* Samio. Videmus, virum summum credere potuisse, argumentum, e tempore ductum, maximi momenti esse: et tamen poenas hic dedisse videtur, quod tam parui fecerit temporis rationes in altero loco. Nec enim *Pericles* adeo remotus a tempore *Themistoclis* fuit, vt non vnus idemque eorum vtrique, et ipsi inter se, cogniti esse potuerint, quum alter dux fuerit creatus (*Diod.* p. 41, et 47.) intra XVI. annorum, ab alterius exilio, spatium. Ac primum quidem, de *Anaxagora*; potuit cognitus esse *Themistocli*; nam natus fuit Olymp. LXX. 1. vt *Apollodorus* et *Demetrius Phalereus* (*Laert.* in Anaxag.) auctor vterque bonus, testantur; et ad philosophiam animum applicuit *Athenis*, vicenarius, Olymp. LXXV. 1. *Callia* magistratu; ipso anno Expeditionis *Xerxis*, quum tanta ad *Themistoclem* gloria peruenit; et nouennio ante eius exilium. Iidem auctores sunt, *Anaxagoram* XXX. annos docuisse *Athenis*; vt nouem omnino anni suppetierint ei ad colendam cum *Themistocle* amicitiam. Dein, quid est, cur non etiam *Melissus* esse *Themistoclis* potuerit amicus; et tamen dux *Samius*, in bello contra *Periclem*, quod fuit Olymp. LXXXIV. 4? vid. *Thucyd. Diod. Suid.* in v. Μέλιτος, qui confundit *Melissum* cum *Melito*, oratore. Fac enim, eiusdem aetatis eum, cuius *Anaxagoram*, fuisse: potuit tum, vt iam vidimus, cognitus esse *Themistocli*: imo, si lubet, decennio maiorem fac; fuerit tamen septuagenario non maior, quum dux esset *Samiorum*. Quid est autem in eo, quod abhorreat? Ipse *Anaxagoras* isti

bello ſuperſtes fuit annos XIII. (vid. *Laert.* ibid.) et vidimus noſtra aetate non vnum ducem octogenarium.

Sed demonſtrabit *Boyleus*, (p. 166, 170.), *memet ipſum probare, quae de* Theſpide *narret* Plutarchus, *ac perinde debere ea defendere, atque ſe:* quod, alio in loco (Diſſert. ad *Malal.* p. 46.), Solonis *aequalem fuiſſe*, agnoſcam. Iudicabit lector, vbi rem aperuero. *Ioannes Malalas*, aliusque ſcriptor, referunt, breui poſt obſidium *Troiae*, temporibus *Oreſtis*, *Themin* quendam, vel *Theomin* (i. e. vt ego corrigebam, *Theſpin*), primum inueniſſe tragoedias: contra ea ego, verum *Theſpin vixiſſe temporibus* Solonis, ſpatio a capta *Troia* ſatis longo. Iam vero accuratiore definitione hic opus non erat, quum interuallum, intercedens inter duo temporis articulos, tot omnino eſſet ſaeculorum. Non erat opus, ad annum *Theſpidis* aetatem definirem, ſed ſolum dicerem, eum vixiſſe temporibus *Solonis;* vt haud dubie vixit, et cenſeri poteſt, ad XX. annos fuiſſe natus ante mortem *Solonis*, ſi fecit tragoedias Olymp. LXI. Placuit *Boyleo* (p. 166.), iſtam Diſſertationem vocare *mollem* meam Epiſtolam ad *Millium*, quod per inuerſionem dictum eſt pro *duram*: ac vero, vt dicam, quod res ſit, *durior* eſt, quam quae poſſit ab illo arrodi; vt apparet ex eius inepta, de *Anapaeſtis*, diſputatione.

Atque haec de aetate *Theſpidis:* venio nunc ad eos, qui tragoediam antiquiorem eo faciunt. Quid eſt autem, quod doctus ſcriptor Cenſurae in medium adferat ad hanc opinionem defendendam? Non niſi duo loci (p. 170, 171, 172.) communes et obuii, *Platonis* et *Laertii*, quos etiam quique compilatores, qui modo ſtrictim tangunt originem tragoediae, citant, quorum in altero dicitur: *Non incepiſſe tragoediam a* Theſpide, *aut* Phrynicho, *ſed fuiſſe valde antiquam* (πάνυ παλαιόν· *Plut.* in Min.) Athenis: in altero (*Laert.* in Plat.), *Antiquitus, in tragoedia, ex ſolo choro conſtitiſſe totum drama, dein* Theſpin, *induxiſſe vnum actorem.* Hoc totum eſt, quodcunque adfert, ſi diſceſſeris ab eo, quod habet *Ariſtoteles;* qui, quum, *Aeſchylum*, dicit, inueniſſe ſecundum actorem, *indicat*, inquit *Theſpin* inueniſſe primum. Iam, quod attinet ad duo auctores, quos citat, *Laertium* et *Ariſtotelem;* verba eorum argumento non ſunt, tragoediam eſſe *Theſpide* antiquiorem Poteſt enim *Theſpis* primus induxiſſe vnum actorem; et tamen inueniſſe id genus tragoediarum, quod ex ſolo choro conſtaret. Potuerunt eius fabulae primum eſſe rudes et imperfectae, cantus quidam ſaltationesque chori, et duarum eius partium alterna reſponſio: dein longo vſu et experientia XX. aut XXX. aut. XL. annorum fortaſſe doctus, potuit a ſe inuen-

tum emendare, vnumque inducere actorem, qui loqueretur, dum chorus respiraret. In hoc quid inest, quod non cohaereat? Dicitur passim *Aeschylus*, inueniſſe ſecundum actorem: et tamen fuerunt, qui crederent, eum poſtea quoque tertium inueniſſe (Vit. Aeſchyl. Τὸν τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς ἐξεῦρε); nam tempus, quo LXXV. fabulas fecit, ſufficiebat ei ad emendandum perficiendumque primum ſuum exemplum. Quid ergo fiet argumento, quod e *Laertii* et *Ariſtoteles* verbis ducere voluit *Boyleus*? Sed reſtat adhuc ei *Plato*, qui, *Tragoediam* ait, *in vſu fuiſſe* Athenis *longe ante* Theſpidis *tempora*. At quod vt reſponderem, iam obſeruaui, ipſum *Platonem*, tanquam paradoxum, id referre; nec poſtea fuiſſe quemquam, qui in eo eum ſequeretur. Poſſet ſane excuſari hac diſtinctione, vt cogitauerit Αὐτοσχεδιάσματα, *Cantus, qui ex tempore canerentur Baccho*, qui, re vera *Theſpide* antiquiores, ſtirps et origo prima tragoediae fuerunt: niſi affirmauerat, ibi, (in Minoe), *Minoem* regem *Cretae* inductum fuiſſe in antiquis illis tragoediis, ante *Theſpidis* tempora. Quod concedi nulla ratione poteſt: nam vetus tragoedia tota Σατυρικὴ καὶ ὀρχηστικὴ, ad ſaltandum et canendum comparata erat, nec argumentum ſerium et triſte, vt illud *Minois* eſſe oportet, ſed omnia ioca et ludicra.

Hic *Boyleus*, pro ea, qua vti ſolet, licentia, ingenium deſcribit meum: *Putare ſe*, ait, p. 171. Laertii, *quam* Platonis, *ſcripta mibi notiora eſſe*. Quos, ille putet, auctores mihi optime notos eſſe, mea nihil intereſt: ſed, quum curioſus eſſe videatur eius, quam habeam librorum, notitiae, in aurem illi dicam, quem poſtremum cognouerim, eum omnium, in quos inciderim vnquam, peſſimum eſſe. At enimuero exiſtimauerit iam aliquis, ſcriptorem Cenſurae ipſum optime in *Platone* verſatum eſſe, quum tam praeciſe, de me, loquatur, *putetque*, me non eſſe. Intelliget autem mox lector, et quidem ex hoc ipſo loco *Platonis*, vtrum ſcriptorem illum *cognouerit Boyleus*, an vero *oculos in eum coniecerit* ſolum, vt (p. 160.) in *Senecam*, et *Graecos* tragicos. Perſonae, in hoc dialogo, ſunt *Socrates*, et *Minos* quidam *Atbenienſis*, eius amicus; et dimidia pars colloquii eorum verſatur in eluenda, quam *Minoi*, vetuſtiſſimo regi *Cretae*, fabulis ſuis adſperſerint tragici poetae, crudelitatis et iniuſtitiae ſmacula. Iam vero, pro admirabili ſua diligentia et intelligentia, opinatur, eum, quocum diſſerat *Socrates*, eſſe *Minoem*, veterem illum *Cretae* regem, qui vixit ſupra DCCC. annos ante iſtum. *Minos*, inquit (Edit. 3. pag. vlt.) *quaerit ex* Socrate, *vnde ſit iſta* SVAE *ſeueritatis opinio; i. e.* ipſius, qui loquitur, *Minois*; vt clare apparet ex

contextu orationis *Boyleanae*. Hic igitur homo non natus et aptus est ad iudicandum de scriptoribus? Qui *Platonis* Dialogos similes facit illis *Luciani Mortuorum?* Imo, qui inter se inducit differentes mortuos vt viuos? et similis plane est *Mezentii* (*Phalaridis* suae aetatis, ac propterea digni, quem veneretur *Boyleus*), qui

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis?

Si legisset istud *Platonis* opusculum, non *alto somno sopitus*, vidisset quosdam e multis locis, vnde pateret, *Minoem*, qui ibi inducatur, non esse *Minoem* illum *Cretae*. *Nosti*, inquit *Socrates*, *quinam e regibus* Cretae *boni viri fuerint*, *vt* Minos *et* Rhadamantus, *filii* Iouis *et* Europae? *Rhadamantus*, mox alter, *vir bonus fuisse fertur; sed* Minos *crudelis*, *durus et iniustus*. *Vide*, iterum *Socrates*, *hoc parum abest ab iniuria in deum et impietate*. *Sed meliora te docebo*, *de* Minoe, *vt ne tu*, *qui homo sis*, *homine natus*, *offendas heroem*, Ioue *natum*. Nisi haec sufficiant ad scriptorem Censurae erroris sui conuincendum; alia promam, *quamprimum ille et ego inter nos colloquemur*. Atque hoc amplius ei dico; mihi videri *Platonem* ipsum hunc dialogum edidisse, sine nomine personae; fuit solummodo Σωκράτης καὶ ὁ δεῖνα, *Socrates et quidam*. Postea *Minos* factum nomen incerti illius hominis, ex Μίνως, dialogi inscriptione. Sed vix credo, eum, qui primus hoc fecerit, vnquam cogitasse, scriptorem tam ingeniosum, quam *Boyleum*, hac via deceptum iri.

Vt ostendat *Boyleus*, tragoediam *Thespide* antiquiorem esse p. 176. ait, Plutarchum, *in Vita* Thesei, DEFINITE *dicere*, *tragoedias actas inter ritus funebres*, *quos* Athenienses *celebrarent ad* Thesei *sepulcrum*. Sed iam ab alio (View of Dissert. p. 72.) monitus est, *nihil tale esse in* Plutarchi *Vita* Thesei; *aut*, *si sit*, *tamen tragoediam isto nomine antiquiorem* Thespide *non esse; nec enim* Theseo Athenis *sepulcrum fuisse*, *ante* Thespidis *tempora*. Ad hoc, ingenue *Boyleus* (p. vlt. 3. edit.) confessus est, se accepisse id a *Scaligero*, qui, *Tragoediam*, inquit, de Poet. I. 5. *esse rem antiquam*, *constat ex historia*; *ad* Thesei *namque sepulcbrum certasse tragicos*, *legimus*. Addam alium, qui id ab eodem accepit, *Ger. Vossium: Aiunt quidam*, inquit, Poet. II. 12. *Thesei ad sepulcbrum certasse tragicos*, *atque eam fuisse tragoediarum vetustissimam*. Sed vero, vitio vertere hoc *Boyleo*, nolo, quum ante eum errauerint *Scaliger* et *Vossius*. Tantum obseruo, quid intersit, viros illos magnos inter, et illis maiorem *Boyleum*. Nullum illi auctorem citant eorum, quae dicant, quia solum relata referunt; *Boyleus* autem, qui ea vt vera ab illis accepit, quum, ea ex *Plutarchi*

Vita *Thesei* illos habere, credat, eum citat, *in casum fortunae re commissa*, in margine, et, in orationis contextu, ait, Eum *definite* dicere ista. Quam illi minuti et abiecti animi sunt, si cum *Boyleo* comparantur? Illis animus virilis et generosus deest, ad scriptores, quos nunquam legerint, citandos ore impudente. Est vero hoc valde turpe illis et ignominiosum: nihilominus id mittam, et pauca differam de *Thesei* sepulcro, quia tanti viri, de eo, errarunt. Nam, etiamsi verum esset, tragoedias fuisse actas ad sepulcrum *Thesei* (quod non est); tamen istae tragoediae tantum abessent a primis, vt LX. annis posterius, quam suas docuerit *Thespis*, essent actae. Mortuus est *Theseus* exilio, interfectus, et sepultus, in insula *Scyro*: et DCCC. circiter post annis *Athenienses* oraculo admoniti sunt, vt ossa eius collecta apportarent *Athenas*, quod factum est a *Cimone* Olymp. LXXVII. 4. Μετὰ τὰ Μηδικὰ, inquit *Plutarchus* in Theseo, Φαίδωνος ἄρχοντος, *Post* Medorum *incursionem*, Phaedone *magistratu*, *oraculum iussit* Athenienses, *ossa* Thesei *ad se transferre*, *idque factum a* Cimone. Nisi scriptura deprauata est, oraculum hoc editum est, Olymp. LXXVI. 1. nam tum magistratus fuit *Phaedo*: atque ea ratione ante septennium fuit, quam exsecutum oraculum. Sed credere malo, pro Μηδικὰ Φαίδωνος, corrigendum esse, Μηδικὰ Ἀφεψίωνος, Aphepsione *magistratu*. A in Ἀφεψίωνος omissum, quum Μηδικὰ in istam literam caderet; et passim inter se commutata sunt αι et ε; quum olim similiter efferrentur. Iam Ἀφεψίων magistratus fuit, Olymp. LXXVII. 4. (*Laert.* in Socrat.) qui ipse ille annus est, quo *Thesei* ossa transtulit *Cimon*, vt refert *Plutarchus*: qui praeterea addit, in Cimon. Ἀφεψίωνα magistratum fuisse. Ad istum annum *Diodorus*, *Phaeonem*, ait, magistratum fuisse: nam vetus scriptura haec est, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίωνος. In nouissimis editionibus substitutum Φαίδωνος: sed verum est Ἀφεψίωνος, vt apparet ex *Laertio* et *Plutarcho*: atque hoc mendo, in *Diodoro*, confirmatur id, quod suspicabar, de primo *Plutarchi* loco; nam vt hic Ἀφεψίωνος, mutatum in Φαίωνος, ita illic potuit mutari in Φαίδωνος. Nominatur in Marmor. *Arundel*. *Aphepsion*; quum ad hunc ipsum annum collocatur Ἄρχοντος Ἀψηφίονος. E vitiosis his locis *Plutarchi*, et *Laertii*, *Meursius*, Archont. II, 6, 7. *Phaedonem* ter magistratum facit, ad Olymp. LXXIII. 3. Ol. LXXVI. 1. et Ol. LXXVII. 4. cum semel tantum fuerit magistratus, Olymp. LXXVI. 1. Sed est aliud erratum *Ios. Scaligeri*, vnde miri errores propagati. In Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, quam collegit ex omnibus quorumcunque scriptorum indiciis, quae inueniret, temporum *Scaliger* Ἀφε-

ψίωνα facit magiſtratum, ad Olymp. LXXIV. 4. Hoc, perſuaſum habeo, non conſilio ab eo factum, ſed tantum memoriae vitio (vid. ſupr. p. 87, 117.) nam volebat id collocare ad Olymp. LXXVII. 4. Sed interea, quum auctorem ſuum legebat, et ſcripto mandabat hanc notam, memoria lapſus, eam aſſignabat Olymp. LXXIV. 4. Declarant hoc ipſa, ibi, *Scaligeri* verba; Ὀλυμπ. οδ'. δ'. Ἀφεψίων. Σωκράτης ἐγεννήθη κατά τινας, comparata cum *Laertii* loco, vnde ſumta ſunt, in Socrat. Σωκράτης ἐγεννήθη ἐπὶ Ἀφεψίωνος ἐν τῷ δ'. ἔτει τῆς οζ'. Ὀλυμπιάδος. Poſt *Meurſius*, qui, per errorem, iſtam Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴν opus exiſtimauit eſſe antiquum, primum editum e MS. a *Scaligero*, quum videret, *Aphepſionem* ibi dici magiſtratum Olymp. LXXIV. 4. interpolauit *Laertium* (Archont. II. 7.), vt cum ea conſentientem illum faceret: qua ratione bis peccauit in contextu *Laertii*, qui ſine vitio erat ante: nam *Aphepſionem* collocauit ad Olymp. LXXIV. 4. pro LXXVII. 4. et ad Olymp. LXXVII. 4. *Phaedonem* poſuit pro *Aphepſione*. Praeterea (ibid.) captam a *Cimone Scyron*, et oſſa *Theſei* translata, notat Olymp. LXXIV. 4. quia *Plutarchus*, in Cimon. *Aphepſionem* magiſtratum fuiſſe, ait, quum iſta agerentur: qui error eſt duodecim annorum: accidit enim hoc Olymp LXXVII. 3. et 4. vt apparet ex *Diodoro*, p. 45. et ab ipſo indicatur *Plutarcho*. Imo, vt videas, quemadmodum error ſit propagatus, etiam *Petauius* hic deceptus eſt; nam (Doctr. Temp. II. p. 570.) ad Olymp. LXXVII. 4. *Laertii* animaduertit inconſtantiam, quam putat: Socratem *natum facit*, inquit, *hac Olympiade: ſed nominat* Aphepſionem *magiſtratum, qui hoc anno non fuit ſed Olymp.* LXXIV. 4. Et, ad Olymp. LXXIV. 4. ibid. p. 567. *Petauius Aphepſionem* facit magiſtratum, et, eam in rem, *Laertium* citat, in Vit. *Socratis*: additque, *hoc anno* Cimonem Theſei *oſſa* Scyro *transtuliſſe* Athenas. Sunt iidem errores, per quos lapſus eſt *Meurſius*: et iis omnibus occaſionem praebuit *Iof. Scaligeri* vitium memoriae. Sed eſt aliud adhuc *Petauii* peccatum; nam addit, *quum oſſa* Theſei *eſſent allata*, *tragoedorum inſtitutum eſſe agonem*: quod aliqua ex parte commune erratum *Iul. Scaligeri* et *Ger. Voſſii* eſt, ſupra notatum. Cuius origo fuiſſe videtur hic male acceptus, locus *Plutarchi*; qui, poſtquam expoſuerat, quemadmodum oſſa *Theſei* cum magna pompa eſſent a *Cimone* allata *Athenas*; Ἔθεντο δὲ, inquit, in Cimon. καὶ εἰς μνήμην ΑΥΤΟΥ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην. Videntur autem quidam, ΑΥΤΟΥ accepiſſe, de *Theſeo*: et inde conflatum id, quod de tragoediis, ad eius ſepulcrum actis, narratur. Sed plane attingit *Cimonem*, qui cum reli-

quis ducibus iudex sedit, *Sophoclem* inter et *Aeschylum*, ista Olymp. LXXVII. 4. et illum victorem pronunciauit. v. *Plut.* ibid. Marm *Arundel.* epoch. 57. Ad summam igitur, primum apparet, contra ac *Boyleus* opinatur, tragoedias non fuisse actas inter ritus ad *Thesei* sepulcrum: dein, *Thesei* sepulcrum demum fuisse exstructum Olymp. LXXVII. 4. quando viuerent *Aeschylus* et *Sophocles*, diu post tempus *Thespidis*: vt, si vere actae fuissent tragoediae inter ritus istos funebres; id tamen argumento non esset, rem tam antiquae memoriae, quam vult *Boyleus*, tragoediam esse. Sed hos errores eius librorum, quos legit, paucitas solum peperit: is vero, quem mox notabo, vnde proficiscatur, aliorum iudicium esto. Res sic se habet: Fuit, qui *Boyleum* accusaret, quod falso citauerit *Plutarchi* Vit. Thesei; *nam* (View of Dissert. p. 72.) *nihil tale est, quale citat, in ista Vita. In Vita* Cimonis *est quidem aliquid, quod rudior aliquis in eam sententiam accipiat.* Ad hoc, *Boyleus* fateri, impositum sibi a *Iul. Scaligero*; qui rem affirmat, sed auctorem citat nullum; *Et fortasse*, inquit porro *Boyleus*, (p. vlt. 3. edit.) *nimis festinando non satis consideraui totum locum* Plutarchi, *in Vita* Cimonis, *huc spectantem.* Iam in hac excusatione inest affirmatio eius, quod inspexerit locum, in Vita *Cimonis*, quum scriberet de tragoediis ad *Thesei* sepulcrum actis. Sed contrarium clare apparet ex ipso libro; nam non citat Vitam *Cimonis*, sed Vitam *Thesei*, vbi ne verbum quidem de tragoediis. Vt *Plutarchum* citet, *in casum fortunae commissa*, omnino non inspecto eius libro. Quae ergo fides eius est, quod dicat, se *non* SATIS *considerasse?* Si ipsae, quas adfert *Boyleus*, excusationes excusatione indigeant, quae reliqui esse potest excusatio?

Constituerat scriptor Censurae, ostendere quaedam vestigia tragoediae ante *Thespidis* aetatem. Sed praeteriit locum *Herodoti* (quod, qui ei a manu fuit, illum non suppeditauit), qui reliquorum omninum in rem suam accommodatissimus fuisset. *Sicyonii*, inquit, l. v. c. 67. *omnibus modis memoriam coluerunt* Adrasti, *et inprimis res vitae eius tragicis choris celebrarunt;* (Τὰ πάθεα αὐτῶ Τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον) *quum materiam illis subiectam non* Bacchum, *sed* Adrastum, *facerent. Sed* Clisthenes *chorum assignauit* Baccho, *et reliquum sacrificii* Melanippo. Qui hic dicitur, *Clisthenes* auus est *Clisthenis Atheniensis*, cuius praecipua opera fuit in expellendis filiis *Pisistrati*, Olymp. LXVII. Quumque *tragici chori* in vsu fuerint *Sicyone* ante *Clisthenis* istius tempora; eos dudum in vsu fuisse ante tempora *Thespidis*, qui, ipso *Clisthene*, aetate fuit posterior. Atque in hoc consentit *Themistius*, qui, Orat.

XIX. Sicyonios, ait, *inueniſſe tragoediam*, *perfeciſſe* Athenienſes: Τραγωδίας εὑρεταὶ μὲν Σικυώνιοι, τελεσιεργοὶ δὲ Ἀττικοὶ ποιηταί. Et, quum *Ariſtoteles*, Poet. 3. refert, *Quosdam* Peloponneſiorum *ſibi vindicare eius inuentionem*, dictum accipio de his *Sicyoniis*. Quod ſi autem in hunc *Herodoti* locum incidiſſet *Boyleus*; quanta cum iactatione et inſolentia eum protuliſſet? Quot ſcurriles iocos effutiuiſſet ea occaſione, tanquam ſannio? Sed adeo non metuo hunc pugionem, aut *Boylei*, in illo expediendo, dexteritatem; vt de eo certiorem hic eum faciam, quo ad proxime futuram eius editionem cumulus accedere poſſit. Re vera nihil aliud ex his elici locis poteſt; niſi quod ante *Theſpidis* tempus prima fundamenta et quaſi ſemina tragoediae iacta ſint; fuerunt chori et ex tempore cantus αὐτοσχεδιαςικὰ, ſed nihil *ſcriptum* nec editum, vt poema dramaticum: vt *Phalaris* adhuc teneatur ſophiſta; quum dicat, duo poetas ſuos laruales *ſcripſiſſe* tragoedias contra ſe. v. ep. LXIII. (XVIII) XCVII. (XCIII.) Imo ipſa vox *tragoedia* tum nondum audita fuit *Sicyone* tametſi *Herodotus* vocat Τραγικὰς χορὰς, *Tragicos choros*; de qua re mox agetur.

Tanta *Boylei* beneuolentia eſt, *vt*, *modo doceri ab eo me ſinam*, (p. 172.) quid ſit de tragoedia habendum, exponere velit. Equidem, ab vnoquoque *doceri* me, velim, multo magis etiam a magno *Boyleo*; tametſi ſpeciatim in hac quaeſtione, de tragoedia, eum honorem mihi aſſumere, non audeam, quem ſuo magiſtro habet *Boyleus*, (p. 59.) vt dicam, *Fundamentum meae vtcunque ſcientiae, quam habeam huius materiae, ab eo iactum eſſe*. Nam in verboſis dictatis, quae hic, de tragoedia, dedit, nihil ineſt veri, niſi, quod diſcere potui ex *Ariſtotele*, *Iulio Scaligero*, *Gerardo Voſſio*, Marmoribus *Oxonienſibus* aliisque, qui in omnium manibus ſunt, libris. Quae autem ſingularia in iis inueniuntur, quae aliunde diſcere non potuiſſem, (ſi quidem mihi, qui hic *doceor*, tam libere agere cum *magiſtro* liceat) ſunt iſta talia, qualia, aetate, vt opinor, prouectior ſum, quam qui nunc diſcam. Nolo ſubtilius ea diſputare; nam, quae ei a *diſcipulo* debeatur, adhibebo reuerentiam: ſed vnum eſt, quod praetermittendum non ſit: quum dicat, quaſi auctore *Ariſtotele*, argumentum tragoediae principio fuiſſe *ſatiricum* (p. 173.), *quo vitioſorum hominum mores notarentur*: vt dexterrime, ex ſua opinione, exponat *Phalaridis* verba, *Poetas ſcripſiſſe tragoedias aduerſus ſe*; nam hanc eſſe ſententiam (p. 180, 181.), *Eos ſcripſiſſe ſatiras aduerſus ſe*. Sed bene habebit, ſi hac vice cautionem adhibere diſcat, quum proxime velit alios *docere*; vt primum cogitet, quam recens ipſe egreſſus ſit ſcholam. Verba *Ariſto-*

telis, ad quae respicit, sunt, Poet. 4. *Tragoediam in initio fuisse* Σατυρικὴν, quod pro sua intelligentia et eruditione, *Boyleus*, *satiram*, interpretatur, confusione *Satyricarum* fabularum, apud *Graecos*, cum *satiris Romanorum*; quamuis centum non amplius anni sint, quum integrum librum conscripsit *Casaubonus* (De *Satyrica* et *Satira*, Par. MDXCV.), vt ostenderet, nullam eas inter se similitudinem habere nec conuenientiam. Graecorum Σατυρικὴ genus tantum fuit iocosum tragoediae, quod constaret ex choro Satyrorum (vnde nomen accepit) lasciue loquentium, vt eos decebat, nunquam autem *vitiosorum hominum mores notabant*, quum omnia congruenter dicerent actioni et argumento fabulae, quod erat *Bacchus*, aut *heros* quidam antiqui temporis lubridicule personatus. Exstat adhuc integra huius generis fabula, *Euripidis Cyclops*; sed non magis tangit *vitiosos homines*, qui *Athenis* essent poetae *temporibus*, quam illius *Orestes*, aut *Hecuba*. Quod ad *satiram Romanorum* attinet; ipsorum inuentum est; *Satira tota nostra est*, inquit *Quintilianus*, X. 1. et, si quod simile eius haberent *Graeci*, non fuerunt Satyricae fabulae poetarum tragicorum; sed vetus comoedia, et *Silli Xenophanis*, *Timonis*, aliorum. Satira, inquit *Diomedes*, p. 482. inter ROMANOS NVNC *mordax carmen est*, *quo hominum vitia notentur*. Videmus carmen *Romanorum* esse, non *Graecorum*; idque *nunc*, id est, post tempora *Lucilii*, mordax factum; nam *Ennii* et *Pacuuii* Satirae alia plane natura erat. Iam autem, quibus *magistris doceri* me, par est? *Quintiliano* et *Diomede?* an *Orbilio* (p. 215.) tirone, a quo tam insolenter vapularunt *Scaliger* et *Salmasius?* Sed probare *Boyleus* conatur, veterem tragoediam mixtam fuisse satira, argumento ducto ex *plaustro*, quo fabulas vexerit *Thespis*: *Ex quo plaustro*, inquit, p. 180. *toties ioci scurriles iaci solebant, vt* Ἐξαμάξειν, *et* Ἐξ ἀμάξης λέγειν *in consuetudinem prouerbii venerint, de satira et iocis mordacibus.* Quam odiosum verbum hoc Ἐξαμάξειν! Profecto omnes *ioci* ex isto plaustro, de quo loquitur, tantum adferre fastidium non poterant, quantum vnum hoc verbum barbarum. Scire velim, apud quem auctorem (de eo, quem a manu habuit, me excusabit) hoc mirabile verbum inueniatur: quod ortum videtur ex errore, ἐξ ἁμαξῶν participium Ἐξαμάξων esse, existimantis. Sed vt mittam hoc, quod possit addi ad Ἀντιγονίδας et Σελευκίδας (vid. supr. p. 70.); liceat dicere, alia *plaustra* fuisse, ac non *Thespidis*, vnde sumtum hoc prouerbium, Τὰ ἐξ ἁμαξῶν. Nam generatim in pompis vsus fuit plaustrorum, non tantum in festo *Bacchi*, sed aliorum quoque deorum. Et speciatim in sacris *Eleusiniis* feminae vehebantur *plaustris*, quibus inter se conuicia iacerent. *Aristophanes*, Plut.

Μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
Ἐπὶ τῆς ἁμάξης —

Ad quem locum schol. p. 48. et *Suid.* in Τὰ ἐξ ἁμαξῶν, notant: *In istis plaustris feminas inter se contumelias iecisse* (ἐλοιδόρουν ἀλλήλαις); et inprimis in ponte amnis *Cephissi*, vbi aliquamdiu morabantur; vnde factum, vt *iniuriam iacere* dictum fuerit γεφυρίζειν. *Hesych.* in Γεφ. Commemorantur haec plaustra *Eleusinia* a *Virgilio*, in Georg. I. 163.

Tardaque Eleusinae matris voluentia plaustra:

de quo, plerique interpretum errarunt: nec enim poeta putavit, a *Cerere* ea inuenta, sed vsurpata esse in eius sacris. Sed, praeter *Eleusinia*, alia sacra fuerunt, in quibus eorum esset vsus: vnde tandem πομπεύειν et πομπεία translata ad *significandam verborum contumeliam.* Ita *Demosthenes;* cuius scholiasta ait (de Coron. p. 134. edit. *Par.*), *In illis* pompis *personatos, et plaustris vectos, iniuriam consueuisse iacere in populum; vnde prouerbium natum,* ἐξ ἁμάξης με ὕβρισε; quo in eadem oratione vtitur *Demosthenes*, p. 159. Vt ipse ille locus huius oratoris, quem, in margine, citat *Boylens* de plaustris *tragicorum poetarum* non sit accipiendus. *Harpocration* quidem (in Πομπεία. Διονυσιακαῖς ἑορταῖς.) et *Suidas* (in Ἐξ ἁμάξης. Ἐν Ληναίοις.) accipiunt de *pompa*, in sacris *Bacchi:* sed ibi quoque non *tragici*, sed *comici* poetae fuerunt, qui istam iniuriam iacerent: nam quoque sua ipsis plaustra fuerunt, quibus fabulas veherent. *Poetae comici*, inquit scholiast. *Aristophan.* p. 76. *oblita facie faecibus, ne agnoscerentur, in plaustris insidentes, per vias carmina sua canebant vnde prouerbium ortum*, Ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖ, *Tanquam e plaustro contumeliam iacit* Concludit tandem *Boyleus*, p. 180. *Fieri posse, vt* Bentleius *ante, quam moriatur, suo exemplo discat, posse aliquem argumento esse talibus tragoediis* (i. e. *talibus satiris, et contumeliis e plaustris*), quum viuat. Equidem gratias ei ago, quas possum, maximas, quod patefaciat, quibus cum aduersariis mihi res sit, quibusque illi armis sint vsuri; et, vt eius humanitati gratiam referam, dico ei, non magis me sollicitum fore de istis *satiricis tragoediis*, quam si re vera iacerentur *e plaustris*, quae forte accommodatissima scena istius tragicis.

Sunt duo loca *Horatii*, et *Plutarchi*, qvae attingant originem et progressionem tragoediae; illius, in Art. Poet.

Ignotum tragicae genus inuenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis:

huius, in Solon. Ἀρχομένων τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν. Iam autem prior, ex his, vt *Boyleus* cauillatur, putat *fuisse ignotum tragoediae genus, quod* Thespis *inue-*

nerit, et significat, fuisse alind genus notum in vsu ante illum. Posterior, inquit, potest indicare, *Thespin* non inuenisse, *sed tantum vitam et motum dedisse tragoediae, cum faceret dramaticam.* Iam *Boyleus* aut serio putat veras has interpretationes, aut non. Si *putat;* optimum, quod ei suadeant amici eius, est, vt ne amplius animum suum rebus excruciet criticis; nam nunquam ei nomen conciliabunt. Sin autem; vbi ista modestia est, *quae tironem in scribendo*, vbi ista integritas, quae hominem nobili genere natum, vbi ista prudentia, quae virum *deceat?* Periculosum est, alios ludibrio habere, iisque persuadere velle ea, quae ipse non credas Nemo temere lectores despexit suos, qui tandem non poenas eius dederit. Verumtamen siue *Boyleus* has interpretationes veras putat, siue non; eas refutare nolo. Tametsi enim iam saepe versatus fui, et adhuc versabor, in abiectissimo opere respondendi ad quasdam minutas eius calumnias; eo tamen animo sum, vt putem, esse *aliquem* laborem tam sordidum, vt vilior sit, quam pro mea persona.

Venio nunc ad postremam partem de *Tragoedia*, stirpem videlicet *nominis*. Obseruaueram, *Nomen tragoediae re non esse antiquius; quemadmodum sit, quum vetus nomen rei nouae assignatur*. Vt ipsum nomen, τραγῳδία, quo in Epistolis vtitur falsus *Phalaris*, ne quidem fuerit auditum veri illius temporibus. Ad hoc acute, vt solet, *Boyleus*: *Quid sibi vult?* inquit, p. 178. *Equidem putabam* nomina *inuenta esse ad* res *significandas, et* res *ipsas ante esse debere, quam* nomina, *quibus eae appellentur.* Viderit autem lector, quod quidem ego non video, quo haec *Boylei* pertineant. Tametsi, siue aliquo pertineat, siue non, propositio per se falsa est, *Esse res ipsas ante debere, quam nomina, quibus appellantur eae.* Fiunt enim apud nos nouae quotidiae cantilenae, quae nunquam fuerunt ante; tamen quibusdam earum *nomina* sunt, ante vsurpata: ac, puto, cantilena, cui nomen *Chivy Chase*, licet antiquae memoriae sit, paulo recentior est, quam ipsum nomen *Chase*. Et, nisi fallor, *Hobbesii* liber, quem inscripsit *Leuiathan*, tam antiquus non est, quam eius nomen *Hebraeum*. Ita res succedunt *Boyleo*, quando subtilitati studet. Verum id est, si *res* aeternae sunt; aut tam antiquae, quam mundus, quae opera naturae vocamus, oportere eas antiquiores esse *nominibus*, quibus appellentur: sed, quae sunt artis, aut disciplinae, excitatae humana intelligentia, aut opera, *res ipsae* aliquot annis esse recentiores possunt *nominibus*, quibus appellantur; atque ita, quae vocatur, tragoedia esse potest recentior nomine, quo appellatur.

Quod itaque dicebam, *nomen tragoediae non esse re anti-*

quius, eo fiebat, quod auctores essent, qui affirmarent, nomen *tragoediae* (τραγῳδία) primum ortum esse ab *birco* (τράγῳ), eius praemio, quod praemium primum statutum tempore *Thespidis*. In Marmor *Arundel.* de *Thespide*: Καὶ ἆθλον ἐτέθη ὁ Τράγος· *Et bircus praemium statutum*, Sic *Dioscorides*, in epigram. in *Thespin*:

— — Ὧι τράγος ἆθλον·

Et de eodem *Horatius*:

Carmine, qui tragico vilem certauit ob hircum.

Quumque iis persuasissimum haberem, esse hanc veram nominis caussam, et, quod quidam grammatici coniecerint, Τραγῳδία *quasi* τρυγῳδία, aut τραγῳδία quasi τραχεῖα ᾠδή, et similia, esse absurda et ridicula; putaui, vt etiamnum facio, ipsum nomen tragoediae *Thespide* non esse antiquius; nec potuisse adeo inueniri in Epistolis veri *Phalaridis*.

Sed oblitus non sum eius, quod ante ex *Herodoto* citaueram ipse; *Sicyonios* ante tempus *Thespidis* memoriam *Adrasti* celebrasse τραγικοῖσι χοροῖσι, *tragicis choris* vid. *Herod.* V. c. 67. Si ita est, luculentissimo testimonio est, esse *nomen* tragoediae *Thespide* antiquius. Sed ei, qui in hac parte eruditionis studium suum collocare velit, caput, ad progressus faciendos, est emendatum *iudicium*; vnde et nominata est, et orta, *Critice*, et sine quo nunquam bene cursum tenebit inter multa, specie contraria et repugnantia. Vt, in hoc *Herodoti*, quod contrarium est ei, quod alii tradunt, quis cursus tenendus est? num, dubios et neutrius partis esse nos, oportet, et *gentilium incertam temporum rationem* exclamare? an dicemus potius, *Herodotum*, qui ipse aliquot annis a *Thespide* fuit, quum celebris tragoedia, et numeris omnibus absoluta esset, vsum fuisse anticipatione, quum diceret Τραγικοὺς χορούς; ac voluisse eos choros, a quibus tanquam stirpe profecta ea, quae suis temporibus diceretur tragoedia? Sic supra vidimus, *Porphyrium, Iamblichum*, et *Cononem*, meminisse *Taurominii* eo tempore, quo nondum esset auditum istud nomen; sed velle ciuitatem *Naxon*, postea sic nominatam. Est id genus anticipationis commune omnibus omnino scriptoribus. Ac, si, alio in loco, *Herodotus*, V. c. 83. vbi, *Epidaurios*, ait, (longe ante, quam in *Attica* viueret *Susarion*), *coluisse deam* Damiam *et* Auxesiam χοροῖσι γυναικηίοισι κερτόμοισι, *choris mulierum, quae conuiciarentur et illuderent feminas loci*, vocasset χοροὺς κωμικούς, *choros comicos*, nihil dixisset praeclaro historio indignum: quia muliebres isti chori plerique tales erant, quales postea vocati comici; tametsi fortasse isto tempore vox *comicus* nondum ficta fuerat.

Quid est autem, quo demonstrare velit *Boyleus*, nomen tragoediae *Thespide* esse antiquius? *Ratio*, inquit, p. 178. *nulla esse potest dubitandi*, hymnos *istos* Bacchicos, *qui in choris circum aras canerentur (vnde ordinata tragoedia profecta) vocatos fuisse nomine tragoediae, a* Τράγος, *hircus, qui quum sacrificaretur, isti cantus ederentur.* Sed subiicit mox, p. 179. *Quod quidem ad hanc rem attineat, in obscuritate nos versari, nec habere, quod sequamur, nisi veri similia.* Quod si *in obscuritate* versamur, dico, scriptorem Censurae in ea nos relicturum; nec enim natus et aptus est ad illustrandum quidquam; sed potius ad faciendum id, quam esset ante, obscurius. *Ratio*, inquit, *nulla esse potest dubitandi.* Cur, amabo, non potest? Quia dubium esset, ad quod non posset respondere. Aliam caussam ignoro, cur, de eo dubitari, *a ratione abhorreat.* Nec enim testimonium vllum habet eius, quod hinc fingat, Nomen tragoediae tam esse antiquum, quam ritum *Baccho hircum* sacrificandi. Sunt, contra, testimonia luculenta, quibus pateat, non esse antiquius, quam quando *hircus* praemio certaminis poetis daretur. Vt praeter loca, ante citata, *Eusebius*, in Chron. *Certantibus in Agone Tragos, i. e. Hircus, in Praemio dabatur:* sic *Diomedes* grammaticus; *Tragoedia a* τράγῳ et ᾠδῇ *dicta, quoniam olim actoribus Tragicis,* τράγος, *id est, Hircus, praemium cantus proponebatur.*, *Etymol. M.* Κέκληται Τραγῳδία, ὅτι τράγος τῇ ᾠδῇ ἆθλον ἐτίθετο. *Philargyrius*, ad *Virgil.* Georg. II. 183. *Dabatur Hircus praemii nomine, vnde hoc genus poematis tragoediam volunt dictam.* Quae reliquae sunt de nomine, *Tragoedia*, opiniones reiiciendae sunt et explodendae. Sed si vera haec est; nomen non potest esse antiquius tempore *Thespidis*, qui primus de hoc praemio certauit. Praeterea, luculento testimonio constat, *Hymnos istos* Bacchios, *vnde ordinata tragoedia profecta*, principio vocatos esse, non *tragoediam*, sed, alio nomine, *dithyrambum.* Docet hoc clare *Aristoteles*, Poet. IV. *Tragoedia*, inquit, *orta est ab iis, qui dithyrambum canerent;* Ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν Διθύραμβον. Διθύραμβος, inquit *Suidas* ὕμνος εἰς Διόνυσον; i. e. *Dithyrambus est hymnus in* Bacchum. Primus auctor *dithyrambi*, vt alii referunt (*Suidas*, Λᾶσος. *Aristoph.* schol. p. 362. 421.), fuit *Lasus Hermionensis*, primo *Darii* tempore; vt alii (*Suid.* in Ἀρίων. *Aristoph.* schol. 421. *Dio Chrysost.* p. 455.), *Arion Methymnaeus*, tempore *Periandri.* Sed, vt apparet ex *Pindaro*, et scholiasta eius, (Olymp. 13.) tam remota eius antiquitas erat, vt ignoraretur inventor: atque *Archilochus*, qui aetate multo prior fuit vtroque, et *Laso*, et *Arione*, ipso vocabulo, *dithyrambus*, vtitur in mirabilibus his verisque *dithyrambicis* versibus, apud *Athen.* p. 628.

Ὡς Διονύσοι' ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
Οἶδα Διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

Sic verfus corrigendi et diftinguendi funt, quam fit par *trochaicorum*. Ac, *Boyleus* obferuet, velim, *Archilochum*, aeque atque *Suidam*, *dithyrambum* definire *hymno in Bacchum*, quem, per errorem, peculiarem tragoediae facit *Boyleus*. Quin etiam mox dicam ei, chorum, qui ad *dithyrambum* pertineret, non *tragicum* fed *cyclium* chorum fuiffe nominatum

De antiquitate nominis tragoediae quod primo loco differeret *Boyleus*, de eo errauit; fed alio adhuc falfo nititur. Nam demonftrare conatur (p. 107.), Τραγῳδίαν *principio comprehendiffe vtramque, tragoediam et comoediam*: et, quum comoedia tam antiquae memoriae fit, quam *Suforion*, qui quadraginta circiter annis *Thefpide* prior fuerit; confequens effe, vt nomen Τραγῳδία, quod tum effet comoediae, *Thefpide* quoque antiquius fuerit. Hoc cum demonftrare fufcipit, tum mifcet, et mutat quaeftionem. Nam quinque loca citat, vnum ex *Athenaeo*, tria ex fchol. *Ariftoph.* et vnum ex *Hefychio*, vt doceat, Τρυγῳδίαν effe *comoediam*. Quae res tam nota eft, et ab omnibus agnita, vt eodem iure probare poffit, Κωμῳδίαν effe *comoediam*. Sed quid hoc ad Τραγῳδίαν? An Τραγῳδία effe *comoedia* debet, quia Τρυγῳδία eft? Admirabilis vero conclufio, et vna e genere *Boyleano*. Probauerit etiam, quandocunque libuerit, *lacernam* effe *a lamp*, quia *lucerna* eft: et quoduis aliud hac argumentandi via effecerit. Sed inter alia, ab eo citata, quibus margo libri abundat, vnum eft, quo Τρυγῳδίαν effe *tragoediam*, duo, Τραγῳδίαν effe *comoediam*, oftendat. Iam primum horum rurfus alienum a quaeftione eft; nam, etiamfi τρυγῳδία dici poffit τραγῳδία et κωμῳδία, tamen non confequitur, vt τραγῳδία dici poffit κωμῳδία. Quod fi plus ftudii in noua fua dialectica collocaffet *Boyleus*, minus in fuo *Pholaride*; melius fuiffet ratiocinatus. Perinde eft, ac fi puer cum ludi magiftro difputet hac via; *Pomum* dici poteft *malum*, et *pomum* etiam dici poteft *cerafum*, ergo *malum* dici poteft *cerafum*. Sed praeter vitium in conclufione, id ipfum, quod proponitur, falfum eft, nam τρυγῳδία non eft *tragoedia*; imo, quo pateat, quam feliciter verfetur in arte critica *Boyleus*, etiam alterum, quod dicit, falfum eft; nam τραγῳδία nusquam eft *comoedia*. Videamus, quibus vtatur exemplis.

Τρυγῳδία, inquit *Boyleus*, *fignificat* tragoediam, *fic proprie dictam*, *in hoc loco* Ariftophanis, *Acharn. p.* 278.

— Αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
Τρυγῳδίαν —

Est enim hic de Euripide *sermo*. Sed quid tum? *Quid? quod* Euripides *poeta tragicus est*, τρυγῳδία, *quum ei adscribatur, oportet*, *tragoediam significet*. Nolo equidem iuuenem nobilem affligere: nec possum tamen, quin obseruem, quam infeliciter rem gerat, quum tractet auctores. Interpretatur hic τρυγῳδία, *tragoedia*: tamen ipse iocus, ipsum acumen, in hoc loco, in eo consistit, quod poeta *Euripidis* fabulas vocat *comoedias*. Atque ita scholiasta interpretatur: τρυγῳδίαν δὲ εἶπεν, ἀντὶ τοῦ κωμῳδίαν. Accusabatur *Euripides* ab *Aristophane*, aliisque ex antiquis, quod, neglecta maiestate et granditate, tragoediam humilem faceret, quum viles et abiectas personas pro heroibus induceret; et eas tenui ac populari colloquentes sermone, paullum modo supra communem dictionem comoediae adscenderet: contra ac solebant *Aeschylus* et *Sophocles*, qui magnificentiae studebant, et verbis translatis, et ad nomen adiunctis, copulatisque, omnia grandia et alta faciebant. Ac speciatim quidem in Ranis *Aristophanis*, p. 167. etc. vbi inter se compantur *Aeschylus* et *Euripides*, hic facete perstringitur et ridetur hoc ipso nomine. Quid igitur acerbius dicere in eum poterat, hoc in loco, *Aristophanes*, quam si, in stilum eius et personas per iocum illudens, tragoedias eius vocabat *comoedias?*

Esto; videamus, num in proximo loco felicius versetur *Boyleus*; Τραγῳδίαν *dici posse comoediam*. *Exstat*, inquit, p. 179. *fragmentum fabulae* Aristophanis, *cui nomen* ΓΑΡΥΤΑΔΗΣ, *vbi* τραγῳδὸς *dicitur comicus poeta*; apud *Athen.* p. 551.

Καὶ τίνες ἂν εἶεν; πρῶτα μὲν Σαννυρίων
Ἀπὸ τῶν τραγῳδῶν, ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
Μέλητος, ἀπὸ δὲ τῶν κυκλικῶν Κινησίας.

Iam vero, quum *Sannyrion* poeta comicus sit, vt notissimum est; apparet, vt opinatur *Boyleus*, ἀπὸ τῶ τραγῳδῶν dici *aliquem ex comicis*. Haud dubie poeta voluit, *Sannyrionem* missum legatum a poetis *comicis*, *Meletum* a *tragicis*, et *Cinesiam* a *dithyrambicis*. Erat hac sententia *Aristophanis*: atque idcirco nego, verba eius esse potuisse, quae nunc sint, ἀπὸ τῶν τραγῳδῶν. Tantum id abest, vt, etiamsi τραγῳδῶν valere *comicorum posset*, tamen ille noluisset vti nomine, hoc in loco, vbi mox sequitur τραγικῶν χορῶν. Quam enim absurda hic ambiguitas esset, et omnino indigna tam elegante poeta? quum idem valeant τραγῳδῶν, et τραγικῶν χορῶν; et, si illo significari *comoedia* potest, hoc etiam. Vt, nisi *Sannyrion* et *Meletus* bene noti fuissent, omnino ταυτολογία videri posset, *tragicorum* et *tragicorum*, aut *comicorum* et *comicorum*: aut, si significatio variata esset, quum altera vox comicos, altera tra-

gicos sonaret; tamen dubium fuisset, vter comicus esset, vter tragicus; quoniam vtrumque verbum, ex *Boylei* sententia, in vtramque partem accipi potest. Tantum, nisi fallor, momenti ad euertendam vulgatam, hoc in loco, scripturam, adferunt haec argumenta; vt is, qui, pro eo ac debeat, *Aristophanem* veneretur, iure dicere possit, neutiquam sic eum scripsisse. Si vnquam *Boyleo* arrisisset Critice, aut, nisi errare ei fuisset quodammodo fatale, non potuisset non in cogitationem venire huius certissimae correctionis:

— Πρῶτα μὲν Σαννυρίων
Ἀπὸ τῶν τρυγωδῶν —

Qua ratione, quidquid inest ambiguitatis, aut ταυτολογίας, euanescit; nam τρυγῳδὸς non alium, quam *comicum*, sonat. Quam facile autem, per errorem, τραγῳδῶν scribi, pro τρυγῳδῶν, potuit? quum τρυγῳδὸς vox sit longe rarior, nec, vt opinor, vsurpata in sermone communi hominum, aut seriis scriptis: nam illusioni inseruiebat, nec tam erat honorificum nomen, quam κωμῳδός. Est nihilominus vitium huius loci inueteratum valde; nam auctor Excerptorum ex *Athenaeo*, qui vixit ante *Eustathium*, i. e. D. amplius abhinc annos, legit τραγῳδῶν; *Sannyrionem* enim *tragicum* poetam vocat (Σαννυρίωνα τὸν τραγῳδόν. Epit. *Athen.* MS.) Sed tempore *Aeliani* vera scriptura τρυγῳδῶν adhuc exstabat in *Athenaei* libro: descripsit enim ille hunc ipsum locum in *Varia Historia*, et eo inductus, l. X. 6. *Sannyrionem* vocat *comicum* poetam (Σαννυρίων ὁ κωμῳδίας ποιητής.), *Tragicum Melitum*.

Ne vero mutationem vocis τρυγῳδῶν in τραγῳδῶν miretur *Boyleus*, aperiam ei vnum atque alterum vitium amplius in eodem loco:

— Ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
Μέλητος, ἀπὸ δὲ τῶν κυκλικῶν Κινησίας.

Casaubonus enim, pro Μέλητος, legendum putat Μέλιτος: *Quia*, inquit, ad *Athen.* p. 857. *et hic versus, et omnes alii, in quibus huius tragici fit mentio, respuunt secundam syllabam nominis eius longam.* Sed, bona cum venia, siue nomen eius scribendum est Μέλιτος, siue Μέλητος, dico, illos ipsos versus, non modo non *respuere*, sed postulare, secundam eius syllabam longam. Vt primum, in hoc *Aristophanis*, si prima syllaba vocis Κυκλικῶν breuis est, secunda vocis Μέλιτος longa sit, oportet. *Casaubonus* quidem, vt eius verba indicant, credidit, primam vocis Κυκλικῶν longam esse oportere: sed, vt planum est, *posse*, sic esse breuem, variis in locis (dixerim, omnibus) eiusdem poetae, mox apparebit. Alter versus, quem profert, hic est, e Ranis:

Σκολιῶν Μελίτου, καὶ Καρικῶν αὐλημάτων.

Sed hic quoque vocis Μελίτου ſecunda ſyllaba longa eſt; nam ΚΑΙ delendum eſt, vt ex toto loco apparebit (*Ariſtoph.* in Ran. p. 180.);

Οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων,
Σκολιῶν Μελίτου, Καρικῶν αὐλημάτων,
Θρήνων, Χορείων· τάχα δὲ δηλωθήσεται.

Quis non animaduertit, ſi ΚΑΙ, in ſecundo verſu, interponatur, multum elegantiae loco decedere? nam tota ſententia progreditur ſine aliqua particula, qua membra copulentur. Sed, vt nullus dubitandi locus relinquatur amplius, hic ipſe verſus citatur a *Suida*, in Μέλιτος, nec ibi apparet ΚΑΙ: ſed facile irrepſit in contextum orationis, quum conſequens vox ab iisdem literarum elementis ΚΑ inciperet. Ad ſummam igitur, vitium, quod *Caſaubonus* in loco *Athenaei* offendit, nullum eſt. Fuit vero, quod non offenderet ille, et id quidem eſt in κυκλικῶν pro κυκλίων: ſic enim corrigendus eſt verſus;

Μέλητος, ἀπὸ δὲ κυκλίων Κινησίας.

Ita *Aelian.* X. 6. citat ex hoc ipſo loco; Κινησίας Κυκλίων χορῶν ποιητής. Atque ita, aliis in locis, loquitur *Ariſtophanes*, (Nub. p. 79.):

Κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας.

Et rurſus de eodem *Cineſia:*

Ταυτὶ πεποίηκας τὸν κυκλιοδιδάσκαλον;

Et ſic omnis generis ſcriptores Κυκλίους χορούς, nunquam Κυκλικούς, dicunt, *Suidas*, ſchol. in *Pindar.* et *Ariſtoph. Heſychius*, *Plato*, *Plutarchus*, alii. Erat hic *cyclius* chorus idem, qui *dithyrambus*, vt quidam horum ſcriptorum aperte teſtantur; et erant tres chori ad *Bacchum* pertinentes, Κωμικός, Τραγικός, et Κύκλιος; quorum vltimo ſuum praemium, ſui iudices, *Dionyſiis*, vt reliquis duobus, erant: *Aeſch.* contr. Cteſiph. p. 87. Καὶ τοὺς μὲν κριτὰς τοὺς ἐκ Διονυσίων, ἐὰν μὴ δικαίως τοὺς Κυκλίους χοροὺς κρίνωσι, ζημιοῦτε. Celebris ille *Simonides* quinquagies ſexies hoc genere vicit, vt docet *Tzetzes*, ex epitaphio, in eius ſepulcro inſcripto, Chil. I. 24.

Ἓξ ἐπὶ πεντήκοντα, Σιμωνίδη, ἤραο νίκας
Καὶ τρίποδας, θνήσκεις δ' ἐν Σικελῷ πεδίῳ.
Κείῳ δὲ μνήμην λείπεις, Ἕλλησι δ' ἔπαινον
Εὐξυνέτου ψυχῆς τοῖς ἐπιγιγνομένοις.

Ita corrigendum hoc epigramma eſt; nam vitioſum eſt apud *Tzetzen.* Non quidem verbis expreſſum hic, quo genere certaminis vicerit: vt poſſit forte aliquoties viciſſe tragoediis; ſi verum ſit, quod narrat *Suidas*, *Simonidem* tragoedias feciſſe.

Sed credere malo, generatim eum viciſſe dithyrambis ſuis cum *cycliis* choris; et in ea me opinione confirmat eius epigramma, ante non editum, in Anthol. MS.

> Ἓξ ἐπὶ πεντήκοντα, Σιμωνίδη, ἤραο ταύρους
> Καὶ τρίποδας, πρὶν τόνδ' ἀνθέμεναι πίνακα.
> Τοσσάκι δ' ἱμερόεντα (διδαξάμενος) χορὸν ἀνδρῶν,
> Εὐδόξου νίκας ἀγλαὸν ἅρμ' ἐπέβης.

Verſum tertium ſuppleui verbo διδαξάμενος, quod deeſt in MS. Sed obſeruandum, quod pro νίκας, vt eſt apud *Tzetzen*, in epigrammate MS. eſt, ταύρους: quod auctoris eſſe, cenſeo, ſed, quum non intelligeretur, mutatum eſt in νίκας. Nam Ταῦρος, *taurus*, praemium erat *dithyrambi*, vt *hircus* tragoediae: quae cauſa eſt, quare *Pindarus dithyrambum* dicit βοηλάτην, Olymp. XIII.

> Ταὶ Διωνύσου πόθεν ἐξέφανεν
> Σὺν βοηλάτᾳ χάριτες
> Διθυράμβῳ. —

Dicit dithyrambum βοηλάτην, inquit ſcholiaſt. *quia taurus praemio dabatur victori: quum* Baccho *ſacrum eſſet iſtud animal.* Et quemadmodum poetae *dithyrambici tauro*, ſic qui cithara canebant, Κιθαρῳδοὶ, vitulo certabant. *Ariſtophanes*, Acharn. p. 261.

> Ἀλλ' ἕτερον ἥσθην, ἡνίκ' ἐπὶ μόσχῳ ποτὲ
> Δεξίθεος εἰσῆλθ' ᾀσόμενος Βοιώτιον.

Sunt, inquit ſcholiaſta, *qui interpretentur* ἐπὶ μόσχῳ, *vitulo: quia, qui vincebat cithara, vitulo donabatur.* Videtur quidem plus tribuere alteri interpretationi, qua Μόσχος nomen habetur citharoedi: in quo eum ſequuntur noſtri interpretes: ſed vera interpretatio haec eſt, vt et linguae ratio, et ipſa ſententia, ſatis indicant. Liceat amplius duo addere huc ſpectantia: Primum, ad triplicem hunc, *comicum*, *tragicum*, et *cyclium*, forte reſpici in eo epigrammate *Dioſcoridis*, quod ſupra citaui,

> Βάκχος ὅτε τριττὸν κατάγοι χορόν —

Non repugnabo, ſi quis hanc interpretationem fuerit amplexus: ſed, quod ad me attinet, alteram malo, qua refertur ad *Trina Liberalia*. Dein, Haec praemia, taurum et vitulum; aſſignata *dithyrambo* et cantui citharae (ſi vere ea conſuetudo ſeruata fuerit ad mortem vsque *Simonidis*, et tempora *Ariſtophanis*; et ſi iſta eorum loca referenda ſint ad praeſentem morem, et non ad primum duntaxat inſtitutum) quosdam adducere poſſe, vt credant, priſtina praemia tragoediae et comoediae etiam ſeruata eſſe, licet, de iis, relatum non ſit. Sed, vt vt eſt, eo tamen argumenta, ſupra allata (p. 210. 252.), nullo modo labefactantur. Nam planum eſt, ex loco de *Aeſchylo*, etc.

in Marmore *Arundel.* (vbi ista praemia non commemorantur) tempora *Sannyrionis* et *Thespidis* (ad quae commemorantur) ideo notata esse ab isto auctore, vt de origine comoediae et tragoediae constaret.

Restat adhuc vnicus *Boyleo* locus, et velut ancora vltima, ad firmandum id, quod putat, *posse voce tragoedia significari comoediam.* Est is in Prolegom. in *Aristoph.* collectis ex diuersis incertis auctoribus: verba haec sunt, p. IX. Ἔςι δὲ ταύτην (Κωμῳδίαν) εἰπεῖν καὶ τραγῳδίαν, οἱονεὶ τρυγῳδίαν τινὰ οὖσαν, ὁτι τρυγίᾳ χριόμενοι ἐκωμῴδουν· i. e. *Licet comoediam vocare tragoediam, quasi* trygoediam, *quia actores faciem faecibus oblinebant.* Habemus testimonium luculentissimum, licere comoediam vocare tragoediam, id quod demonstrare voluit *Boyleus;* et quid reliquum est, nisi vt gratulatio ei decernatur? Sed non temere, vt opinor, aliquis aptius elegerit exemplum, quo ostendat, eum, qui se in hoc genus doctrinae interponat, oportere, *cerebrum* habere, vt *Boylei* verbis vtar, aeque atque oculos, *in capite.* Is, qui ab istis rebus paratus est, ex proximis verbis incerti istius scriptoris intelliget, locum esse corruptum. Nam consequitur, Καὶ τῆς μὲν Τραγῳδίας τὸ εἰς ἔλεον κινῆσαι τοὺς ἀκροατὰς, τῆς δὲ Κωμῳδίας τὸ εἰς γέλωτα. Vt integra sententia, vt vulgo legitur, et *Boyleus* eam habet, haec sit: *Comoediam etiam vocare licet tragoediam: et quidem tragoediae est, misericordiam auditorum concitare, comoediae, risum.* Haec non admirabilis sententia est, et ea perinde, quasi auctor dixerit, *Comoediam licere vocare tragoediam, nam res esse omnino diuersas?* Haud dubie, si vere fuisset opinatus, *comoediam licere vocare tragoediam;* proximis verbis dixisset, τῆς τραγῳδίας τῆς κυρίως λεγομένης· *tragoediae proprie dictae:* nec ea reliquisset, vt nunc sunt, sonitum inanem, nulla subiecta sententia. Sed vitium, dixerit aliquis, satis nunc conspicuum; quae vero correctio instituenda? Est ea ipsa facilis etiam et certa; nam minima mutatione totus locus sic legendus est: Ἔςι δὲ ταύτην εἰπεῖν καὶ τρυγῳδίαν, οἱονεὶ τρυγιῳδίαν τινὰ οὖσαν, ὅτι τρυγίᾳ χριόμενοι ἐκωμῴδουν. Atque ita iisdem fere verbis rem expressam habemus ab alio scriptore, in iisdem Prolegom. p. VII. Τὴν αὐτὴν δὲ (Κωμῳδίαν) καὶ Τ[illegible]γῳδίαν φασὶν, ὅτι τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο. Vtrumque indicat, pro κωμῳδία licere vti τρυγῳδία; quod verum et rectum: sunt enim eiusdem virtutis nomina; vt ex variis locis *Aristophanis*, et veterum lexicographorum, apparet.

Refutaui nunc omnia argumenta, a scriptore Censurae allata ad demonstrandum, τρυγῳδίαν licere dici tragoediam, aut

τραγωδίαν comediam: et permirum videri poſſet illud, in vllo alio ſcriptore, praeter *Boyleum*, propoſiturum eum fuiſſe ſex non minus exempla, quae aut falſa ſint, aut a propoſito aliena, ignoraturum vnum, quod cauſae ſit accommodatum ſuae. Bona cum venia eius, id proferam, et paulisper mutabo aduerſarium; niſi, iniuriam eſſe, ducat, qnod ſibi ſocium adiungam tanto ſe inferiorem, *Iſaacum Caſaubonum*, virum ſummum. Is, in libro praeſtantiſſimo, *de Satyrica Poeſi*, vt fecit *Boyleus*, docet, p. 21. *Principio, et comoediam, et tragoediam, vocatam eſſe* τρυγωδίαν *vel* τραγωδίαν, *vt apparet ex* Athenaeo; *vbi* (p. 40.), *Et comoedia, inquit, et tragoedia, inuenta tempore vindemiae* (τρύγης); ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγωδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη καὶ κωμωδία. Quod, inquit *Caſaubonus*, *ſic corrigo*, ἐκλήθη καὶ ἡ τραγωδία καὶ ἡ κωμωδία, i. e. *A qua voce*, τρύγη, vindemia, *et comoedia, et tragoedia, principio nominata eſt* τρυγωδία. Hoc primum eſt, quo nititur *Caſaubonus*, ac patet, ſolum pendere ab ipſius, in *Athenaeo*, emendatione; quam equidem falſam arbitror. Nam non eſt in contextu orationis, quod citauit, ἐκλήθη ΚΑΙ κωμωδία (quod vere, aliquid deeſſe, indicaret); ſed ἐκλήθη Ἡ κωμωδία, tam in ipſius, quam reliquis editionibus. Deceptus igitur eſt, quum crederet ſuis *Aduerſariis*, non inſpecto ipſo libro; nam cauſa alia non eſt, cur orationem mutes, ſi a particula ΚΑΙ diſcedas. Porro narrat, p. 22. Et τρυγωδία, et τραγωδία, *primum fuiſſe communia nomina, et tragoediae, et comoediae; ſed poſtea diuulſa eſſe;* διεσπάσθη, *vt* Ariſtotelis *loquitur, et veteres critici docent.* Iam locus *Ariſtotelis*, ad quem reſpicit, nihil omnino habet, nec de tragoedia, nec de comoedia; ſed generatim de poeſi agit: (Διεσπάσθη δὲ, inquit, Poet. c. IV. κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις) *Diuulſam eſſe et generibus diſtinctam, pro diuerſis ſcriptorum ingeniis; quum alii heroica canerent, alii ludicra et ſatiras, alii hymnos et encomia, omnes, quo cuiusque animus inclinaret.* Sed ſubiicit *Caſaubonus* haec: Τραγωδία τὸ πάλαιὸν ἦν ὄνομα κοινὸν καὶ πρὸς τὴν κωμωδίαν· ὕστερον δὲ τὸ μὲν κοινὸν ὄνομα ἔσχεν ἡ τραγωδία, ἡ δὲ κωμωδία ἴδιον· i. e. *Tragoedia antiquitus nomen commune fuit, tam ſibi, quam comediae; ſed deinceps nomen illud commune factum eſt peculiare tragoediae, et altera vocata comoedia.* Qui locus ſumtus eſt ex *Etymol. M.* licet interpolatus parumper, et deprauatus ab ipſo *Caſaubono*. Ille enim, poſtquam varias deriuandi nominis, τραγωδία, rationes propoſuiſſet, tandem, Ἡ ἀπὸ τῆς τρυγὸς τρυγωδία, inquit, V. Τραγωδ. ἦν δὲ τὸ ὄνομα τοῦτο κοινὸν καὶ πρὸς τὴν κωμωδίαν· ἐπεὶ οὔπω διεκέκριτο τὰ τῆς ποιήσεως ἑκατέρας· ἀλλ' εἰς αὐτὴν ἓν ἦν τὸ ἆθλον, ἡ τρύξ· ὕστερον δὲ τὸ μὲν κοι-

γὸν ὄνομα ἔσχεν ἡ τραγῳδία· ἡ δὲ κωμῳδία ὠνόμασαι, κ. τ. λ. vbi verba ὄνομα κοινὸν non referenda ad τραγῳδία, vt facit *Casaubonus;* ſed ad τρυγῳδία, quod proxime antecedit: nam ſententia haec eſt; Τραγῳδίαν *nomen habere poſſe leni mutatione a* τρυγῳδία: *quam vocem*, τρυγῳδία, *antiquitus, non tantum tragoediam, ſed etiam comoediam, ſignificaſſe: tum enim haec duo genera poeſeos non fuiſſe diſtincta, ſed vnum idemque praemium iis fuiſſe* (τρύγα) *vinum: deinceps tragoediam antiquum illud nomen retinuiſſe* (υ mutato in α), *et alteram vocatam comoediam.* Errat igitur *Caſaubonus*, quum narrat, hoc quaſi auctore, Τραγῳδίαν aliquando ſignificaſſe *comoediam:* quod enim hic ſcriptor dicit, illud eſt, Τρυγῳδίαν aliquando ſignificaſſe vtramque, et tragoediam, et comoediam, quae propoſitio ab altera illa *Caſauboni* plurimum differt.

Verum tamen, etſi hic locus *Etymologi* a propoſito *Caſauboni* alienus eſt, poteſt tamen vtilis eſſe illi *Boylei.* Non quidem valebit ad id, quod demonſtrandum ſuſcepit; p. 179. *Nomine* tragoediae, *et tragoediam, et comoediam. primum fuiſſe comprehenſam* (quod vnum, et nihil aliud, aliquid momenti adferet ad quaeſtionem, de *Origine Tragoediae*); tamen aperte indicat, quod duobus, male acceptis, locis fruſtra demonſtrare conatus eſt ille, Τρυγῳδία *aliquando ſignificaſſe tragoediam.* Mea igitur intereſt, ad hunc locum reſpondiſſe: quia iam plane negaui, τρυγῳδία vnquam ſignificaſſe tragoediam. Nec, vt opinor, longe petendum erit, quod referam, quum ipſe auctor id ſuppeditet, hoc ipſo in loco. Fundamenta enim eius, quod aiat, haec duo eſſe, declarat: eſſe τραγῳδία ortum a τρυγῳδία; et τρύγα, *vinum*, eſſe commune praemium, et comoediae, et tragoediae. Iam, de vtroque eum erraſſe, planum eſt, nam vere τραγῳδία ortum eſt a τράγος, *hircus*, vt ſupra demonſtraui; nec praemium idem fuiſſe, ſed hircum tragoediae, vinum comoediae, Marmor *Arundel.* (ne plura commemorem) luculenter teſtatur, in loco, de *Suſarione* et *Theſpide.* Quod ſi igitur fundamenta, quibus nititur, corruunt, corruit quoque eius auctoritas; ſolus enim eſt, nec eſt, qui eum ſuſtentet; cum reliqui omnes ſignificationem nominis τρυγῳδία ſola comoedia definiant. Τρυγῳδεῖν, κωμῳδεῖν, inquit *Heſychius.* Τρυγῳδία, ἡ κωμῳδία, ſchol. *Ariſtophan.* In *Suidae* editionibus, quae nunc ſunt, legimus Τρυγοκωμῳδία, ſine interpretatione: ſed vera ſcriptura eſt, vt ipſe ordo literarum declarat, τρυγῳδία, κωμῳδία; et, ſic inuentum a ſe in MS. teſtatur *H. Stephanus.* Sunt hi tres omnino aetate priores auctore *Etymolog.* et, ſi quis vnquam ante eorum tem-

pora fuiſſet vſus *τρυγῳδία* pro tragoedia, aut omnes, aut quidam eorum id monuiſſent.

Quod ſi mihi ſine teſtimoniis agere liceat, perinde vt alii quidam faciunt, ſuſpicer potius, *κωμῳδία* fuiſſe antiquum et commune nomen vtriusque, et tragoediae et comoediae; quoad peculiaribus ſuis nominibus diſtinguerentur. Nam nominis etymologia (*κωμῳδία*, *ἐν κώμαις ᾠδή*, *cantus in vicis*) aequaliter vtrique conuenit: cum, et tragoedia, et comoedia, primum inuenta ſit, et vſurpata, in vicis, vt omnes ſcriptores vno ore teſtantur. Et obſeruatione dignum eſt, quod *Dioſcorides* in ſuis epigrammatibus *Theſpidis* fabulas vocat *κώμους* (vid. ſupra, p. 126. 127.)

Θέσπιδος εὕρεμα τοῦτο, τάδ' ἀγροιῶτιν ἀν' ὕλαν
Παίγνια, καὶ ΚΩΜΟΥΣ *τούσδε τελειοτέρους.*

Et rurſus, *Theſpidis* fabulas, ait, oblectamento fuiſſe *κωμήταις*;

Θέσπις ὅδε τραγικὴν ὃς ἀνέπλασε πρῶτος ἀοιδὴν,
ΚΩΜΗΤΑΙΣ *νεαρὰς καινοτομῶν χάριτας.*

Vt ipſae *Theſpidis* fabulae in initio, et poſt aliquamdiu, forte vocatae fuerint comoediae, quae vox iam inde a tempore *Suſarionis* vſurpata. Sed cognita differentia vtriusque generis, et peculiari praemio huic *Theſpidis* aſſignato, conueniebat, vtrique generi priuum nomen dari, ſumtum a praemiis diuerſis; et altera quidem vocata eſt *τραγῳδία*, ab hirco (*τράγῳ*); altera *τρυγῳδία*, ab amphora vini (*τρυγός*). Ipſa ſimilitudo duorum nominum non leui argumento eſt, hanc veram eorum rationem eſſe: ſed tantum propono hoc, vt coniecturam, quae opponatur coniecturae auctoris *Etymologici*; et fortaſſe aeque probabilis haberi poſſet atque illius, niſi mala eius fortuna eſſet, quod tot ſaeculis poſterius facta eſt.

Quum tandem finem errorum ſuorum, in hac, *de Tragoedia*, quaeſtione, fecerit *Boyleus*; laetus quoque meas in eos animaduerſiones concludam. Video enim, quam diu lectorem in hoc argumento detinuerim: ſed ſpero, cum iucunditatem et vtilitatem eius, tum vaſtum numerum vitiorum, quae eſſent a me corrigenda, excuſationem mihi datura prolixitatis. Quam augere nolo repetitione eorum, quae dicta ſunt: nam breuis etiam cuiusque rei commemoratio, vbi eorum, quae tanguntur, tanta varietas eſt, in longum excreſceret ſermonem. Vnum dicam, De tribus, (p. 165.) quae efficere conatus ſit *Boyleus*, vnumquodque contra cum valuiſſe; nec errores, in quos inciderit ſubinde, deſiiſſe numero augeri, pro longitudine, in quam haec eius diſputatio excurrerit.

XII.

DE DIALECTO ATTICA.

Orditur scriptor Censurae suas; de hoc capite, commentationes a *loco*, quem *non magni esse momenti*, fatetur (p. 34.). Agnoscit, *varia esse in Epistolis* Attica *loquendi genera*; tamen non esse ea *proprie Attica*. Qua calumnia vsus esse videtur non alio consilio, quam vt locus esset isti illusioni, Bentleii *sermonem Latinum abundare Anglicis loquendi generibus*: quod vbi ipse, aut pro eo alius, exemplis commonstrauerit, tum videro, quid sit dicendum contra; sed interea in calumniae loco id habeo. Addit, Homerum *Atticismis miscuisse stilum suum, qui tamen dicat, eum scripsisse* Attice, *fore neminem*. Quod, crude dictum, declarat, *Boyleo* perspectum non esse, quae fuerit progressio dialectorum. Nam, si ex eo quaererem, quae fuerit tempore *Homeri* dialecti *Atticae* forma, satis diu exspectandum esset, antequam responderet. Abunde constat, *Iones* esse colonias *Atticas*: et primum *Ionica* et *Attica* vna eademque dialectus fuit. Iam istae coloniae in *Asiam* deducta sunt a *Neleo*, (Marm. *Arundel.*) annis non amplius CLXX. ante, quam floreret *Homerus*: atque ipse *Homerus Athenienses* Ἰάονας, *Iones*, vocat. Si igitur dicerem, tempore *Homeri* parum, aut nihil, discriminis inter *Atticam* et *Ionicam* linguam fuisse, qui refellere id posset *Boyleus*? Quod enim nunc, *Homerum* inter et scriptores *Atticos*, apparet, eius ratio in causa non valet. Quia *Homerus* circiter CCC. annis (Marm. *Arundel.*) vixit ante, quam vllum, de suis, scriptorem habuerunt *Athenienses*. Vt, quemadmodum e ratione temporis confici potest, non parum absit, vt tanta dialectorum mutatio sit facta, inter *Nelei* et *Homeri*, quanta inter *Homeri*, et *Tyrtaei*, aut *Solonis*, tempora.

Sed reprehendit, quod dixi; *Sophistas studuisse, alium alium superare* Attice *scribendo, ad ostentationem vsque soloecismi*. Nam declarat, *sibi aquam haerere in horum verborum sententiam assequendo, et quidem a se haberi gradum ostentationis incomprehensibilem*. Quibus in rebus *Boyleo aqua haereat*, quidue non possit *comprehendere*, iam nimis perspectum eius ingenium habeo, quam qui solicite inquiram. Dicat igitur, si volet, etiam *Luciani* verba sonitum esse inanem, quum aiat, Soloec. p. 981. Socratem *quendam solitum fuisse, ridere* τοὺς σολοικίζοντας Ἀττικῶς, *eos, qui* SOLOECISMOS ATTICOS *affectarent*. Est hic idem *incomprehensibile* dictum, quod in me reprehendit iustissimus ille noster sensuum et orationis aestimator. Sed, quum metuendum sit, ne clementius cum *Luciano* sit acturus, in proxime edendo libro, quam mecum, in vltimo; conabor

ſcriptori Cenſurae hoc illuſtrare; ita, ſi fieri poſſit, nos ambo quid velimus, intelligat. Conſtat, *Philoſtratum* et *Aelianum* ſemper habitos fuiſſe omnium ſophiſtarum *Atticae* dictionis ſtudioſiſſimos. Iam *Photius*, luculentiſſimus auctor, vbi *Philoſtrati* ſtilum deſcribit; *Compoſitio eius tam*, inquit, p. 540. *ſingularis eſt, vt nulla alicuius ſcriptoris par ei fuerit; nam ſimilior videtur ſoloecismo, quam quidquam aptae compoſitionis habere* (Ἀσυνταξίαις μᾶλλον ἐοικέναι, ἢ συντάξεως ὁτιοῦν μετέχειν.). *Neque hoc factum eſt ignorantia; ſed, quia quidam e veteribus aliquando ſic potuerunt loqui, vbique ſic loquitur cum oſtentatione.* Atque *Euſtathius*, quum quaedam exempla ſoloecismi ex *Euripide* et *Sophocle* protuliſſet, *Sed*, inquit, ad Iliad. p. 179. *fuiſſe inter veteres et bonos oratores, qui ſoloecismos affectarent, vt nouitas elegantiam conciliaret ſtilo, plane apparet ex ſcriptis* Philoſtrati (Σολοικοφανῆ καὶ οὕτω καινοπρεπῆ). Sic iudicarunt *Photius* et *Euſtathius*, non contemnendi auctores: ac, bona cum venia *Boylei*, vno et altero exemplo oſtendam, eos recte iudicaſſe. Οἱ δὲ Ὠρεῖται, inquit *Philoſtr.* Apol. p. 155. χαλκαῖ μὲν αὐτοῖς αἱ πέτραι. En ſoloecismum; caſum rectum, nullo addito verbo, quod ei conſequens ſit: alius ſcripſiſſet, Τοῖς δὲ Ὠρείταις χαλκαῖ μὲν αἱ πέτραι. Atque idem, p. 159. Καὶ πρὸς πυῤῥίχαις αὐτοὶ ὄντες, αὐλῶν μὲν μεστὰ πάντα ἦν. Et, p. 227. Τὸν λυπούμενον μὲν, κομίζεσθαι αὐτῷ τὴν λύπην ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ. Et p. 325. Δομετιανὸς ἐπιβουλεύειν ἑαυτῷ φήσας, οἱ μὲν εἰς νήσους καθείρχθησαν. Sunt omnes hi ſoloecismi, *cum conſequens verbum non conueniat antecedentibus, iisque accommodetur;* quae vera ſoloecismi definitio eſt. v. *Suid.* in V. Σολοικ. *Corinthus* etiam, Περὶ Διαλέκτων, notat illud tanquam peculiare genus loquendi *Atticorum*, quum caſus rectus in loco obliquorum ponatur; propoſitis exemplis ex *Ariſtophane* et *Philoſtrato*. Addam pauca loca, ex *Aeliano*, altero illo *Atticiſmi* exemplo. Οἱ ἵπποι, inquit, de Anim. IV. 50. τὰς κάτω βλεφαρίδας οὔ φασιν αὐτοὺς ἔχειν. Ibid. IV. 55. Οἵ γε ἄῤῥενες καὶ πολεμικοὶ κάμηλοι, καὶ ἐκτέμνουσιν αὐτοὺς οἱ Βάκτριοι· Var. Hiſt. II. 41. Λακύδης δὲ καὶ Τίμων οἱ φιλόσοφοι, καὶ τούτους πιεῖν πάμπολύ φασι. Niſi haec exempla ſufficiunt *Boyleo*, ad *comprehendendum* melius, quid ſit, *Atticos* ſoloecismos affectare, non eſt, quod plura addam: ſed non poterit non ei in poſterum *aqua haerere in ſententia huius altae commentationis aſſequenda* (p. 35.).

Eſto; colligit ſe ex his altis curis, iamque *venit ad meam argumentationem, quam*, inquit, *libere* ineptam *dico, quia mea eſt, et a me expreſſa in Praefat.* Phalaridi *praemiſſa.* Sane, vt haec argumentatio eſt in eius Praefatione, (*Neque, cum Siculis*

scriptoribus placuerit semper dialectus Dorica, Agrigentinorum tyrannus alia vti debuit.) quum nude ibi proponatur, et nec vllo testimonio confirmetur, nec caueatur, ne quid excipiatur contra, ac denique in vsum conuertatur cum falsa enunciatione, Siculos *scriptores* SEMPER *vsos fuisse dialecto* Dorica; per me licebit, quam volet, ineptam dicat. Sed, salua reuerentia, vt argumentatio in mea Dissertatione se habet, facilius erit *Boyleo*, eam *ineptam dicere*, quam, esse, demonstrare.

Quam primo loco reddit, (p. 35.) *probabilis ratio, cur Siculus* princeps Dorice *loqui non debuerit*, haec est, quia *patria* Siculus *non fuit. Quo de certum habemus*, inquit, (p. 36.) *si valet Epistolarum auctoritas; et quamquam* Bentleius *prae se fert, validioribus se testimoniis refellere id posse; nihil tamen in tota Dissertatione dicit, quo id conuellat*; imo, Bentleius, inquit, (p. 40.) *contendit sine vllis exemplis, aut argumentis*, Phalarin *patria fuisse* Siculum. Tametsi causam nullam habeo, cur solicitus sim de fama iuuenis huius; vere tamen me affligit, quod tam praecise affirmat id, quod manifesto falsum est. Nam c. XVI. Dissertationis meae haec ipsa verba leguntur: *Lucianus vtrumque, et* Phalarin, *et eius fabrum*, Perillum, *patria* Agrigentinum *facit; at in Epistolis alter* Astypalaeensis, Atheniensis *alter*. Quid clarius esse potest, quam *Lucianum* hic testem, contra Epistolas, produci, vt pateat, *Phalarin* patria fuisse *Siculum?* Attamen *Boyleus* plus semel affirmat, me *nihil dixisse*, me *nulla exempla aut argumenta* habere, quibus demonstrem, *Siculum* fuisse. Quod autem pluribus de eo non egi, non alia de causa factum est, quam quod opinarer, necesse non esse: quumque solius *Luciani* mentionem faciebam, id, quod promiseram, praestabam, illud vnum nempe, *Fortasse de eo mox acturum me.* Quum vero *Boylei* furor eruperit in defensionem *Phalaridis*; nunc operae pretium ducam, alia testimonia in medium attulisse, et *suo ipsi solatio* (p. 36.) ostendisse, nec omnibus *minaciter dictis*, nec omnibus assentientium plausibus, *contingere, vt diu sibi constent.*

Fuisse *Phalarin Agrigentinum*, patria *Siculum*, constat alio testimonio *Luciani*, secundum illud, supra citatum. Qui in loco *impiorum puniuntur*, inquit, Ver. Hist. II. p. 761. *ruptis vinculis, superataque custodia, pergunt ad insulam, ducibus* Phalaride AGRIGENTINO, *et* Aegyptio Busiride, *etc.* (ἡγεῖσθαι δὲ αὐτῶν, Φάλαρίν τε τὸν Ἀκραγαντῖνον). Similiter *Polyaenus*, v. Φάλαρις ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΟΣ. Addo quoque *Suidam*, qui, Phalarin AGRIGENTINVM *totius* Siciliae *tyrannum fuisse*, ait. Quod sic expressit *Orosius*, I. 20. Phalaris SICVLVS, *tyrannus, etc.* Ac *Photius* Τὸν Ἀκραγαντῖνον τύραννον,

AGRIGENTINVM *tyrannum* vocat, ep. 207. Quae teſtimonia nonne omnia aperta et plana ſunt? et ſunt alia adhuc, quibus implicite id contineatur. *Quem taurum* (*Phalaridis*, *Carthagine* repertum) Scipio, inquit *Tullius*, IV. in Verr. *cum redderet* Agrigentinis, *dixiſſe dicitur: aequum eſſe*, *illos cogitare*, *vtrum eſſet* Siculis *vtilius*, SVISNE *ſeruire*, *an populo* Romano *obtemperare; cum idem monumentum et* DOMESTICAE *crudelitatis*, *et noſtrae manſuetudinis haberent.* Quod ſi iam *Phalaris* peregrinus fuiſſet, haec *Scipionis* oratio valde fuiſſet languida, et, quemadmodum argumenta *Boylei*, potuiſſet conuerti in auctorem. *Heraclides* auctor eſt, in Polit. *Agrigentinos*, quum in poteſtatem ſuam redegiſſent *Phalarin*, *concremaſſe etiam matrem illius et amicos* (τὴν μητέρα καὶ τὲς Φίλες). Quo patet, non fuiſſe hoſpitem, ſed magnas ibi habuiſſe neceſſitudines; tametſi auctor Epiſtolarum peregrinum faciat, et parentibus orbum. Hic ipſe liber, vt videtur, *Heraclidis*, citatur a *Cicerone*, Diuinat. 1. de matre *Phalaridis*; et, niſi *Heraclides Phalarin* patria *Siculum* feciſſet, pro certo habemus, *Ciceronem*, qui illum legerat, neutiquam iſtam orationem *Scipioni* fuiſſe affictururum. Quid nunc ſcriptor Cenſurae dicet de ſuis *minaciter dictis?* Vereor profecto, ne minas ſecuta res non tantum huic hiſtoriae parti, ſed toti corpori Epiſtolarum adverſa ſit. Quum enim in Epiſtolis *Phalaris* perhibeatur *Aſtypalaeenſis*, quem, omnes, quotquot de genere eius loquuntur, declarant, *Agrigentinum* eſſe, manifeſtum indicium fraudis eſt: ſaltem conſequitur, vt aut illorum nemo vnquam audiuerit de *Phalaridis* Epiſtolis, aut nemo crediderit veras; vtrumvis quorum ſufficit ad profligandum fictum *principem Siculum*, omnesque, qui illius ſuſcipiant defenſionem.

Iraſcitur *Boyleus*, quod ſuo errore *laetor* (p. 36.) ego, quum *Aſtypalaeam ciuitatem* Cretae dicat; quod *nouum* dicebam, *nec vlli geographorum cognitum ante.* Quaerit ex me, vt ait, *ſerio*, *An non in ipſis Epiſtolis* PLANE *id ponatur? Ac tu non* EXPRESSE *fateris p.* 58. (39.) *Diſſertationis*, *ſic ibi poni?* Iam, viciſſim liceat *Boyleo* vnam de ſuis quaeſtiunculam ponere (p. 39.): *An operae pretium ipſi videretur*, *rem banc minutam fingere?* (Reliquum huius quaeſtionis mihi poſitae, *Tantum vt ſe* SVPERIORIBVS *contradiceret*, *Boyleo* relinquo, nec vnquam eius copiam mihi fieri ab illo volo). *Et an voluptas*, *quae percipitur ex inuenta aliqua re circumſtante* (rurſus ei relinquo conſequentia verba, *ſolum vt* RVDITER *tractetur*) *aequari poſſit cum pudore*, *qui illius admonitionem conſequatur?* Nam in vtroque hoc nimis bene imitatus eſt ſophiſtam eum, quem tam male defendit. Primum, tantum abeſt, vt, in

Epiſtolis, PLANE *ponatur* illud, *Aſtypalaeam in Creta* eſſe, vt omnino non ponatur. Quidquid ibi dicitur, tantum illud eſt, Phalarin *fuiſſe natum, et pulſum* Aſtypalaea: vid. ep. IV. (XXXV.) et CXIX. (IV.) et aliquanto poſt, *Inuitaſſe vxorem, vt, relicta* Creta, Agrigentum *ad ſe proficiſceretur:* v. ep. LXIX. (CV.) Quid hic *ponitur*, *Aſtypalaeam* eſſe in *Creta?* Non potuit illius vxor relinquere *Aſtypalaeam*, vbi mariti memoria erat inuiſa, et in *Cretam* ſe conferre? Num, quod ea in *Creta* erat, pulſo patria marito, etiam *Aſtypalaea* in *Creta* eſſe debebat? Fuit *Athenis* natus, educatus, et matrimonio iunctus, *Themiſtocles*; ſed, poſtquam pulſus eſſet patria, illius vxor et liberi in *Epiro* fuerunt (*Plut.* Them.): adeone *Athenae* in *Epiro* eſſe? Apta concluſio! plane tamen ſimilis illi *Boylei*; qui, quod *Phalaridis* vxor eſſet in *Creta*, *Aſtypalaeam* quoque in *Creta* collocare voluit, licet nemini ibi audita et cognita ſit. Dein iniurius in me eſt, aut potius in ſemet, quum dicit, *me* EXPRESSE *fateri, id in Epiſtolis poni.* Nam ipſa verba, ad quae reſpicit, haec ſunt: *Quo ſignificaſſe* VIDETVR *ſophiſta*, Aſtypalaeam Cretae *ciuitatem a ſe habitam.* Iudicabit nunc lector, qualem habeam aduerſarium. Num VIDERI *ſignificare*, illius lingua, idem valet, quod EXPRESSE *fateri?* Si ita eſt, nolo amplius cum illo diſputare. Erat, cur dicerem, *videri* ſignificaſſe; quod animaduertebam, hunc vnicum locum eſſe, cuius auctoritate *Aſtypalaea* in *Creta* collocaretur; per quem errorem nemo labi potuiſſet, ſi nihil fuiſſet, quo *videretur* ſignificari, nihil, quod *ſimile* eſſet tali ſignificationi.

Quid autem, inquit *Boyleus*, (p. 37.) Aſtypalaea *non eſt ciuitas* Cretae? *quid habet* Bentleius, *quod contra dicat? Num indicem habet* OMNIVM centum *ciuitatum ibi? Si habet, maius id eſt in geographia, quam quod detexi ego.* Ac rurſus idem inculcat (p. 38.): *Nullus geographorum hanc, in* Creta, *ciuitatem commemorauit; non magis aliquas, de reliquis nonaginta novem.* Vtrum eruditio eius, an ratiocinatio, admirabilior? eruditio quidem, quia nouit illud arcanum, *Cretam* vocatam fuiſſe Ἑκατόμπολιν, quod centum ibi vrbes eſſent; ratiocinatio autem, *Aſtypalaeam* ciuitatem *Cretae* eſſe, quod, id refellere indice omnium centum, non poſſim? Simili argumentatione concludere poſſit, ſi lubeat, *Oxoniam* quoque *Cretae* ciuitatem eſſe; et *quid* habebit *Bentleius*, quod dicat contra? Sed male habet, quod antiquum ſuum, et ſibi fatale, errare, adhuc obtinet ſcriptor Cenſurae: quid enim, ſi exhibuero *Indicem omnium centum ciuitatum, in* Creta? Tum facetiae iſtae, iſtud os, quid aliud, niſi decebunt eum? Nihilominus tamen talis index tam obuius eſt, vt abhinc XX amplius annos vnum,

operarum formulis expressum, in manibus habuerim (vid. *Meursii* CRETAM), non tantum centum, sed centum et viginti ciuitatum in *Creta*, vna cum indiciis quorumque auctorum, qui quasque illarum commemorarunt. Nam centum vrbes ibi iam fuerunt tempore *Homeri*, et variae postea conditae. Iam autem scriptor Censurae non peritus iudex est *eius, quot sit detectum in geographia?* Nunquamne geographi meminere *aliquarum, de nonaginta nouem? Circumspexisset*, puto, vt ille ait, *ante, quam quid definiuisset* (p. 37.).

Verumtamen vrget *Boyleus*, quo se excuset, *Non esse se primum*, (p. 37.) *qui hoc* (falsum) *detexerit, sed errare post summos viros*, Goltzium *et* Fazellum. Quod si leuius peccatum putabit, quum secundum alios peccauerit, quam quum e sua penu aliquid vitiosi protulerit, hac causa vincet; nam, quantum potero, me facilem ei praebebo. Sufficit, errorem esse manifestum, in eumque incidisse *Boyleum;* vtrum vero anteiuerit, an secutus fuerit, nihil interest. Sed pergit (p. 38.), et expostulat; *Num omnia loca, quae modo semel ab antiquis commemorantur, reiiciet* Bentleius? atque ita, per integram paginam, declamitat, haustis ex *Diodoro* et *Scylace* locis. Sed iam respondi, *Astypalaeam Cretae* NE QVIDEM SEMEL *commemorari ab antiquis*. Inuenimus quidem illam apud nouos quosdam geographos, vt *Naogeorgum* in Praefat. in *Phalar. Boyleum*, et in Praefat. et Indice: qui, quum de auctore, quem edebant, errarent, alios deceperunt incantata ciuitate, quam, praeter ipsos, nemo videre potest. *Caute* (p. 38.) itaque loquar, oportet, vt me admonet *Boyleus*, non commemorari ab *antiquis* geographis: *et* istud quidem, vt *opinor*, tuto dicere, mihi licet.

Vir quidam reuerendus, quum opportunitatem haberet disserendi de *Phalaride*, dixit, *Eum natum esse in insula*, Astypala, *vna de* Cycladibus. Quod in Dissertatione ipsa, ingenue sic correxeram: *Astypalaea, vna de* Sporadibus. Ad haec, *Boyleus patrocinium in* se *suscipit viri illius docti, quem me corrigere*, ait, *sine vlla ratione, aut specie veri.* Satius fuisset *Boyleo*, si exspectasset; quoad, suam opem implorasset vir ille doctus. Certo persuasum habeo, vbi ab illo stet veritas, non esse opus defensore *Boyleo*, et si forte fortuna errauerit (quod viris etiam doctissimis aliquando accidit), ea illum integritate et aequitate fore, vt talem defensorem repudiet. De nostro loco; equidem pro illo dicere audeo, illum puditurum, vti tam infirmis adiumentis, quam quae afferat *Boyleus*. Contendit enim *Boyleus*, (p. 40.) *Astypala* probum esse, quia in nostris *Scylacis* editionibus, quo libro nullus exstat magis corruptus, legatur

Ἀςυπάλη. Sed ipsa, ab huius vrbis nomine nata, adiectiva, Ἀςυπαλαιεὺς, et Ἀςυπαλαιάτης declarant, nomen esse Ἀςυπάλαια: sic Ἰςιαιεὺς est ab Ἰςίαια; Λιλαιεὺς a Λίλαια; Ποτιδαιεὺς, et Ποτιδαιάτης a Ποτίδαια. Sed nec Ἀςυπαλαιεὺς nec Ἀςυπαλαιάτης, vlla ratione formari potuit ab Ἀςυπάλη. Corrigendus ergo *Scylax* aliorum auctoritate scriptorum; nec error errore defendendus, et propagandus est. Esto; refutare aggreditur *Boyleus* id, quod dicebam, Astypalaeam Phalaridis *videri vnam esse ex* Sporadibus *potius*, *quam* Cycladibus. Ratio haec erat, quod *Stephanus*, praeter illam e *Cycladibus*, aliam commemorat, (v. Ἀςυπ.) *sitam inter* Rhodum *et* Cretam: quae vicinitas *Cretae*, quo fuga se contulisse *Phalaridis* vxorem et filium, fingit auctor Epistolarum, ep. LXIX. (CV.), probabile facit, illam ipsam esse insulam, commemoratam in Epistolis. Sed euertere hoc conatur *Boyleus*, duplici via: Primum, e vicinitate *Astypalaeae* et *Cretae* ductum argumentum nullum omnino est, sed potius contrarium. *Solent enim ii* (p. 39.), *qui fugiunt, e manibus persecutorum, in loca, quam possunt, remotissima se proripere.* Admirabilis vero ἀφορισμὸς, a diligentissima naturae humanae contemplatione profectus! Cogitassem adhuc, solere illos, quam possint, *citissime* e manibus se proripere. Sed posthac, si nauem onerariam persequatur pirata, non debebit ad *proximum* refugium cursum dirigere gubernator, sed, *Boylei* praeceptis conuenienter, declinare ad *remotissimum*. Petiit aliquoties a me *Boyleus*, vt studium meum in sacris scripturis collocarem; liceat igitur, locum proponere, quem mihi explicet, velim. Iussit Deus *Israelitas* (Num. XXXV. 14.), condere tria oppida, vt refugia essent, vltra *Iordanem*, et tria in regione *Canaanis*. Non igitur ii, qui, ob hominem occisum, fugiebant, contendebant ad proximum refugium? an solebant *Iordanem* traiicere, et iter suum dirigere ad eam ciuitatem, quae *longissime* abesset; vt persecutori tempus esset et locus ipsos assequendi? Quod si demonstrauerit *Boyleus*, posteriorem hanc interpretationem veram esse; tum persuadebit nobis, absurdum esse, quod fecerit *Phalaridis* vxor, quum nauigaret in *Cretam*, proximum refugium; ac debuisse, *se proripere in loca*, *quam posset, remotissima*, *Carthaginem* vsque, aut ad columnas *Herculeas*; nulla habita ratione tempestatis aduersae, aut nauigii, si forte esset putrefactum, nec instructum ad tam longam nauigationem. Dein autem, *Haec fuga eius*, inquit (p. 39.), *omnino est conficta, nec tale quid ponitur, aut vllo modo indicatur, in Epistolis.* Praecise dicta haec; sed solemus talia exspectare a *Boyleo*, quum satis infirma sunt illius argumenta. Aufugit

Phalaris Astypalaea, suis domi relictis: hoc planum est, ex Epistolis. Ac proximus, qui adfertur, de vxore, nuncius est, esse eam in *Creta*. Nisi iam *Astypalaea* in *Creta* est, vbi non esse, clare ostendi; illius fuga *Astypalaea* in *Cretam* et *ponitur*, et *indicatur*. At vero, si quis secundum *nonos* quosdam geographos ita *Lynceus* erit, vt conspicere possit *Astypalaeam* in *Creta*, quam veterum viderit nemo; tum ei licebit secundum *Boyleum* iudicare, nullam fugam poni. Concludit hanc partem scriptor Censurae scurrili, eodem tamen amarissimo, ioco, de verbis, *gratuitam defensionem (gratuitously to apologize)*: quod contumeliose dictum, ex priuilegio, est, nec refutari, salua modestia, potest eo modo, quo consentaneum est. Et, vt libere dicam, vix est, vt, a parte *Boylei* me laesum existimem: quia, ipsius esse, animum inducere nequeo: equidem istud tribuere malo adiutori cuidam, ex infima faece hominum, cuius natura hac contumelia describatur, quam homini nobili genere nato, qui titulum viri honorati (the Title of Honourable) assumat.

Antequam a primo scriptoris Censurae argumento discedam, videamus, quid vrgeat, acerrima hac contentione, de *Phalaridis* patria. Quid? vt nobis persuadeat, non debuisse *principem suum* scribere *Dorice*, ostendere vult, non fuisse patria *Siculum*. Fac, non fuisse, ac natum, vbi vult scriptor Censurae, *Astypalaeae*, in *Creta*. Iam aeque certum habemus, *Cretenses* locutus *Dorice*, atque ipsos *Siculos*. Non ergo *Boyleus* singulari vir prudentia est, quum in medium adferat argumentum, quo ne transuersum vnguem proficiat? Imo, si *Phalaris* in *insula Astypalaea* fuit natus; ostendi (in prima Dissertationis meae editione) probabile esse, linguam *Doricam* ibi fuisse patriam; nec verbum adhuc dictum contra. Quin imo luculentissimum eius rei testimonium e *Scymno Chio*, (in altera editione Diss.) depromsi. Vt, quidquid etiam fuerit positum, vana sit illius argumentatio futura.

Venimus tandem ad alteram partem; nam, etiamsi *positum* sit, *Phalarin* patria *Siculum* fuisse; tamen *rationem* reddet *probabilem*, cur *Dorica* dialecto non vteretur. Quod si oculis percurrerit lector, quae, in Dissertatione ipsa, hoc de capite, disseruerim; videbit, me ipsum in medium attulisse varia exempla auctorum, qui, *Siculi* cum essent, aut in aliis terris *Doricis* nati, alia dialecto scripserunt, vt *Diodorus*, *Empedocles*, *Philistus*, *Timaeus*, *Ephorus*, *Herodotus*, *Dionysius Hal. cet.* Sed ostendi plane, aliam *Phalaridis* esse, atque illorum, caussam; et eius, quod intersit, haec capita sunt: Scripta *Phalaridis* esse priuatas epistolas, ad ministros domesticos, de rebus

domus suae, nunquam publico destinatas lumini, et eo tempore scriptas, cum *Atticae* consuetudo dialecti nondum increbuisset. Haec igitur spectanda fuissent, si quod opponere voluisset *Boyleus*, habuissetque consilium veri inuestigandi, et non omnino calumniandi. Sed loco responsionis ad id, quod res est, praecipue in eo est, vt me obruat, cet. et plura nomina addat eorum, qui patriam dialectum declinarunt. Res factu facillima, sed a quaestione aliena: nec tamen indignum comparatione, cum videas, quam male partes suas egerit, vbi etiam bene egisse, labor fuisset inutilis.

Agathyrsides, inquit *Boyleus*, p. 41. *historicus* Samius, *si dialectum patriam fuerat secutus, scripsisset* Dorice. Sic legimus, in prima editione eius; sed illo tempore, qua esset excellenti doctrina, opinabatur, *Samios Dorice* locutos esse. Sed, in proxima, reposuit *Ionice;* cuius mentionem facio, vt laudi sit ei, atque exemplo pateat, posse eum corrigi. Sed dolendum est, non potuisse vlterius progredi: nam, si mihi licuisset, tam esse felici, vt pro adiutore ei fuissem, docere potuissem, nullum fuisse *Agathyrsidem*, historicum *Samium*. At citatur, inquiet *Boyleus*, is apud *Stobaeum*, VII. *Agathyrsides Samius*, *in* IV. *rerum Persicarum.* Sic sane erat, in exemplo, quo vsus est *Gesnerus:* sed vera scriptura est, *Agatharchides*, vt apparet e libro *Plutarchi*, qui, in Parall. p. 305. eandem rem, ad verbum, retulit ex *Agatharchide* (Ἀγαθαρχίδης Σάμιος, ἐν δευτέρᾳ τῶν Περσικῶν). Nec dici poterit, vitium esse in *Plutarchi* exemplis, et non in illis *Stobaei;* nam idem auctor bis citatus est, in *Plutarchi* libro de Fluuiis; sed nusquam commemoratus *Agathyrsides*, nisi in corrupto hoc loco *Stobaei*.

Alius ex auctoribus, a *Boyleo* citatis (p. 41.), qui a patria dialecto desciuerint, *Andronicus Rhodius* est, *in Paraphr. Eth.* Aristotelis: sed meminerit, ipsum MS. veterem non habere alicuius nomen auctoris: nam, qui primus eum edidit, *Dan. Heinsius* docet, *Andronici* esse inscriptum manu recenti, et admodum rudi. Addit *Boyleus*, (p. 41.) Epimenidem, *intelligi posse*, *non scripsisse* Cretensium *dialecto*, *ex paucis verbis*, *citatis* a D. Paulo,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Relatum enim esse, Cretenses *vsos fuisse* αἰὲς, *pro* ἀεί. Concedo, hoc *Epimenidis* poema non fuisse lingua conscriptum *Cretensium*. Sed exemplum eius, quod profert *Boyleus*, non videtur aptum. Potuerunt enim *Cretenses* vti vtroque, et αἰὲς, et ἀεί. Quomodo, in epistola huius *Epimenidis*, *Cretensium* dialecto scripta, apud *Laert.*, Epimen. legimus, Εἶχε τὰν ἀρχὰν AEI. Et, in inscriptione *Cretica*, inter Marmora *Oxon.*

p. 116. Οἱ ΤΟΚΑΕΙ κοσμόντες, i. e. οἱ τὸν' ἀεί. Quocirca *Boyleus*, si notum habuisset, potius citasset hoc fragmentum *Epimenidis* (*Aelian*. H. An. XII. 7. Τὰ Ἐπιμενίδυ ἔπη):

Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠϋκόμοιο.
Ἡ δεινὸν Φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα.
Ἐς Νεμεαῖαν ἄγεσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥραν.

Declarat enim hic locus, quod voluit *Boyleus*, Carmina *Epimenidis* non fuisse *Cretica*, sed *Ionica*, dialecto conscripta. Ἐς Νεμεαῖαν est ex correctione *Gesneri*; nam vulgo legitur Ἐννεμεαίαν: forte emendari poterit, ne litera mutata: Ἐν Νεμέᾳ ἀνάγεσ' — —

Porro docet *Boyleus* (p. 41.), Alcaeum, Sappho, *et* Simonidem, *natos esse iis in locis, vbi in vsu esset* Ionica *lingua, composuisse tamen carmina sua lyrica* Aeolice, *aut* Dorice. Verum est, *Simonidem* natum in insula, *Ceo*, *cuius incolae* Iones *erant*, *colonia* Atheniensium, vt auctor *Herodotus* est, VIII. c. 46. (Χῖοι, ἔθνος ἐὸν Ἰωνικὸν ἀπὸ Ἀθηναίων);. nam ipsi *Athenienses* antiquitus *Iones* erant. Recte itaque *Boyleus*, de vno e tribus. Sed de reliquis duobus, *Alcaeo* et *Sappho*, quam turpiter lapsus est? Equidem profiteor, pudere me, etiam refutare tantas ineptias; quamuis, eas scribere, imo isto se nomine efferre, non puduerit *Boyleum*. Quid est, quod eum docere debeam? *Alcaeum*, et *Sappho*, patriam habuisse *Lesbon?* Sed incredibile est, eum ignorare illud. An, *Lesbios* locutos *Aeolice* fuisse? Sic est sane, defecit ibi admirabilis eius eruditio, et is, *Ionice* locutos, credidit. Sed, de quo nouissime se iactabat, *Scylax* (si loco verbi corrupti, Ἀσυπάλης, probum aliquod ex eo didicerat) meliora docere eum potuisset; *Lesbos*, inquit *Scylax*, p. 34. *insula* AEOLIA: Νῆσος Αἰολὶς Λέσβος. *Incolae* Lesbi, inquit *Stephanus*, v. Αἰολ. *nominati* AEOLII. *Quinque ciuitates* Aeoliae, inquit *Herodotus*, I. c. 151. *in insula* Lesbo *sunt*. Imo quasi omnium ciuitatum *Aeoliarum* mater erat, vt expresse loquitur *Strabo*, p. 616. Σχεδὸν δέ τι καὶ μητρόπολις ἡ Λέσβος ὑπάρχει τῶν Αἰολίδων πόλεων. Sed exstat locus apud *Aelian*. Var. Hist. VIII. 5. et *Suid*. v. Ἰωνία, qui scriptoris Censurae opinionem confirmare videatur; nam in ciuitatibus *Ioniis* ab iis numerantur Πρήνη ΛΕΣΒΟΣ, Τέως. Tametsi male habet, quod, pro Λέβος, ibi legendum est ΛΕΒΕΔΟΣ, vt apparet ex *Herodoto*, *Strabone*, aliis. Corrigebam hoc, quando, id factum iam ab alio, ignorabam. Sed bene cecidit, quod ante, quam typis describendum id traderem, *Meursii* Fortunam Atticam inspexi, vbi eandem inueniebam emendationem. Nam si in eundem locum incidisset *Boyleus*; quum proxime prodiisset in

medium, notam furis literarii mihi inussisset. Nec tamen *Meursium* furem literarium habeo, etiamsi inueniam, longe ante eius tempora hanc ipsam emendationem factam, et iisdem comprobatam testimoniis, esse a *Brodaeo*, in not. ad Anthol. Epigr. l. IV. c. Εἰς Ναούς. Summa etiam iniuria est, si quis, quod alius, ipso inscio, in eandem venit cogitationem, tanquam fur literarius insimulatur: quamuis ex reliquis inuentis (quae certo noua, et ipsius, sunt) appareat, esse aptum ad illud etiam, non furantem aliena. Atque hoc vnum sufficiet, pro responsione ad eam calumniam *Boylei*, ad quam mox veniemus.

Transit scriptor Censurae, pro copiosa sua lectione, a scriptoribus ad *numos* (p. 44.) *Doriensium, nec tamen pure* Dorice *inscriptos*. Inter alios meminit *numi* Cretici, in quo Συστάρχης ἱερῶ ἀγῶνος. Hoc sumtum est ex *Harduini* excellenti opere, *de Numis Vrbium et Populorum:* sed animaduerto, alios, aeque ac memet, male haberi a *Boyleo*, cum aliquid *commodato* ab illis accipiat. Nec enim talis numus *Creticus* est, nec id omnino indicat *Harduinus*. Est quidem inscriptio, sed non *numus* (*Harduin.* Num. Illustr. p. 261.), vbi Ξυςάρχης ἱερῶ ἀγῶνος· et exstat in Corp. *Gruter.* p. 1094. pertinens ad *Lytton*, vrbem *Cretae*. Atque pari fide et diligentia facit, quod subiicit, *Boyleus, In quibusdam aliis inscriptionibus* esse, Ξυςάρχας. Est hic error priori contrarius: nam *Harduinus*, quem sequitur auctorem, hic, numum dicit, non *inscriptionem;* et Κρηταρχας, non Ξυςάρχας: quod posterius verbum cum terminatione *Dorica*, nec in inscriptione, nec in numo, inueniet *Boyleus*. Nolo equidem definire, vtrius, *Boylei*, an adiutoris sui, fidei haec citatio debeatur: planum enim est, aut alterutrum, aut vtrumque, egregie esse versatum in describendis auctoribus. Sed praeterea commemoratur a *Boyleo* ΥΕΛΗ, *inscriptum in numo* Veliae, *in* Magna Graecia: quam *Veliam*, pro summa sua eruditione, opinatur, coloniam fuisse *Doriensium;* sed ex *Herodoto* et *Strabone* discet, fuisse *Ionum;* collocatam a *Phocaeensibus*, ab *Harpago Asia* pulsis.

Sed luculentissimum omnium exemplum, inquit *Boyleus,* p. 44. *est illud* Zaleuci, *regis* Locrensium, *coloniae* Doricae, *prooemium in leges cuius conseruatum est a* Stobaeo *et* Diodoro, *nec quidquam habet sermonis* Dorici. Et, paulo post, p. 53. *Addam* Zaleucum *quoque*, *quem* Pythagoreum *fuisse, idonea auctoritate, certum habemus.* Atque *certum habeo* ego quoque, esse hoc *exemplum* licet non *omnium*, luculentissimum peritiae *Boylei*, in omni doctrinarum genere. Nam rempublicam *Locrensium* in regnum mutauit; et ex misello pastore et seruo, qua-

lis fuiſſe perhibetur *Zaleucus*, REGEM fecit. Sunt ſane haec facinora non leuia; eaque indicant, *Boyleum*, *Phalaridis* auſpicio, praeclare rem geſſiſſe. Sed, cur, obſecro *Zaleucus*, eſſe rex debet? Quia *Boyleus* audiuit, eſſe legislatorem. Ac, ſi forte fortuna occaſio fuerit oblata; *Draconem* et *Solonem* reges faciet *Athenienſium*, eadem argumentatione: licet *Ariſtoteles* tradat, Polit. IV. 11. *optimos*, et *pleroque*, legislatorum, fuiſſe *medii ordinis ciues* (τῶν μέσων πολιτῶν). Sed, vt mittam hoc flagitium, longe maius eſt, de quo mihi cum illo diſceptandum eſt; nam perſuaſum habeo (non obſtante *Boylei idonea auctoritate*), *Zaleucum* non fuiſſe *Pythagoreum*; eique adſcriptas leges, et a *Diodoro* aliiſque citatas, aeque eſſe commenticias forte, ac *Phalaridis* Epiſtolas.

Inſcribebatur liber iſte, vt a *Stobaeo* et aliis citatur, ZALEVCI *Legum*: ſed eſt, cur ſuſpicemur, *Zaleucum* iſtum, legislatorem, nullum fuiſſe; et, ſi hoc verum, fraus aperta eſt. *Timaeus Siculus*, virulentus, ſed idem ſubtiliſſimus diligentiſſimusque auctor, firmiter contendit, contra communem hominum opinionem, quae tum erat, *Zaleucum* iſtum fuiſſe nullum. *Cicero*, in epiſtolis ad *Atticum*, l. VI. ep 1. *Quis*, inquit, Zaleucum *leges* Locris *ſcripſiſſe non dixit? num igitur iacet* Theophraſtus, *ſi id a* Timaeo, *tuo familiari*, *reprehenſum eſt?* Et, libr. II. de Legg. 6. *Priusquam*, inquit, *ipſam legem recitem*, *de eius legis laude dicam*; *quod idem et* Zaleucum, *et* Charondam, *feciſſe*, *video*. Cui *Quintus* frater, Zaleucum *iſtum*, *negare*, *vllum fuiſſe*, Timaeum. *At* Theophraſtus, contra *Cicero*, *auctor haud deterior*, *mea quidem ſententia*; *meliorem multi nominant: commemorant vero ipſius ciues*, *noſtri clientes* Locri. *Sed ſiue fuit*, *ſiue non fuit*, *nihil ad rem*. Hic orator, *Locrorum*, ſuorum clientum, cauſa, vt videtur, publicam opinionem ſecutus eſt. Sed in literis, ad *Atticum*, vt fabulam commemorat, iungitque publico errato, de *Eupoli*, deiecto in mare, Olymp. XCI. 2. *quod*, inquit, *redarguit* Eratoſthenes, *quum adferat*, *quas ille poſt id tempus fabulas docuerit*. De *Locris Ciceronis*, quos, quod eſſet traditum vulgo, ſecutos eſſe, dicit; iis opponere poſſumus quosdam *Locros*, tempore *Timaei*, qui ducentis amplius ante *Ciceronem* annis floruit. Nam *Timaeus*, in ipſo eo loco (vid. Excerpt. ex *Polyb.* p. 45. cet.) Hiſtoriae ſuae, vbi id, quod de *Locris* tradunt *Ariſtoteles* et *Theophraſtus*, reprehendit, familiarem ſe habuiſſe, dicit, *Echecratem*, vnum de primis *Locrorum*, ab eoque edoctum res ciuitatis iſtius. Si itaque iſta aetate, *Zaleucum* aliquem fuiſſe, haud credidit *Echecrates*; non minorem ſane fidem meretur, quam *Ciceronis Locri*, qui tot aetatibus poſterius fuerunt, poſt tot con-

versiones status sui, et communium temporum inclinationes. Inuehitur quidem in *Timaeum Polybius*, quod inique *Aristotelem* tractauerit et *Theophrastum*, eumque accusat, quod, de *Locris*, falsa tradiderit; sed nihil nunc exstat, quod indicio sit, *Polybium* defendisse *Theophrastum*, contra illum, in his de *Zaleuco*. Est quidem in Excerpt. *Polyb.* XII. p. 660. locus, vbi alicuius legis *Zaleuci* fiat mentio: sed verbum, φησὶ ibi indicat, eum non, vt suum, illud narrare, sed alterius verba referre. Sed, vt vt est, *siue fuit, siue non fuit*, id disputare nolo: tamen ex eo, putem, confici saltem illud posse; Aut librum hunc LEGVM ZALEVCI, tempore *Timaei* nondum factum, aut, vt commenticium, ab eo reiectum, fuisse; imo, non ab eo tantum, sed etiam *Echecrate, Locro*, iudice adeo idoneo valde, in rebus istius regionis.

Sed existimo potius, post tempus *Timaei* librum esse factum; nam, eos, video, qui *Zaleuci* meminerunt, ante, et isto tempore, facere misellum pastorem, qui tempore *Pythagoram* multum antecesserit: sed, post istud tempus, omnes hominem faciunt nobili genere natum (*Diod. Sic.* p. 84. Εὐγενής), discipulum istius philosophi. Iam autem probabile est, hanc nouam narrationem de eo, haustam esse ex quibusdam locis, quae in isto *copore Legum*, ei adscripto, reperirentur: vbi enim ceteroquin fuisset inuenta? Vt, si testimoniis antiquissimorum optimorumque scriptorum demonstratum a me fuerit, vixisse eum ante tempora *Pythagorae;* haec noua, eaque falsa, narratio auctorum posteriorum, ex isto corpore hausta, certissimo nobis futura sit argumento, esse istud commenticium.

De eo *Aristoteles* narrat, (*Pindar.* schol. ad X. Olymp. Φησὶν Ἀριστοτέλης, κ. τ. λ.) Locris *consulentibus*, *quemadmodum seditionibus liberarentur*, *respondisse Oraculum*, *Leges sibi facerent. Tum pastorem quendam, cui nomen* Zaleucum, *dixisse, posse se bonas iis leges suppeditare. Interrogatum autem, vnde illas acciperet*, Mineruam, *respondisse, a se visam esse per somnium, eamque velle sibi tradere. Igitur, accepta libertate, (fuisse enim tum seruum) leges iis tulisse.* Ac similiter *Suidas*, v. Ζαλ. *Primum eum seruum*, dicit, *et pastorem fuisse*: Ἦν δὲ πρότερον δοῦλός τε καὶ ποιμήν. Vtrauis quarum rationum sufficit ad demonstrandum, non fuisse eum *Pythagoricum*: nam si alterius seruus erat, et, oues pascere apud *Locros*, debebat, qui, siue tempus habere, siue veniam, poterat, vt *Crotonae* esset cum *Pythagora*, inde centum circiter milliarium itinere? et praesertim, vt quinquennium, quo, ex disciplina scholae, silentium terminabatur, continuaret? Praeterquam, quod seruo

nunquam aditus patuisset in istud collegium, quamuis maximas habuisset opportunitates.

Atque aliud nobis argumentum, *Zaleucum* non fuisse *Pythagorae* discipulum, suppeditat idem locus *Aristotelis*. *Nam leges suas omnes, per somnium acceptas, retulit* Mineruae. Tradidit hoc *Aristoteles*, vt citatur a schol. *Pindar*. Ac scholiastae auctoritatem confirmat *Clemens Alex.* quum, Strom. I. p. 152. et *Aristotelem*, et eius discipulum, *Chamaeleontem*, dicit, tradere, Zaleucum, *leges suas, prae se tulisse, a* Minerua *sibi traditas esse*. Consentit quoque *Plutarchus*, vbi, Zaleucum *dixisse*, refert, Mineruam *sibi solitam fuisse apparere, ac dedisse leges, quas omnino eius esse, nec vllas suas*. vid. *Plutarch.* Περὶ τοῦ ἑαυτὸν, etc. et, in Num. *Valer. Max.* I. 2. *Theodoret.* ad Graec. Serm. IX. Iam autem, in hoc *Zaleuci* consilio nihil, puto, inesse, quod sit *Pythagorici*. Nam *Pythagorae* discipuli vnumquodque acceptum magistro referebant. Passim iis in ore erat, Αὐτὸς ἔφα, ILLE DIXIT: Erat omnium grauissimum iusiurandum per illum,

Οὐ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

Quodcirca *Zaleucus*, si istius fuisset societatis, magistro haud dubie eum habuisset honorem, vt, eius disciplinae se leges suas debere, significasset: sed, cum illiteratus esset pastor, nec auctoritate apud populum valeret, eam sibi conciliauit summam, cum nihil sibi, sed omnia adscriberet *Mineruae*.

Porro, communem opinionem fuisse, refert *Strabo*, p. 259. *Primos, qui* SCRIPTIS *vterentur legibus* (Νόμοις ἐγγράπτοις), Locros *fuisse: ac* Zaleucum *eas sumsisse*, Ephorum *historicum tradere*, *a* Creticis, Laconicis, *et* Areopagiticis *consuetudinibus* (Νομίμων, i. e. ἀγράφων). Atque similiter *Scymnus Chius*, hos *Locros*, tradit, *primos fuisse*, *qui leges* SCRIPTAS *haberent, quas a* Zaleuco *latas esse*, *opinio esset*, v. 313.

Τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις
Γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ὑποθέσθαι δοκεῖ.

Videtur autem, fuisset oblitus fuisse, *Clemens Alex.* quum scriberet, Strom. I. p. 133. Zaleucum *primum fuisse, qui leges faceret*; debuit enim, *qui leges* SCRIPTAS *faceret*, vt, ante eum, *Ephorus* et *Strabo*. Sed, si scriptae *Zaleuci* leges omnium antiquissimae fuerunt, non potuit is esse *Pythagoricus*. Nam (*Ioseph.* c. Appion. I. p. 2. Γραφέντας νόμους) *scriptae Draconis* leges fuerunt *Athenis*; vixitque ille circa Olymp. XXXIX. vt auctores sunt *Tatian. Clemens*, et *Eusebius*; vel, vt, in aliquo librorum deperditorum, *Diodorus*, Solonem *antecessit annis* XLVII. (*Vlpian.* in *Demosth.* Timocr. p. 480. Ὁ δὲ Δράκων πρὸ Σόλωνος ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα ἔτεσιν, ὥς φησιν

ὁ Διόδωρος) quod, ab Olymp. XLVI. 3. *Solone* magiſtratu, ratione inita, incidit in Olymp. XXXV. 1. Si igitur ante *Draconem* fuit *Zaleucus*, plus, oportet, ante *Pythagoram* fuerit, qui, ex altiſſima etiam ratione, natus non eſt ante Olymp. XLIII. 4.

Haec omnia confirmantur ab *Euſebio*, qui *Zaleucum*, *celebrem* Locrorum *legiſlatorem*, collocat ad Olymp. XXIX. i. e. ante *Draconem* annis XL. et circiter LX. ante *Pythagoram* natum. Reprehendit ſane eos *Ariſtoteles*, Polit. II. 58. *qui* Onomacritum *primum fecerunt legum ferendarum peritum; eiusque familiarem* Thaletem; *cuius diſcipuli eſſent* Lycurgus *et* ZALEVCVS, *et, ille* Zaleuci, Charondas: *nam contraria dicunt*, inquit, *temporum rationibus* (Ἀσκεπτότερον τῷ χρόνῳ λέγοντες.). Qui hic dicitur, *Thales*, non fuit ille *Mileſius;* ſed antiquus *Cretenſis*, qui paſſim *Lycurgo* datur magiſter. v. *Strab.* p. 482. *Sext. Empir.* p. 68. *Laert.* in Thalet. Vt *Ariſtoteles*, habuiſſe pro errato, videatur, quod etiam *Zaleucum* faciant iſtius diſcipulum *Thaletis*. Nam ea ratione, vixerit, oportet, annis CVIII. (v. *Clemens, Plutarch. cet.*) ante primam Olymp. i. e. CC. ante conditum *Locrorum* oppidum, (*Euſeb. Strab.*) Olymp. XXIV. Qui ergo vnus eſſe *Locrorum* potuit, eorumque legiſlator? Atque ea *ignorantia temporum* eſt, quam hic coarguit philoſophus: ſed, vtcunque ſe habet ea res, non paruo argumento eſt, *Zaleucum* tempore anteceſſiſſe *Pythagoram*, qui, CCC. amplius a *Lycurgo* annis, viguit.

Attamen clarius indicium eius praebet *Demoſthenes*, orator, qui, quo perſuaderet *Athenienſibus*, vt nullas temere leges, levibus de cauſis, mutarent, exemplo vtitur horum *Locrorum; Apud quos lege ſtatutum eſt*, inquit, in Timocr. p. 469. *vt, ſi quis legem nouam ſuadere velit, id faciat, collo in laqueum inſerto; quo ſtranguletur, niſi perſuadeat: quod tanto praeſidio fuit legibus, vt modo vnica noua fuerit lata* DVCENTIS AMPLIVS ANNIS (Ἐν πλείοσιν ἢ διακοσίοις ἔτεσιν.). Iam autem, de *Zaleuci* legibus loqui *Demoſthenem*, ſatis apparet ex mentione *Locrorum;* ſed praeterea id declarat lex ipſa. Nam, *legem hanc, de loqueo*, ZALEVCI *fuiſſe*, aperte dicunt *Hierocles*, apud *Stobaeum*, Serm. 37. et auctor *Polybii*, XII. p. 661. eaque adfertur a *Stobaeo*, Serm. 42. tanquam ex ipſius *Zaleuci* prooemio, in corpus ſuum Legum, ſumta. Non quidem planum admodum eſt, quid cogitauerit hic orator, fuiſſene *ducentos amplius annos*, a latis primum *Zaleuci* legibus ad vnicam iſtam nouam introductam; an, a latis primum eius legibus ab ipſa ſua tempora, quod ſpatium *ducentum amplius annorum* dixerit, fuiſſe modo vnicam legem nouam factam. Et illa quidem ratio veri ſimilior; ſed haec ipſa quoque argumento eſt, *Zaleucum* eſſe

discipulum *Pythagorae* non potuisse. Habita enim ista in *Timocratem* oratio est Olymp. CVI. 4. *Theodemo*, vel *Eudemo*, magistratu, vt aperte dicit *Dionysius Halicarn* de Demosth. et implicite *Plutarchus*, quando, eam a *Demosthene* habitam esse, narrat, Vit. Demosth. quum annos haberet XXVII. aut XXVIII. Nam natus est Olymp. XCIX. 4. (*Dionys.* ibid.) et annus aetatis eius XXVIII. incidit in Olymp. CVI. 4. Iam, si *ducenti* duntaxat *anni* retro ab hac Olympiade numerantur, attingitur Olymp. LVI. 4. quando *Pythagoras*, ex ipsa antiquissima ratione, annos tantum fuerat XIII. in *Italia*, ac septem eorum transegerat in sua, sub terra, domo: et, quod AMPLIVS CC. annis dicit *Demosthenes*, ascendet, vt opinor, supra reliquos quinque; imo, modice dixerim, supra omnes XIII. Sed illud saltem, mihi persuadeo, ex eo confici posse, si re vera *Pythagorae* discipulus fuerit *Zaleucus*, male initam rationem a *Dodwello*, qui *Pythagorae* primum in *Italiam* aduentum collocat ad Olymp. LXVII. 2. nam ista Olympias incidit XLII. annis intra *Demosthenis* ducentos, non additis in summam iis annis, quos vult orator, quum dicit AMPLIVS. Calculos subduco, ab aduentu *Pythagorae* in *Italiam*, quia *Zaleucus*, vnus ex *Locris*, in *Italia*, non poterat esse eius discipulus, quoad venisset illuc. Nam errat *Theodoretus*, quum (c. Graec. Serm. IX.) opinatur, *Locros*, quibus leges dederit *Zaleucus*, fuisse illos *Graeciae*, vicinos *Acarnaniae* et *Phocidi*.

Cuncta haec argumenta in summam collige, et, quod habent vniuersa ponderis, eo, vt opinor, erroris coarguetur *Boyleus*, *qui* (p. 53.) *certum habet*, Zaleucum *fuisse* Pythagoricum. Sed praeterea multum proficient ad ipsum quoque librum, qui vulgo *Zaleuci* fuit habitus, falsi coarguendum. Nam, si vllum indicium in isto libro est, auctorem fuisse *Pythagoricum*; fraus apparet. Nec tamen alia ratio reddi commode potest, cur, *Pythogoricum* eum dicere, animum induxerint scriptores posteriores, vt plane *Diodor. Sic.* p. 84. Μαθητὴς Πυθαγόρου τοῦ Φιλοσόφου; *Discipulus* Pythagorae *philosophi*; sic *Laertius*, *Porphyrius*, *Iamblichus*; atque ita, de eo, declamitans, *Seneca*, ep. XC. *Hi* (Zaleucus et *Charondas*) *non in foro, nec in consultorum atrio, sed in* Pythagorae *tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura.* Videmus, posteriores scriptores omnes *Pythagoricum* eum fecisse; et tamen quique veterum, qui eius meminerunt, tempore priorem eum faciunt, isto philosopho; vt *Ephorus*, *Demosthenes*, *Aristoteles*, *Chamaeleo*, *Theophrastus*, *Timaeus*, quorum postremus CCL. circiter annorum spatio antecessit primum reliquorum. Vnde ista tam mira dissensio? nisi eo interuallo, quod, hos veteres et illos

recentiorum temporum ſcriptores, intereſt, temporibus *Ptolemaeorum*, quando libri quaeſtus cauſa coepti ſunt fingi, fuit, qui corpus legum confingeret, idque inſcriberet *Zaleuci*, addito luculento aliquo indicio, fuiſſe eum *Pythagoricum*.

Curauit planus, vt, quas inueniſſet, in libris veterum, *Zaleuci* leges corpori ſuo commenticio interponeret. Vt ea, quae, referente *Demoſthene*, *eum, qui nouam legem proponeret, collum, iubebat, in laqueum inſerere*, in ipſo prooemio libri fictitii, quod exhibuit *Stobaeus*, Serm. 42. Ac diu quidem eius commentum receptum fuit, quod tum priſtinus *Locrorum* ſtatus eſſet mutatus, nec amplius inueniretur, quo poſſet fraus detegi, quo factum adeo eſt, vt imponeretur *Diodoro*, aliis: atque ipſe *Cicero* in dubio fuerit, nec ſecundum alterutram partem pronunciauerit. Apparet enim, *Ciceronem* ad ipſum illud prooemium, in quod poſtea incidit *Stobaeus*, reſpexiſſe, *Priusquam ipſam legem recitem*, inquit, de Legg. II. 6. *de eius legis laude dicam*, *quod idem*, *et* Zaleucum, *et* Charondam, *feciſſe, video*. At *prooemio*, quod vocat, ſimili fere vtitur ei, quo *Zaleucus* et *Charondas*, apud *Stobaeum*. Nihilominus tanta arte ſingula a plano facta non ſunt, vt non ex ipſis fragmentis, quae ſuperſunt, libri eius, quaeſtio poſſit oriri, num non fuerit commenticius.

I. Tradidit *Demoſthenes*, *Nouam legem, quae vna eſſet facta* Locris, *ſpatio* CC *amplius annorum*, iuſſiſſe, *eum, qui aliquem altero oculo priuaſſet, vtroque priuatum iri;* nam antiqua lex *Zaleuci* illa *talionis* erat, *oculus pro oculo*. *Diodorus* autem hanc vnam facit ex legibus *Charondae*, atque ſimilia narrat de *aliquo*, apud *Thurios*, *cui vnus eſſet oculus;* nec Leges ibi, quae diutiſſime viguiſſent eaedem, mutatas vnquam fuiſſe, niſi hac, et duabus aliis, occaſionibus. Eſt vterque auctor valde probandus, et perdifficilis quaeſtio, vtrum ſequi debeamus. Sed, ſalvo aliorum iudicio, rationes quasdam proponam, cur, vera locutum *Demoſthenem*, exiſtimem. Dicit ciuitatem, vbi haec lex tamdiu viguerit, Πόλιν ΕΥΝΟΜΟΥΜΕΝΗΝ, ciuitatem *bonis legibus inſtitutam:* v. c. Timocr. p. 468. atqui eo nomine paſſim celebrantur *Locri:* Locri, inquit *Strabo*, p. 259. fuerunt πλεῖστον χρόνον ΕΥΝΟΜΗΘΕΝΤΕΣ, *diutiſſime bonis vſi legibus*. Ac *Pindarus*, Olymp. X. de eorum laude ſic canit:

Νέμει γὰρ ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν Ζεφυρίων —

Vbi ſchol. Ὅτι ΕΥΝΟΜΕΙΤΑΙ; *quia bonae leges ſunt ciuitati*. Locros, dicit *Plato*, Legg. I. p. 17. fuiſſe εὐνομωτάτους, videri, *omnium optimis gaudentes legibus*. Idem, in Timaeo, *Timaeum*, ait, *eſſe* Locrum, εὐνομωτάτης πόλεως, *ciuitatis optime conſtitutae legibus, in Italia:* ad quod *Proclus*, p. 22. *Planum*

esse, Locros εὐνομεῖσθαι, *bonis regi legibus; leges enim accepisse a* Zaleuco. Contra *Thurii*, vbi hoc accidisse, tradit *Diodorus*, tantum abest, vt isto nomine celebrarentur, vt notati sint mali caussa regiminis. Sic *Ephorus*, apud *Strabonem*, p. 260. et *Aristoteles*, in Politic. bis eos inducit, velut exempla ciuitatis male gubernatae. Quod igitur tradit *Demosthenes*, melius huic parti historiae conuenit, quam, quod *Diodorus*. Praeterea, hic dicit *Demosthenes*, *Locrorum* statum felicem fuisse CC. *amplius annos;* vt *Strabo* quoque, ibid. πλεῖστον χρόνον, *diutissime:* quod verum est, vt apparet, rationibus subductis, a tempore legum *Zaleuci* latarum ad id, quo *Dionysius* filius, crudelissimo modo ibi omnia vastauit, Olymp. CVI. 1. Iam legum *Charondae*, apud *Thurios*, stabilitatem praedicare quoque voluit *Diodorus*, quum dicit, p. 82. ἐν παντὶ τῷ μετὰ ταῦτα χρόνῳ; OMNI *a* Charonda *tempore, ter tantum aliquid mutatum in iis.* Sed haec, de longa stabilitate, narratio nullum in historia praesidium habet; nam certum est, ipsius aliorumque testimoniis (*Diodor.* p. 75. *Plutarch.* Vit. Lys. *cet.*), vrbem *Thuriorum* conditam demum fuisse Olymp. LXXXIV. 1. aut paullo ante: ac ciuitatem funditus euersam spatio LIV. annorum, Olymp. XCVII. 3. tribus quartis partibus ciuium caesis, ac reliquis in seruitutem venditis a vicinis *Lucanis.* v. *Diod.* p. 313. *Strab.* p. 263. Ad summam igitur, vero propiora esse videntur, quae tradidit *Demosthenes.* Sed qui factum, vt eo errauerit *Diodorus*, et legem adscripserit *Charondae*, quam *Zaleuci* fuisse, videmus? Nonne locus suspicioni est, *Diodoro* impositum fuisse commenticio isto Legum *Zaleuci* libro, vbi praetermissa a plano haec lex esset? si est, viam aperiet ad aliud falsum deprehendendum: nam legem, videmus, omissam esse, vbi interponi debuisset; et inter illas *Charondae* collocatam, vbi non debuisset. Consequens ergo est, vt istud exemplum Legum *Charondae* falsum quoque sit, et imitatione simulatum, idque ab eadem quoque manu. Videtur enim planus quaedam, de lege, legisse, sed errasse, quum alieno eam auctori adscripserit. Sed, de *Charondae* legibus, mox differam. Haec sane non potest non videri omnium maxime probabilis ratio erroris, quo lapsus sit *Diodorus;* si credimus, vere eum exposuisse ea, quae inuenerat in istis Legum libris, nec suimet fuisse oblitum. Sed est, cur suspicer, eum plus iusto memoriae tribuisse suae, atque ita potuisse, per errorem, alterum legislatorem pro altero sumere. Narrat enim etiam, p. 82. legem, de *laqueo*, fuisse *Charondae;* quam *Stobaeus*, Serm. 42. *Zaleuco* adscribit, et ipsis *Zaleuci* verbis, ex eius prooemio, se citare, prae se fert. Praeterea, *Zaleuco* eam assignant *Hierocles*, apud *Stobaeum* Serm. 37.

et auctor, apud *Polybium*, p. 661. Sed possunt illi, ab alio traditum, id accepisse. Vt tota haec lis sit *Diodorum* inter et *Stobaeum*. Si fideliter citauit *Diodorus*, liber Legum *Zaleuci* fictus est: si *Stobaeus* fideliter descripsit, tum argumentum hoc languescit contra librum *Zaleuci*; et in ipsum *Diodorum* recidit.

II. Supersunt duo verba, e Legibus istis *Zaleuci*, in *Hesychio*; ΛΕΠΤΑΣ ΚΑΙ ΠΑΧΕΙΑΣ, inquit, λεῦκος ἐν Νόμοις, τὰς δραχμάς· λεπτὰς μὲν τὰς ἐξωβόλυς, παχείας δὲ τὰς πλέον ἐχέσας: i. e. *Verba* λεπτὰς καὶ παχείας, tenues *et* crassas, *in Legibus Zaleuci*, *de* drachmis, *posita sunt: cum tenuis* drachma *sex obolos contineat*, *crassa autem plus sex*. Editum est, in *Hesychio*, Λεῦκος, sed *Salmasius*, *Gronouius*, aliique viri docti, obseruarunt, per se patere, veram scripturam esse Ζάλευκος; cum enim antecedens verbum caderet in ΑΣ, consequens ΖΑ fuit exclusum, vt frequenter accidit, quando syllabae similes sunt. Iam dico, si λεπτὰς καὶ παχείας, *tenues et crassas drachmas*, in Legibus *Zaleuci* fuerit, vt ait *Hesychius*; non posse non falsum esse et vanum istum librum Legum. Docet enim *Iulius Pollux*, quinam fuerint, qui vocarent *drachmas* παχείας, *crassas*, et qua occasione. Τὴν Αἰγιναίαν δραχμὴν, inquit, IX. 6. μείζω τῆς Ἀττικῆς ἔσαν (δέκα γὰρ ὀβολὰς Ἀττικὰς ἴσχυεν) οἱ Ἀθηναῖοι ΠΑΧΕΙΑΝ δραχμὴν ἐκάλυν, μίσει τῶν Αἰγινητῶν Αἰγιναίαν ὀνομάσαι μὴ θέλοντες· i. e. Aegineticam drachmam, Attica *crassiorem (nam cum* X. obolis Atticis *aequabatur)* Athenienses *vocabant* ΠΑΧΕΙΑΝ, crassam drachmam: *nam vocare* Aegineticam *nolebant*, *odio in* Aeginetas. Res haec est: *Attica drachma* valebat sex *obolos Atticos*; et sic *Aeginetica drachma* valebat sex *Aegineticos obolos*: sed *Aegineticus obolus* crassior *Attico*, quanto decem plus sex est; atque, eadem adeo ratione, *Aeginetica drachma*, quaeque ex drachmis constabant summae, minae et talenta, pondere superabant *Atticam drachmam*, *minam*, *talentum*. Iam autem, quum *Aegineticae drachmae* frequens vsus esset *Athenis* (nam inde prope aberat *Aegina*), et in aliis emporiis, qui acerbissimo in *Aeginetas* odio erant, *Athenienses*, vocare, vt reliqui populi, *Aegineticam*, nolebant, sed *crassam*; quia crassior esset sua, et duplo fere grauior. Causam huius *Atheniensium* in *Aeginetas* odii prolixe exposuit *Herodotus*, l. V. et VI. Quod si igitur nomen ΠΑΧΕΙΑ, pro *Aeginetica drachma*, peculiare *Atheniensibus* fuit, nec alia eius causa, quam odium inter vtrumque populum, quid est, quod ista virtute positum in *Zaleuci* Legibus inueniatur? Quid mali *Aeginetae* fecerant ei, qui *Locris*, in *Italia*, degebant, longe satis ab ipsis, ipsorumque bellis? Cur is *Aegineticam* non vocabat, vt

omnes, exceptis *Atheniensibus*, faciebant? Imo, inter ipsos *Athenienses*, opifices, tabernarii, et faex ciuitatis, tantum fuisse videntur, qui Παχείας vocarent, non vero ii, quorum honestior locus erat: vt plane apparet ex *Thucydide*; vbi est ΑΙΓΙΝΑΙΟΣ ὀβολὸς, ΑΙΓΙΝΑΙΑ δραχμὴ, ΑΙΓΙΝΑΙΟΝ τάλαντον; sed nusquam ΠΑΧΥΣ ὀβολὸς, ΠΑΧΕΙΑ δραχμή. Num autem *Zaleucus*, in legibus suis, verbo vteretur, quod grauis auctor, in historia, nollet? Sed quid omnino opus erat, *Aegineticam* pecuniam commemorari a *Zaleuco*? Quid *Locrorum* reipublicae cum *Aeginetis*? Longo inter se spatio disiuncti erant, et hi quidem pauperes, et parui nominis, istius tempore legislatoris, nec potuerunt adeo, nisi tenues, aut nullas, mercaturas facere cum eius ciuibus. Tradit *Thucydides*, p. 11. ante *Themistoclis* tempus, nec *Aeginetas*, nec *Athenienses*, mari valuisse; atque diuitiarum et potentiae materiam quasi *Aeginetis* fuisse, dicit *Herodotus*, IX. 79. praedam, eo apportatam, et venditam, postquam exercitus *Xerxis* profligatus esset ad *Plataeas*. Causa igitur nulla erat ei, nulla occasio, pecuniae *Aegineticae* commemorandae, in suo Legum corpore; multo minus, ascito cognomine, Παχείας; quod *Locri* intelligere non poterant, quoad ab aliquo *Graecorum*, quid sonaret, explicaretur. Imo, est, cur suspicer, veras *Zaleuci* leges ante fuisse factas, quam odium *Atheniensium* in *Aeginetas* exstiterit, atque adeo, quam Παχεῖα δραχμὴ ista virtute vsurpari coeptum fuerit. Causam istius odii exposuit *Herodotus*, erantque binae statuae: et occasio, qua id commemorauit, haec est: Circa Olymp. LXIX. *Thebani* auxilium petebant ab *Aeginetis*, in bello contra *Athenienses*; *Aeginetae* autem, inquit, v. 89. *memores dissensionis de statuis*, societatem inierunt contra *Athenienses*. Iam, ab Olymp. LXIX. ad tempus *Zaleuci*, Olymp. XXIX. retro numerantur anni non minus CLX. et si contentio de statuis tam veteris, quam illud, memoriae erat, iam nimis erat refrigerata ea, quam quae causa esset belli renouandi. Sane, si CLX. annos inimicitias continuassent, referbuissent omni isto tempore quaedam inter eos dimicationes, et pugnae; quae causam recentiorem querendi praebere, et vehementius possent ad bellum incitare, quam vetus iurgium inde retro sex aetatibus. Quare veri simile est, *Zaleucum* ante leges fecisse suas, quam pugna oriretur, quae occasionem praebuit παχείαν δραχμὴν dicendi. Adde, quod inter *Graecos Dorienses*, in *Sicilia*, et *Italia*, atque adeo *Locros*, nulla fuit ista pecunia δραχμὴ, aut ὀβολὸς; sed eorum pecunia prorsus diuersa erat, tam pondere, quam nomine, Οὐγκία, νοῦμμος, λίτρα, vt copiosius demonstrabo, cap. XIV. Quod si

conſtiterit, quis dubitabit, quin commenticiae ſint haec leges? Nam ſi nomen et genus, δρχχμή peregrinum fuit, et a *Locris* alienum, quis locus ibi Λεπταῖς καὶ παχείαις? Poterit eodem aliquis iure eas quaerere, in XII. *Tabulis* Legum, apud *Romanos*, quam in Legibus *Locrorum*. Quare veri ſimillimum eſt, ſophiſtam quendam eas conflaſſe; et; quum eſſet inſtitutus *Athenis*, ea ſtultitia fuiſſe, vt verba ea, quae *Athenis* audiret, affingeret *Zaleuco;* eodem plane modo, vt, qui *Phalaridis* Epiſtolas finxit, *Attice* loquentem tyrannum fecit, quaſi plane oblitum, eſſe ſe *Siculum*.

III. Vnam ex *Zaleuci* legibus fuiſſe, refert *Diodorus*, p. 85. *Ne quis veſtimenta* Mileſiis *ſimilia geſtaret, niſi eſſet* catamitus. Alienum autem videtur, in lege *Locrorum*, pannum definiri, comparatione eius generis, cuius textrina eſſet *Mileti*, in *Aſia* tam longe ab *Italia*. Nam, ratione habita interualli locorum, et tenuis mercaturae primis iſtis temporibus, non iniuria quaeri poteſt, an panni *Mileſii* nomen, licet in *Graecia* celebraretur propter tenuitatem, omnino auditum fuerit *Locris;* nedum inualuerit ita, vt poſſet locum obtinere in legibus eorum. Praeterea, nomen, *ἰσομιλήσιον*, id eſt, SIMILE *panno* Mileſio, nusquam, quantum ſcio, inuentum, niſi hic, a lege valde abhorret. Quot enim lites oriri poſſent, de iſta *aequalitate?* quam amplus aperiretur delatoribus campus? Si omnino vetuiſſet, vti panno *Mileſio*, lex plana fuiſſet, abiiſſetque in vetitum, ne id genus importaretur. Sed quum ſit *ἰσομιλήσιον*, et non Μιλήσιον; conſilio videtur conflatum, vt haberent, de quo altercarentur, rabulae. Imo, ſi interdixiſſet civibus vſu panni *Mileſii*, id ipſum etiam valde alienum fuiſſet; cur enim lege caueret, ne ea importarentur, quae ante iſtud vetitum nunquam fuiſſent importata? Nam aeque tenuem, aut tenuiorem etiam pannum, eumque longe meliori pretio, mercari *Locri* potuerunt, a vicinis populis, *Apulis* et *Calabris*, et ſpeciatim *Tarentinis*, quam apportarent *Mileſii*. Neutiquam igitur *Mileſii*, cum incommoda et periculoſa nauigatione, pannum apportarent ad mercatum, vbi aliorum texta, et inueniri ſuis praeſtantiora, et venire vilius, poterant. Talis mercatura aeque fuiſſet damnoſa, ac ſilphii, *Cyrenen* allati, aut thuris, in *Arabiam*. *Lana*, inquit *Plinius*, VIII. 48. *laudatiſſima* Apula, *et*, *quae in* Italia Graeci *pecoris appellatur*, *alibi* Italica. *Tertium locum* Mileſiae *oues obtinent*. Quum *Graecum* pecus dicit *Plinius*, *Tarentinum* vult, vt apparet e verbis *Columellae*, VII. 4. Graecum *pecus, quod pleriqne* Tarentinum *vocant*. *Generis eximii*, inquit idem *Columella*, VII. 2. Mileſias, Calabras, Apulasque *noſtri exiſtimabant*, *earumque opti-*

mas Tarentinas. Notabatur autem aeque *Tarentinorum*, atque ipsorum *Milesiorum*, cultus effeminatus et mollis. Tarentini, inquit *Clearchus*, apud *Athenaeum*, p. 522. *vestes textiles pellucidas gestabant omnes, quales nunc feminae.* Adeo, vt genus tenuis amictus muliebris nomen inde habuerit Ταραντίνιον, vt legimus, apud *Athenaeum*, p. 622. Sed, isto in loco, liber *Athenaei* MS. et *Excerptum* MS. vtrumque in bibliotheca regia, habent Ταραντῖνον, quae scriptura melior videri potest; quamuis neutram, in suo exemplo inuenisse, *Eustathius* videatur, sed Ταραντινίδιον, (ad *Dionys.* v. 376.). Haud dubie igitur *Zaleucus*, si modum statuere luxuriae, in cultu, voluisset, satius duxisset, meminisse vicinorum *Tarentinorum*, qui omnibus *Locris* essent notissimi, quam *Milesiorum*, de quibus pauci eorum vix auditionem acceperant; dixissetque Ἰσοταραντῖνον pro Ἰσομιλήσιον. Sed falsus iste et imitatione simulatus *Zaleucus*, quum *Graecus* esset sophista, et, *Milesia* textilia, sciret, in mercatibus *Graeciae* carissime venire, tam diligenter praecauit eorum vsum, vt expresse ea nominauerit, in corpore legum, quod *Italis* faceret.

IV. Quod fertur, *Zaleuci* prooemium, ad verbum descriptum a *Stobaeo*, incipit ab hac sententia: *Vnumquemque in civitate, primo loco, oportet, deos esse, credere*, Ἀναβλέποντας εἰς οὐρανὸν καὶ τὸν ΚΟΣΜΟΝ καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ ΤΑΞΙΝ, *quum sursum intueatur coelum, et mundum, quique ibi sit, ornatum et ordinem.* Iam, vt opinor, demonstraui, *Zaleucum*, aliquot aetatibus, vixisse, ante tempus *Pythagorae*: quod si ita est, illius esse, hoc prooemium non potest; quia *Pythagoras* primus fuit, qui vteretur nomine, ΚΟΣΜΟΣ, ad significandum MVNDVM, aut COELVM. *Phauorinus* tradit, (verba sunt *Laertii*, Pythag.) Pythagoram *coelum primum vocasse* ΚΟΣΜΟΝ: Τὸν οὐρανὸν πρῶτος ὀνομάσαι κόσμον. Similiter *Plutarch.* de Plac. Philos. II. 1. Pythagoras *primus vniuersum vocauit* ΚΟΣΜΟΝ, *ab ordine*, τῆς ΤΑΞΕΩΣ, *quem ibi obseruaret.* Atque eadem verba inueniuntur in Historia Philosophica, *Galeno* adscripta, p. 429. Adde schol. *Homer.* qui, ad Il. I. v. 1. Ἡ τοῦ κόσμου ΤΑΞΙΣ, inquit, *ordo vniuersi, appellabatur a* Pythagora ΚΟΣΜΟΣ: et auctor Vitae istius philosophi, Πρῶτος, inquit, Πυθαγόρας τὸν οὐρανὸν ΚΟΣΜΟΝ προσηγόρευσε. Non igitur apparet, scriptorem Legum *Zaleuci* tempore posteriorem fuisse *Pythagora?* quum non tantum ΚΟΣΜΟΣ vsurpauerit eadem, qua *Pythagoras*, virtute; sed etiam addiderit ΤΑΞΙΝ, quam, hic videmus, rationem esse, cur mundum vocauerit ΚΟΣΜΟΝ *Pythagoras*. Consequitur quidem, in istis *Plutarchi* et *Galeni* locis, Θαλῆς

καὶ οἱ ἀφ' αὐτῦ ἕνα τὸν κόσμον. Ex quo fortaſſe aliquis, ingenio et doctrina non diſſimilis *Boyleo*, concludat, etiam *Thaletem*, qui *Pythagoram* aetate anteceſſit, et, vt nonnulli opinantur eius fuit magiſter, vniuerſum vocaſſe ΚΟΣΜΟΝ. Sed vero exiſtimandum non eſt, *Plutarchi*, et alterius ſcriptoris, ſtuporem fuiſſe eum, vt, in vno eodemque verſu, inter ſe contraria ſcriberent. Accipiendum illud eſt, *Thaletem* de eo, quod nomine κόσμος ſignificaretur, locutum, non autem, fuiſſe vſum nomine: potuit, ἓν τὸ πᾶν, vel ἓν τὸ σύστημα τῶν ὅλων, vel ſimile, dicere, eiusdem virtutis. Praeterea, nouimus, teſtibus valde bonis, *Laertio* et *Themiſtio*, *Thaletem* nihil ſcripſiſſe ipſum: vt, ſi vere κόσμος fuiſſet inuentum in aliquo libro, ei adſcripto; argumento id fuiſſet, librum commenticium eſſe, non vero, *Pythagoram* non primum fuiſſe, qui vniuerſum vocaret ΚΟΣΜΟΝ.

V. Conſequitur, in eodem prooemio, Ὡς ἐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπε φαύλε, ἐδὲ θεραπεύεται δαπάναις ἐδὲ τραγωδίαις τῶν ἀλισκομένων, καθάπερ μοχθηρὸς ἄνθρωπος. Vbi pro ἀλισκομένων, quod, hoc in loco, ſententiam abſurdam facit, vera ſcriptura eſſe, videtur, ἀλισγεμένων; tum autem ſententia erit, *Deum non honorari ab improbo homine, nec coli ſumtuoſis et apparatis ſacrificiis hominum improborum, quaſi abiectus homo ſit.* Iam ſola haec verba ſufficiunt, ad leges falſi coarguendas. Nam, vt ſupra oſtendi, verus *Zaleucus* vixit ante *Draconem*, qui leges *Athenienſibus* fecit Olymp. XXXIX. aut ante: ſed nec nomen τραγωδία fictum, nec res, eo ſignata, inuenta fuit, quoad *Theſpis* hirco, praemio fabulae, donaretur, circa Olymp. LX annis amplius LXXX. a *Dracone*. Qui itaque nomen, Τραγωδία, inueniri, in *Zaleuci* Legibus, potuit, quae eſſent ſcriptae, CXX. amplius ante *Theſpin* annis? Haud mirum ſane, *Zaleucum*, communiter adeo creditum fuiſſe, leges ſuas omnes accepiſſe a *Minerua*: nec enim, niſi vnus e numero eſſet deorum, praeſcire nomen, Τραγωδία, potuiſſet, centum amplius ante annis, quam in conſuetudinem veniret loquendi. Sed praeterquam quod ipſa vox inaudita omnino erat, tempore *Zaleuci;* obſeruandum, eam collocatam ab illo eſſe, per translationem, pro *magnificentia et pompa;* in quem locum transferri non potuit, niſi diu poſt tempus *Theſpidis*. Nam quando rudis primum tragoedia erat, nihil habebat pompae, nihil ſumtuoſi; nullas ſcenas, nullas picturas, nullas machinas, nec veſtimenta pretioſa, hiſtrionibus; quae, poſtquam ibi in vſum eſſent introducta, ſola occaſionem praebuerunt translationi. Nam prima ſcena facta eſt ab *Agatharcho*, vni ex *Aeſchyli* fabulis, vt auctor eſt *Vitru-*

vius, Praef. l. VII. *Primum Agatharchus, Athenis, Aeſchylo tragoediam docente, ſcenam fecit, et de ea commentarium reliquit.* Fuit hic *Agatharchus* pictor, qui per ſe, nullo vſus magiſtro, artem diſceret, vt *Olympiodorus* tradit, in Commentar. MS. in Phaed. *Platonis:* Γεγόνασί τινες καὶ αὐτοδίδακτοι Ἡράκλειτος ὁ Αἰγύπτιος γεωργός .... Φήμιος, Ἀγάθαρχος ὁ γραφεύς. Nam haud dubie voluit eundem *Agatharchum*, qui *Aeſchylo* ſcenam fecerat. Fuiſſe autem reliqua ornamenta omnia primum introducta ab *Aeſchylo*, vno ore teſtantur ſcriptores antiqui omnes. Iam, primam fabulam docuit *Aeſchylus*, Olymp. LXX. vltimam, Olymp. LXXX. quo autem ex his XL, qui intercedunt, annis inuenerit iſta ornamenta, ad pompam et oſtentationem comparata, definiri nunc nequit. Coniecturam tamen facere, licet, ex iis, quae de *Agatharcho*, pictore, tradantur; qui, teſte *Vitruuio*, ſupra citato, ſcenam primus fecit. Ἀγάθαρχος, inquit *Harpocratio*, τούτου μνημονεύει Δημοσθένης· ἦν δὲ ζωγράφος ἐπιφανής, Εὐδήμου υἱός, τὸ δὲ γένος Σάμιος. Eadem habet *Suidas*. Locus autem, vbi eius meminit, *Demoſthenes*, eſt, in oratione, adu. Midiam, p. 360. Sed copioſius de eo agitur, in *Plutarchi* Vit. Alcibiad. et omnium copioſiſſime, in oratione *Andocidis*, contr. Alcibiadem. Summa eorum, quae narrantur, illa eſt, *Alcibiadem* vi domi ſuae continuiſſe *Agatharchum*, nec ſiuiſſe, exire, quoad eam pinxiſſet. Iam, *Alcibiades* mortuus eſt (*Diodor.*) Olymp. XCIV. 1. annos circiter natus (*Corn. Nep.*) XL. Ac, minus viginti annos habuiſſe, quum ſic luderet *Agatharchum*, vix credi poteſt. Praeſertim, ſi verum eſt, quod ſchol. *Demoſth.* tradit, cauſam eius rei fuiſſe, quod *Agatharchus* eſſet deprehenſus in lecto cum *Alcibiadis* amica. Vixit igitur, hac ratione, adhuc *Agatharchus*, circa Olymp. LXXXIX. 1. i. e. XXXVI. annis poſt Olymp LXXX. quando agebatur vltima *Aeſchyli* fabula. Planum itaque eſt, fuiſſe eum adoleſcentulum adhuc, Olymp. etiam LXXX. et, ſi cogitamus, fuiſſe αὐτοδίδακτον, *per ſe picturam didiciſſe*, vix fingere licet, potuiſſe eum inuenire rationem pingendi ſcenas, niſi proxime iſtam Olympiadem. Sed fac, inueniſſe eam tempore primae fabulae; ac vocem, τραγῳδία in *pompam* translatam, mox, ea conſpecta, veniſſe in conſuetudinem; neutrum quorum veriſimile eſt: nihilominus tamen erit annis amplius CLX. poſt tempus veri *Zaleuci.*

VI. Poſtremum, quod contra Leges *Zaleuci* proponam, argumentum ex eo ducitur, quod prooemium earum, quod protulit *Stobaeus*, ſcriptum eſt lingua, quam vocarunt veteres grammatici, *communi*, quum debuiſſet, *Dorica:* nam ea diale-

ctus *Locrorum Epizephyriorum*, vt apparet ex libro *Timaei Locri*, in oper. *Platonis*; et ex epigrammatibus *Nossidis*. Haud scio, an adhuc fuerit obseruatum, hanc *Nossidem Locris* fuisse oriundam: quapropter vnum et alterum eius epigramma proponam, quo simul patria, et lingua, cognoscantur.

Ὦ ξεῖν', εἰ τύγ' ἔπεις ποτὶ καλλίχορον Μιτυλάναν,
Τᾶν Σαπφῶς χαρίτων ἄνθος ἐναυσόμενος,
Εἰπεῖν, ὡς Μάσαισι φίλα, τήνα τε Λοκρίσσα
Τίκτεν ἴσαις, ὅτιθ' οἱ τὤνομα Νόσσις· ἴθι.

Sic scribendum est epigramma, quod vitiosum est, in Not. *Holstenii* et *Berkelii*, ad *Stephan*. Sententia haec est: Hospitem alloquitur *Nossis*, et ab eo petit, vt, si quando proficiscatur *Mitylenen*, patriam *Sapphus*, narret, mulierem *Locram* carmina facere similia eius, esse autem sibi nomen *Nossidi*. Ἴσαις quartus casus est, *Dorice* et *Aeolice*, pro ἴσας, i. e. χάριτας. Atque hanc veram esse eius sententiam, apparebit porro, ex alio eius epigrammate, non edito ante, de laude *Locrorum* suorum:

Ἔντεα Βρέντιοι ἄνδρες ἀφ' αἰνομόρων βάλον ὤμων,
Θεινόμενοι Λοκρῶν χερσὶν ὑπ' ὠκυμάχων·
Ὧν ἀρετὰν ὑμνεῦντα, θεῶν ὑπ' ἀνάκτορα κεῖνται·
Οὐδὲ ποθεῦντι κακῶν πάχεας, ὧς ἔλιπον.

Dicit, *Locros* victoriam adeptos esse a *Bruttiis*, populo vicino; et arma eorum suspendisse in templis deorum; non amplius desideratura redire ad istos ignauos, a quibus antea gestarentur. Adque hoc indicio aetas *Nossidis*, quae adhuc incerta visa est, cognosci poterit: nam Βρέντιοι vel Βρέττιοι, quos hic vult, in ciuitatem non coierant, nec nominati erant ante Olymp. CVI. 1. (*Diodor*. p. 418. *Strab*. p. 255. *Iustin*. XXIII. 1.) tempus *Dionysii* filii. Non potest ergo fuisse ante Olymp. CVI. Sed fuisse paulo post, apparet ex eius epigrammate (*Anthol*. III. 6.), in sepulcr. *Rhinthonis Tarentini*, aut, vt eum vocat, *Syracusii*, aequalis sui, qui vixit tempore primi *Ptolemaei* (*Suid*. Ῥίνθ.), circa Olymp. CXIV. Matri eius nomen erat *Theuphilis*, quae filia *Cleocbae*; vt ex alio epigrammate eius, nondum edito, apparet:

Ἥρα τιμήεσσα, Λακείνιον ἃ τὸ θυῶδες
Πολλάκις οὐρανόθεν νισσομένα καθορῇς,
Δέξαι βύσσινον εἷμα, τό τοι μετὰ παιδὸς ἀγαυᾶς
Νοσσίδος ὕφανεν Θεύφιλις ἁ Κλεόχας.

In MS. est Θευφίλης. Et est obseruandum, hoc ipsum argumento esse, fuisse eam *Locram*; quia dicit Λακείνιον; nam *Locris* non longe aberat celeberrimum *Iunonis Laciniae* templum, in vicinia *Crotonae*. Filiam habebat, *Melinnam*, vt

indicare aliud MS. epigramma videtur; tametsi ibi alterius filiam, non suam, intelligere potuerit; tamen, quae singularis eius venustas est, dignum est, quod hic describatur:

Αὐτομέλιννα τέτυκται· ἴδ' ὡς ἀγανὸν τὸ πρόσωπον
'Αμὲ ποτοπτάζειν μειλιχίως δοκέει.
'Ως ἐτύμως θυγάτηρ τᾷ ματέρι πάντα ποτώκει·
'Η καλὸν, ὄκκα πέλοι τέκνα γονεῦσιν ἴσα.

Αὐτομέλιννα est *ipsa Melinna*, non eius imago: tam ex omni parte ei similis est: tam αὐτοζωή, αὐτοαλήθεια. In MS. est ἄ με, sed verum ἀμὲ, *Dor.* pro ἐμέ. Pro ποτώκει MS. habet, προσώκει; sed πρὸς mutaui in *Doricum* ποτί. A tempore praeterito perfecto verborum *Dorienses* formant praesens; vt a δέδοικα δεδοίκω; a δέδυκα δεδύκω. Vt a προσ-έοικε, *assimulari*, vt picturam animali exemplo, nostra poetria formaueris ποτ-εοίκω; et inde ποτώκω. Hoc monendum erat, vt intelligi posset epigramma. Redeo ad dialectum *Locrorum*, quam *Doricam* fuisse, clare indicat, apud *Athenaeum*, p. 697. cantus *Locricus*, Λοκρικὸν ἆσμα.

Μή προδῶς ἄμ' ἱκετεύω· πρὶν καὶ μολὲν κεῖνον, ἀνίσω·
Μὴ κακὸν μέγα ποιήσῃς καί με τὴν δειλάκραν.
'Αμέρα καὶ ἤδη τὸ Φῶς διὰ τᾶς θυρίδας ἐκ ἐσορῇς;

Ita locus scribendus est, et sic reddendus:

Ne prodas me, obsecro: prius quam ille veniat, surge.

Sunt verba mulieris ad moechum suum: Vt surgere velit, privsquam vir domum redeat, et ipsum deprendat. Iam autem apparet, quam fuerit probabilis ratio, cur *Athenaeus* cantus *Locricos* vocauerit μοιχικάς: nec dubitandum, quin ad *Locricos* respexerit, in *Italia*; si cogitemus, quomodo mulieres (p. 516.) descripserit istius loci. Vt igitur concludam; quoniam apparet, linguam *Locrorum Doricam* fuisse; haud dubie leges istius ciuitatis ea dialecto conscriptae fuerunt, quae ratio aeque certa, atque illa Legum *Solonis*, *Athenis*, *Attice* conscriptarum. Hae ergo *Zaleuci* commenticiae sunt, quum non sint scriptae *Dorice*. Nisi eadem pertinacia *regem suum* Zaleucum, qua *principem suum* Phalarin, defendere velit *Boyleus*; et, Leges *regis in aliam translatas esse dialectum (transdialected)*, perinde ac *principis* Epistolas, contendere.

Inuitat me haec vocis Τραγῳδία, in pompam et magnificentiam translatae, consuetudo, vt a proposito digrediar, et Leges, *Charondae* adscriptas, excutiam; est enim eadem ibi translatio. Prolixe, de his Legibus, *Diodorus*, p. 79. 84. et exstant earum prooemia, apud *Stobaeum*, Serm. 42. vbi, inter alia, legimus, *Eum, qui diuitiis seruiat, despiciendum esse, tanquam humilis et abiecti animi* (καὶ καταπληττόμενον ὑπὸ κτη-

μάτων πολυτελῶν καὶ βίου, ΤΡΑΓΩΔΟΥΜΕΝΟΥ), *cuius oculos praestringat rerum pretiosarum, et vitae sumtuosae et ad magnificentiam comparatae, splendor.* Habes, vt iam dixi, eandem figuram dictionis, quam in *Zaleuci* Legibus; qua respicitur ad pretiosa et splendida ornamonta scenae. Factae autem *Thuriorum* Leges sunt Olymp. LXXXIV. quo tempore constituta est eorum colonia: sed haud temere credo, nomen τραγωδία, pro magnificentia et pompa, iam Olymp. LXXXIV. fuisse in vsu. Erat tum recens mortuus *Aeschylus*, vigebat *Sophocles*, annos LIV. natus, et iam tum ad tragoedias scribendas animum applicuerat *Euripides.* Iam vero, horum poetarum postremus, tantum abest, vt, sumtuoso scenarum suarum actorumque ornatu, huic translationi occasionem praebuerit, vt contra notatus fuerit, quasi induceret heroes suos pannis obsitos. Sic accusatur ab *Aeschylo*, in Ran. *Aristophan.* p. 164.

Ὦ πτωχοποιὲ καὶ ῥακιοσυῤῥαπτάδη.

Et alibi ipse comicus (Acharn. p. 279. 282.), eodem nomine, facete eum perstringit: enumeratque quinque ex heroibus sordidis, vnde totidem tragoediae eius nominatae, *Oeneum, Phoenicem, Philoctetem, Bellerophontem, Telephum.* Apparet quidem ex ipso hoc ioco, quo tetigit *Euripidem*, reliquos poetas tragicos eius vitii immunes fuisse, nec commisisse, vt mendicos inducerent: nec tamen eae ipsae, quas inducebant, personae tam sumtuoso vestitu erant ornatae, vt inde tragoediae nomen transferretur in *magnificentiam.* Nam istis temporibus, in *Graecia*, pecunia rara erat, inprimis *Athenis* (*Cicer.* Tusc. v. 32.), et paruo contentus populus viuebat; vt, magnos sumtus in ornamenta scenae facere, non possent: nec, si potuissent, voluissent. Imo constat, primo omnino, a collocata *Thuriorum* colonia, saeculo, modico valde sumtu scenam apparatam fuisse: nam, in oratione, contra *Midiam*, quae habita est Olymp. CVII. 1. (*Dionys. Halicarn.* de Demosth.) *Demosthenes* docet, sumtus in *chorum tragicum* MVLTO MINORES, quam in *chorum musicum*, qui, in iisdem sacris *Bacchicis*, agere solebat, fuisse, Τραγωδοῖς, inquit, c. Midiam, p. 362. κεχορήγηκέ ποτε οὗτος· ἐγὼ δὲ Αὐληταῖς ἀνδράσι. Καὶ ὅτι τοῦτο τὸ ἀνάλωμα ἐκείνης τῆς δαπάνης πολλῷ πλεῖόν ἐστι, οὐδεὶς ἀγνοεῖ δήπου. i. e. *Apparauit aliquando* Midias *chorum tragicum: ego vero chorum musicum: nec quisquam est temere, qui nesciat, sumtus in hunc* MVLTO MAIORES, *quam in illum fieri debere.* Nec tamen ad ipsum chorum musicum magno opus erat sumtu: vt ex hoc apparet, quod solus eum suggessit, et quidem voluntarium, *Demosthenes.* Extollit quidem, quantum potest, factum, ac dubitat, *liberalitatem* suam, *an*

ſtultitiam, dicere debeat, quod ſumtus fecerit ſupra conditionem ſuam: ſed accipiendum illud eſt, tanquam eius rhetoricae exemplum; enimuero minime ſuum perderet ſuſtinendo munere, quod nemo ipſi inuito imponeret. Sed alius orator, ipſo antiquior paulo, *Lyſias*, *diſtincte expoſuit ſumtus ſcenae.* Theopompo, inquit, in Ἀπολ. Δωροδοκίας, *magiſtratu*, (Olymp. XCII. 2.) *chorum tragicum adornaui*, *et* minas *inſumſi* XXX. *poſt victor virili choro*, minas XX. Glaucippo *magiſtratu* (Olymp. XCII. 3.), *in* pyrrhichae ſaltatores VIII. minas *inſumſi. Eodem magiſtratu*, *victor choro virili fui*, *in quem*, *vna cum* tripodis *conſecratione*, *inſumſi* minas L. *Et*, *magiſtratu* Diocle (Olymp. XCII. 4.), *in chorum* cyclium III. minas *inſumſi. Interiecto tempore,* Alexia *magiſtratu* (Olymp. XCIII. 4.), *chorum puerorum adornaui*, *et inſumſi plus* minas XV. *Et*, Euclide *magiſtratu* (Olymp. XCIV. 2.), *in ludos comicos inſumſi* minas XVI. *et* VII. *in imberbes* pyrrhichae ſaltatores. Iam vero *Attica mina* quum tres libras *Anglicas* valeat, apparet ex hoc *Lyſiae* loco, ſumtus omnes in chorum tragicum tum modo fuiſſe librarum *Anglicarum* XC. Per viam corrigam *Iſaei*, oratoris, verba, p. 44. Οὗτος γὰρ τῇ μὲν Φυλῇ εἰς Διονύσια χορηγήσας, τέταρτος ἐγένετο, τραγῳδοῖς δὲ καὶ πυῤῥιέταις ὕστατος. Emenda, τέταρτος ἐγένετο τραγῳδοῖς, καὶ πυῤῥιχισταῖς ὕστατος; vel, quod eodem redit, πυῤῥίχαις. *Hic*, inquit, *quum chorum*, *ſacris* Bacchicis, *adornaret*, *tam exiguo id ſumtu fecit*, *vt*, *in tragico choro quartus*, *et* pyrrhichiſtis *vltimus*, *fuerit*. Dicat iam lector, an, habita ratione huius exigui ſumtus in tragicum chorum, temporibus etiam *Lyſiae* et *Demoſthenis*, poſſit exiſtimare, Olymp. LXXXI. ornamenta tragica ſplendore ſuo tam fuiſſe celebria, vt occaſionem praebuerint nominis τραγῳδία in *pompam* transferendi: praeſertim in *Italia*, vbi forte iſto tempore nondum vlla tragodia eſſet acta. Fateor, alienum valde mihi videri, tam ſubito id verbi in iſtum locum fuiſſe translatum, in communi etiam loquendi conſuetudine, nedum locum ei fuiſſe in corpore Legum, vbi dictio ſimplex et propria eſſe debeat: et vbi omnis translatio aliena, inprimis ſi noua eſt, vt haec tunc eſſe debuit: cuius ratio, forte, quando primum audiebatur, ne quidem a dimidia parte ciuium intelligebatur. Enimuero, poſtquam, *Athenis* euecta, tragoedia in aulas principum erat inducta, ſupra modum ſplendide et magnifice apparabatur tragicus chorus; vt *Alexandriae*, *Romae*, cet. vnde iſtae querelae *Horatii* (Ep. II. 1.), Ludos tam ſumtuoſos eſſe, vt pauci verba curent:

Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur, *et artes*
Diuitiaeque peregrinae: quibus oblitus actor

Cum stetit in scena: concurrit dextera laeuae.
Dixit adhuc aliquid? nil sane. quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.

Et, in Art. Poet. Tragicus actor, inquit,

Regali conspectus in auro nuper et ostro.

Itaque mirandum non est, istis temporibus, τραγῳδία potuisse vsurpari translate ad significandas diuitias et splendorem; atque ita eo vtuntur *Philo*, *Lucianus*, et quidam alii: sed eius exemplum nullum inuenio intra centum omnino annorum spatium a tempore Legum *Charondae*.

II. Sed maioris momenti hoc argumentum erit, si *Charondas* vixerit ante fundatam *Thuriorum* ciuitatem, et ipsum etiam *Aeschylum*, primum inuentorem tragicorum ornamentorum: nam perinde valebit tum contra Leges *Charondae*, atque illas *Zaleuci*. Charondam *perhiberi*, tradit *Theodoretus*, c. Graec. Serm. 9. *fuisse primum Legislatorem, in* Italia, *et* Sicilia. Quod si verum est, ipso *Zaleuco* prior fuerit, et ante nomen ipsum tragoediae, necesse est, multo magis ante verbum in hunc locum translatum. Aut, si rationem sequemur eorum, (in *Aristot.* Polit. II. 12.) qui *Charondam* discipulum faciant *Zaleuci*; plus quam sufficiet ad praesentem quaestionem: statuunt enim, *Zaleucum*, eius magistrum, iisdem, quibus *Lycurgum*, *Spartanum*, temporibus viguisse: ad quam rationem, *Charondam* collocare CCC. annis ante *Thespin*, debebant. Quin, ex ipsa *Eusebii* ratione, *Zaleuci* leges factae sunt CC. amplius, ante fundatam *Thuriorum* ciuitatem, annis; et C. amplius, ante initia tragoediae: sed exstat hoc etiam luculentius testimonium; *Heraclidis*, puta, de Polit. qui, *Rheginorum*, *in* Italia, *ciuitatem*, tradit, *optimatum imperio rectam fuisse; nam mille viros, conuenienter conditioni suae electos, cuncta gubernasse: ac Leges eorum fuisse, illas* Charondae, Catinensis (Νόμοις ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου): *Sed* Anaxilaum Messanium *ibi tyrannidem occupasse*. Quae, ad summam, confirmantur ab *Aristotele*, quum dicit, *imperium* Rheginorum, *quod paucorum esset*; *mutatum esse in tyrannidem ab* Anaxilao. Video hic, *Heraclidem* declarasse, *Charondae* leges factas esse ante tempus *Anaxilai:* sed, *Anaxilaum* hunc, constat, mortuum esse, Olymp. LXXVI. 1. (vid. supr. c. IV.) postquam regnasset *Rhegii* et *Messanae*, XVIII. minimum annos, ab Olymp. LXXI. 3. Iam primum, ludis scenicis, victor abiit *Aeschylus*, Olymp. LXXIII. 3. (Marm. *Arund.*) ac, pro certo statui, licet, quum ante id tempus nunquam vicerit, eum ante non inuenisse scenam, machinas, et reliqua ornamenta. Quapropter, etiamsi eo ipso, quo tyrannidem inuasit *Anaxilaus*, anno

leges *Charondae* essent factae; tamen octennio antecederent tempus introductae in consuetudinem scenae. Sed, haud dubie, per longum tempus *Rhegini* legibus *Charondae* iam recti fuerant, quando eos sibi subiiciebat *Anaxilaus;* nam anni tum erant CC. a condita vrbe; atque ipsa *Heraclidis* verba clare indicant, imperium aliquamdiu penes optimates fuisse.

III. Quod si concedatur, iure statui poterit, *Charondam* non fuisse THVRIVM; vt volunt scriptores quidam posteriorum temporum, *Valerius Maximus*, VI. 5. *Themistius*, Orat. XIV. (Καὶ τῷ Θουρίῳ Χαρώνδᾳ) et speciatim *Diodorus*, p. 79. vbi de initio fundatae *Thuriorum* reipublicae differens, *Thurios*, ait, *Charondam*, τὸν ἄριστον τῶν πολιτῶν *ciuium optimum*, elegisse, qui corpus legum ipsis conficeret. Nam, cum leges fecerit, longo tempore ante *Anaxilai* tyrannidem, Olymp. LXXI. vix existimari potest, vixisse adhuc *Thuriis*, Olymp. LXXXIV. annis post L. Nec vero quemquam veterum scriptorum noui, qui, aut *Thurium* eum fuisse, aut leges, dicat, fecisse *Thuriis*. *Italos et* Siculos, docet *Plato*, Polit. X. (Ἰταλία καὶ Σικελία) *vsos esse legibus* Charondae; sed ciuitates non nominat. Eae quaenam fuerint, exponit *Aristoteles*, eius discipulus, qui descripte magis, Charondam, dicit, Catinensem *leges dedisse suae, ac reliquis* Chalcidicis, *ciuitatibus, in* Italia *et* Sicilia. Iam vero *Chalcidicae* vrbes, in *Sicilia*, fuerunt (*Scymn. Chius*, et alii.) *Zancle, Naxos, Leontium, Catina, Euboea, Mylae, Himera, Callipolis;* in *Italia, Rhegium;* et haud scio, an aliae. Sed, nec *Thurios*, nec, ante eos, *Sybarin*, coloniam *Chalcidicam* fuisse, certo constat. Consentit itaque cum *Aristotele*, magistro suo, *Heraclides;* quum, vt supra vidimus, Charondam Catinensem *fuisse*, tradat, *et* Rheginorum *legislatorem*. Quae vero caussa esse huius, veteres scriptores omnes inter et aliquos inferiorum temporum, dissensionis potuit; nisi quod interuallo, quod inter eos intercedit, annorum circiter CCC, hae leges, quae feruntur, *Charondae*, prodierunt, tanquam *Thuriis* latae, et eum *Thurium* vocantes? Sed apparet, germanas *Charondae* leges, quas habuerunt *Aristoteles*, et *Heraclides*, factas esse *Chalcidicis* ciuitatibus, non *Thuriis*. Qui igitur esse eaedem potuerunt? Nisi fortasse quis opinatur, inter *Thurios* conuenisse, vt, quae sibi in promtu essent, leges *Charondae* reciperent; vt *Mazaceni*, in *Cilicia*, fecerunt (*Strab.* p. 529.): vt *Charondae* leges possint fuisse latae *Catanae* et *Rhegii*, longe ante Olymp. LXXI. et tamen datae quoque *Thuriis*, Olymp. LXXXIV. 1. Potest quidem, eo valere, haec opinio, vt pateat, potuisse *Charondae* leges *Thurinas* esse; sed, eo excusari, *Diodorus*, et reliqui, ne-

queunt, qui ipſum *Charondam Thurium* vocant; quoniam, ſic, mortuus fuit, ante auditum nomen *Thuriorum*. Quid autem, ſi demonſtrauero, nec eum, nec eius leges receptas fuiſſe a *Thuriis?* tum, planum fore, opinor, iſtud earum exemplum, quo vteretur *Diodorus*, commenticium fuiſſe.

III. Si *Athenaeo* fidem habeamus (p. 508.), *Zaleucus Thuriorum* fuit legislator; tametſi paulo ante, (p. 429.) citauerit legem eius, *Locris* latam, Quod indicio eſt, eum non per errorem, ex ignorantia ortum, vnam ciuitatem pro altera ſumſiſſe. Quum *Thurios* hic dicit, voluiſſe *Sybaritas* videtur, qui poſtea *Thurii* dicerentur: ac fingere licet, eorum rempublicam, quum primum eſſet conſtituta, Olymp. LXXXIV. in priſtino ſtatu, quem ei dediſſet *Zaleucus*, perſtitiſſe; nam antiquos *Sybaritas* aliquando vſos fuiſſe eius legibus, apparet e *Scymno Chio;* qui (v. 345.) inter cauſas interitus eorum hanc numerat, quod illas neglexiſſent:

Λέγεται γὰρ αὐτοὺς μήτε τοῖς νόμοις ἔτι
Τοῖς τοῦ Ζαλεύκου τἀκόλουθα συντελεῖν.

Ac *Thurios*, quum primum eſſent deducti, inſtauraſſe eas, licet mutauerint, et auxerint ſupra modum, ex *Ephoro* poteſt intelligi; qui (*Strab.* p. 260.) leges, quas *Locris* feciſſet *Zaleucus*, commemorans, earumque ſimplicitatem commendans, *Sed* Thurii, inquit, *dein ſubtilitati, in quaque re, ſtudentes, magis famoſi eo fiebant, ſed peius regebantur.* Nam certiſſima huius loci interpretatio haec eſſe videtur, quod *Thurii* aliquando vſi ſunt legibus *Zaleuci*, quarum rationes deinceps ſubtiliores fecerunt; et, ſi ad animum reuocamus iſta loca, ex *Athenaeo* et *Scymno*, haberi etiam veriſſima poteſt.

IV. Verumtamen, ſiue *Zaleuci* leges receptae, ſiue non, fuerunt a *Thuriis;* iſtas *Charondae* non fuiſſe, aequum eſt, cenſeri, ex iis, quae, et de huius, et illorum, legibus, ſunt tradita. Exſtat prolixus locus (v. *Stobaeus*, Serm. 48.) *Theophraſti* (ex libro, vt opinor, de Legibus), ex quo cognoſci quaedam poſſunt, ad Leges *Thuriorum*, de emptione et venditione, pertinentia. (Οἱ δὲ Θουριακοὶ, etc.) *Emtorem, iubent, paruum numum dare tribus vicinis proximis, vt pacti teſtimonium ſit: ac tum eodem die totum pretium repraeſentare* (Ἐν τοῖς Θουρίων τὸν μὲν ἀῤῥαβῶνα παραχρῆμα, τὴν δὲ τιμὴν αὐθήμερον), *quod niſi faciat, perdere arrham,* (Στέρησις τοῦ ἀῤῥαβῶνος· οὕτω γὰρ οἱ Θουριακοί): *Venditorem autem, ſi in pacto non maneat, ſoluere tantum pecuniae, quanti res vendita ſit* (ἔκτισις ὅσου ἂν ἀποδῶται· καὶ γὰρ τοῦτο ἐν τοῖς Θουρίων ἡ ἄνισος ζημία.): *poenam, inquit* Theophraſtus, *inaequalem; quod emtor arrha tantum, venditor autem toto pretio multetur:*

cum alterum plus longe sit altero. Sed alia via, inquit, *instituerunt* Charondas *et* Plato; *iubent enim, omnem emtionem et venditionem repraesentando fieri: et, si quis credat, suo ipsius periculo id esse: nullum ei ius esse, si sit circumuentus: quum enim credat, sua ipsum culpa circumueniri* (Χαρώνδας καὶ Πλάτων παραχρῆμα κελεύουσι διδόναι καὶ λαμβάνειν· ἐὰν δέ τις πιστεύσῃ, μὴ εἶναι δίκην. αὐτὸν γὰρ αἴτιον εἶναι τῆς ἀδικίας.). Iam autem vera esse, quae, de *Platone*, narrat *Theophrastus*, apparet ex ipso *Platonis* libr. XI. Legg. vbi haec ipsa ratio emtionis et venditionis adhuc cernitur. Quapropter tuto statui potest, non minore *Theophrastum*, diligentia in iis versatum esse, quae de *Charonda* tradidit. Atque ex his, aeque planum esse, intelligo, *Charondae* leges diuersas ab illis *Thuriorum* fuisse; ac, repraesentationem pecuniae differre ab arrha et re credita. Locus *Theophrasti* et vitiosus est in libro *Stobaei*, et male acceptus ab interprete; sed facile lector intelliget, vt corrigi debeat, et conuerti, ex verbis *Graecis* interpositis.

V. Luculentum testimonium habemus, rempublicam, ad cuius statum leges *Charondae* essent accommodae, optimatum, siue paucorum, imperio fuisse administratam. *Errant vehementer*, inquit *Aristoteles*, Polit. IV. 12, 13. *isti legislatores, qui, ciuitates regi ab optimatibus, volunt.* Tum quinque commemorat fraudum genera, quibus circumueniant populum: et ad vnum eorum addit, Ὥσπερ ἐν τοῖς Χαρώνδα νόμοις, *Vt est in legibus* Charondae: ac tandem sic concludit: Ταῦτα μὲν ὀλιγαρχικὰ σοφίσματα τῆς νομοθεσίας: *Haec callida legum ferendarum inuenta sunt, quorum in ciuitate, quae paucorum imperio regitur, sit vsus.* Sunt haec verba plano indicio eius, quod supra disserui: sed rem declarat *Heraclides*, in iis, quae, de *Rheginis*, scribit, *qui*, inquit, de Polit. *in formam reipublicae, quae optimatum imperio administraretur, coierunt: quum regerentur* a χιλίοις, *mille potentissimis ciuibus, et* Charondae *legibus vterentur.* Adde loca reliqua *Aristotelis*, vbi (Polit. v. 12.), Rheginorum ait, *rempublicam, paucorum imperio rectam, in tyrannidem mutatam fuisse ab* Anaxilao; imo, (ibid. v. 7.) *rem* Thuriorum, *plus nimio, paucorum imperio administratam fuisse* (ὀλιγαρχικωτέραν): ac tum, opinor, satis hoc demonstratum erit. Sed *Diodorus* ad exemplum, quo vsus est, legum *Charondae*, statum popularem informauit: vt, quando dicit (p. 82.), *Eum, qui proponeret nouam legem, debuisse, collo in laqueum inserto, id facere, quoad* ὁ ΔΗΜΟΣ *eam aut probaret, aut repudiaret*; et, (p. 83.) *puellam pauperculam confugisse ad* POPVLVM (κατέφυγεν εἰς τὸν ΔΗΜΟΝ), *ac* POPVLVM (p. 84.), τὸν δὲ ΔΗΜΟΝ, *emendasse legem:*

ac denique (p. 83.), *hominem caecum auctorem fuisse*, τοῖς ΠΛΗΘΕΣΙ, MVLTITVDINI, *legis mutandae*. Adde, quod (p. 78.) plane declarat, Thuriorum *statum fuisse popularem*, πολίτευμα ΔΗΜΟΚΡΑΤΙΚΟΝ; ac tum veri simillimum videbitur, exemplum legum *Charondae*, quo sit vsus *Diodorus*, non fuisse idem, atque illud *Aristotelis* et *Heraclidae*.

VI. *Charondas*, inquit *Aristoteles*, Polit. II. 12. *habebat* οὐδὲν ἴδιον, *nihil peculiare, in suis Legibus, excepto vno.* Contra *Diodorus*, ex suo exemplo, p. 79. narrat, *Eum habuisse* πολλὰ ἴδια *multa peculiaria*, et sex minimum eorum commemorat: tamen illud vnum, ab *Aristotele* obseruatum, inter ea non comparet. Nonne hoc fit, vt leges, de quibus agunt, plane diuersae inter se videantur? Magnam haec res iniicit suspicionem, vsurpati a *Diodoro* exempli commenticii. Sed verba philosophi perpendamus, Χαρώνδȣ ἴδιον μὲν οὐδέν ἐςιν, πλὴν αἱ δίκαι τῶν ΨΕΥΔΟΜΑΡΤΥΡΩΝ· πρῶτος γὰρ ἐποίησε τὴν ΕΠΙΣΚΕΨΙΝ. Sic verba leguntur, in libris editis; et interpres reddit, *Primus, his de rebus, accurate considerauit:* quod alienum est a sententia auctoris. In *Graecis* verbis duo insunt menda, ante eluenda, quam verum auctoris sensum assequi possimus. Primum, pro ψευδομαρτύρων, scribendum ψευδομαρτυριῶν: quia δίκη iungi solet nominibus rerum, et non personarum; vt, δίκη ἀσεβείας, ἀγαμίȣ, ὀψιγαμίȣ, cet. non, δίκη ἀσεβῶν, ἀγάμων, ὀψιγάμων. *Demosthen.* contr. Euergum, p. 638. Ταῖς δίκαις τῶν ψευδομαρτυριῶν. *Isaeus*, p. 38. Τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην ἠγωνίζετο. Et id. p. 52. Ἡ τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκη εἰσῄει. Vitium igitur, apud eundem oratorem, est, p. 38. vbi legimus, Τὴν τῶν ψευδομαρτύρων δίκην εἴλομεν· et, *Polluc.* VIII. 6. Κατὰ τῶν ψευδῆ μαρτυρέντων δίκη, ὃ καὶ ἐπισκήψασθαι καταμαρτύριον ἐλέγετο· corrigendum est, ἐπισκήψασθαι ψευδομαρτυριῶν: vt egregius MS. liber *Isaaci Vossii* habet. Alterum vitium est, in Ἐπίσκεψις; quod correctione mutandum in Ἐπίσκηψις, i. e. actio falsi testimonii. Nam si quis conuictus erat, falso testimonio, in testes actio periurii dabatur. *Charondas* igitur, ex testimonio *Aristotelis* primus instituit hanc Ἐπίσκηψιν: et, si cognosci poterit, quando ea primum incepit, veram inuenire *Charondae* aetatem, licebit. Mentionem huius Ἐπισκήψεως, tanquam quae viguerit *Athenis*, passim faciunt oratores *Attici*; vt *Demosthenes*, *Isaeus*, *Lysias* (c. Pancleonem) et, ex iis, *Pollux*, *Harpocratio*, *Suidas*, *Etymol.* Fueritne vero vna ex *Solonis* legibus, aut quando facta post mortem eius, nescio. Est vero, cur, ante *Thuriorum* coloniam deductam, quam post, factam esse, credere

malim. Nam, qui in iuuentute, vnus ex iis fuit, qui *Thurios* fundarent, *Lysias* huius meminit ἐπισκήψεως, sine vllo indicio, esse nouam legem. A *Thuriis Athenas* rediit Olymp. XCII. 1. Sume mediam rationem, inter tempus institutarum a *Solone* legum, Olymp. XLVI. 3. et illud orationum *Lysiae*; incidet ea in Olymp. LXIX 2. quod est ante fundatos *Thurios* annis LIX. Tantum abest, vt Ἐπίσκηψις instituta *Athenis* fuerit ante fundatos *Thurios*; tum autem, *Charondas*, primus Ἐπισκήψεως auctor, antiquior fuerit ista colonia; ac denique, istud exemplum legum eius, quo sit vsus *Diodorus* commenticium.

VII. Causa *Charondae*, apud *Stobaeum*, contraria illius *Zaleuci* est: nam *Zaleucum* fecit, leges suas conscribentem dialecto communi, qui, vt *Locrus*, vti, debuisset, *Dorica*: *Charondam* vero induxit, *Dorice* loquentem, qui, siue vt *Catinensis*, siue *Thurius*, maluisset aliam. Nam *Catina*, et reliquae ciuitates, quibus leges dedisse, dicitur ab *Aristotele*, *Chalcidicae* erant, i. e. coloniae *Ionicae*: ac *Thurii*, quorum legislator fuit, e *Diodori* testimonio, variis quidem populis mixti erant, sed inprimis *Atticis*. *Lamponem* et *Xenocritum* tradit *Diodorus*, p. 77, 78. *Athenienses* vtrumque, κτιςὰς, *conditores*, fuisse *Thuriorum*: cumque *Sybaritae Spartam* et *Athenas* mitterent, petitum coloniam, *Spartanos* noluisse; sed, *Athenienses* id suscepisse, *Peloponnesiis*, si qui vellent se ipsis adiungere, copia facta. Similiter *Plutarchus* (V. Lysiae, et, V. Periclis) coloniam *Atheniensium* habet; et (V. Niciae) auctorem nominat *Hieronem* quendam, *Atheniensem*. *Ab* Atheniensibus *et reliquis* Graecis deductam tradit *Dionysius Halicarn.* (V. Lysiae) primas concedens *Atheniensibus*. *Achaeorum* quidem coloniam, *Scymnus Chius* (v. 325.) *Thurios* facit; sed veri simile id non est; nisi dictum accipiendum est, de *Sybaritis*, qui postea dicerentur *Thurii*: fuit enim ea colonia *Achaeorum*. Addit *Diodorus*, Olymp. LXXXVI. 3. decennio post coloniam collocatam, *Thurios* inter se contendisse, quorum colonia essent, et, quis conditor diceretur: *Athenienses* id sibi vindicasse, quia *plurimi* coloni *Athenienses* essent (πλεῖςες οἰκήτορας): Sed restitisse *Peloponnesios*, quod *multi* essent e *Peloponneso*: Tandem conuenisse inter eos, vt *Delphos* mitterent, ea de re, sciscitatum oraculum; ac responsum tulisse, ipsum *Apollinem* eorum conditorem habendum esse; ita controuersiam diremtam, neutro populo repugnante. Nihilominus potiorem ibi fuisse rem *Atheniensium*, dupliciter patet; cum, (*Thucydid. Diodor.*) quod, quum impetum in *Siciliam* facerent *Athenienses*, eorum partes sequerentur *Thurii*, contra *Si-*

culos et *Spartanos;* tum, quod numi *Thuriorum (Goltzius)* ſignarentur capite *Palladis*, galea ornato, perinde vt *Athenienſium.* Equidem non ignoro, poſt cladem *Athenienſium*, in *Sicilia*, Olymp. XCI. 4. inter reliquos eorum ſocios, *Thurios* quoque ab iis deſciuiſſe; et (*Dionyſ.* et *Plutarch.* V. Lyſiae) CCC. *Athenienſes* e colonia eiectos eſſe. Sed leges *Charondae*, vt refert *Diodorus*, factae ſunt, quum primum colonia ibi collocaretur, XXX. amplius annis ante iſtam inuaſionem: ac iudicium lectoris facio, an non, iſto tempore, magno numero et potentiae *Athenienſium*, *Thuriis*, conſentaneum ſit, eorum leges, ſi tum factae eſſent, *Attica* potius fuiſſe, quam *Dorica*, conſcriptas dialecto.

VIII. Exſtat locus difficilis *Stephani Byzantini*, v. Κατ. Ἀπὸ τῆς Κατάνης Χαρώνδας, ὁ διάσημος τῶν ἐν Ἀθήνησι νομοθετῶν, *A* Catina *fuit* Charondas, *celebris ille legislator* Athenis: et, eo difficilior etiam, alius *Suidae;* Νομοθέται παρ' Ἀθηναίοις πρῶτος ἐγένετο Δράκων, — καὶ μετὰ τοῦτον Αἰσχύλος, *Legislatores fuerunt* Athenienſibus, *primus* Draco, *dein* Solon, *tum* Thales, *porro* Aeſchylus. Quid ad haec dicemus? fateor, fuiſſe multos Νομοθέτας, *legislatores*, *Athenis*, poſt *Solonis* tempus: attamen vix credo, *Charondam, Thaletem* et *Aeſchylum*, in iis numerandos eſſe. De *Suida;* perſuaſum habeo, pro Αἰσχύλος, ſcribendum eſſe Ζάλευκος: vt, facto maiore interpuncto poſt Νομοθέται, ſicut plane eſt in antecedente loco, ſenſus *Suidae* hic ſit: LEGISLATORES. *Primus fuit* Draco, Athenis; *poſt*, Solon, *poſt*, Thales, *poſt*, Zaleucus. Vbi non dicit, *Thaletem* et *Zaleucum* legislatores fuiſſe *Athenienſium*, ſed tantum, leges eorum recentiores fuiſſe illis *Draconis* et *Solonis*. Vidimus iam, ex *Ariſtotele*, fuiſſe, qui *Zaleucum* facerent diſcipulum *Thaletis; Thaletem* cogitantes *Cretenſem,* qui CCC. circiter ante tempus *Solonis* annis viguit: ſed *Suidas*, aut auctor, quem ſecutus eſt, quum *Thaletem*, *Cretenſem*, et *Thaletem*, *Mileſium* philoſophum, permiſcuiſſet, conſequens fuit, vt eum *Soloni* poſtponeret. Ac, de loco *Suidae*, vera fortaſſe haec coniectura eſt: ſed alter ille *Stephani* quemadmodum expediri debeat, difficile dictu eſt. Nec enim ipſe *Plato* et *Ariſtoteles* ſinunt, admitti vulgatam ſcripturam, ἐν Ἀθήνησι; nam, de hoc *Charonda*, differentes, legislatorem eum faciunt, in quibusdam *Siciliae* et *Italiae* ciuitatibus, ſed nihil, de eius legibus, *Athenis*, dicunt. Adde, quod ἐν Ἀθήνησι, vt in omnibus libris editis et MSS. eſſe videtur, *Graecum* non eſt, nam dicitur Ἀθήνησι, ſine praepoſitione; vt in id inquirentibus patebit. Atque his confirmari videtur ſuſpicio erroris, per quem *Hermolaus*, auctor epitomae *Stephani*,

aut alius, qui eum descripsit, lapsus, posuit ἐν Ἀθήνησι, pro ἐν Σικελίᾳ. Attamen, famosas fuisse leges *Charondae*, si non viguisse, *Athenis*, testimonio patet *Hermippi*, probati auctoris, in libro de *Legislatoribus*, (v. *Athenaeus*, p. 619. Ἕρμιππος ἐν ἕκτῳ περὶ Νομοθετῶν); qui, *Charondae* leges, tradidit, solitas fuisse, *Athenis*, cantari inter pocula: Ἤιδοντο Ἀθήνησιν οἱ Χαρώνδου νόμοι παρ' οἶνον. Nam ipsa libri inscriptio indicio est, ΝΟΜΟΤΣ hic non dici *cantus*, vt Ὀλύμπου νόμους, Μαρσύου νόμους, sed vere, *leges*. Quaerit *Aristoteles*, Probl. XIX. 28. *Cur cantus dicerentur* Νόμοι? ac respondet, *An, quia ante vsum literarum, leges suas canerent homines, ne eas obliviscerentur? vt adbuc mos est* Agathyrsis. Qui locus, vt opinor, multum ad ea, quae, de *Charonda*, quaerimus, expedienda, profecerit. Nam, si leges *cantatae* fuerint ante *literarum* cognitionem, vt dicit *Aristoteles*; et, si *Charondae* leges *cantatae* fuerint *Athenis*, vt *Hermippus* dicit: consentaneum erit et consequens, vt ante fuerint cantatae *Athenis*, quam latae sint *Solonis*, aut *Draconis*, leges, quae in ligneis tabulis inscriptae erant, et in conspectu omnium positae. Atque, hac ratione *Charondae* leges cantatas fuisse, aequum est, censeri, CC. ante annis, quam ipsum *Thuriorum* nomen fuerit auditum. Praeterea consequitur, eius leges conscriptas fuisse versibus, aut numero, cantui apto; nam ceteroquin, qui *canerentur* inter pocula, equidem non intelligo. Et, quo pateat, non aberrare a coniectura hanc suspicionem, est, apud *Strabonem* locus, quem silentio praetermisit vir doctus, qui in eum commentatus est; sed, hac coniectura, explicatu facilis erit. Mazaceni, *in* Cappadocia, inquit, p. 539. *vtuntur legibus* Charondae, αἱρούμενοι καὶ Νομῳδὸν, *et constituunt, qui suas* LEGES CANAT, *qui apud eos legum interpres est, vt iureconsulti apud* Romanos. Quid autem, quod leges *Charondae* requirerent *cantorem legum*, Νομῳδὸν, nomen et munus, nunquam commemoratum, nisi hoc in loco *Strabonis*? Nisi quid peculiare habuerunt, quod, cum aliae leges sermone soluto essent, eae versibus fuerunt conscriptae, et *canendae* a populo. Vt exemplo pateat, quemadmodum eae potuerint cani *Athenis*; vna ex Legibus *Charondae*, vt refert *Diodorus*, p. 79. fuit, Περὶ τῆς Κακομιλίας, *de Praua consuetudine*. Iam scolion habuerunt *Athenienses*, quod canerent παρ' οἶνον, inter pocula (*Arist.* et schol. p. 356. *Athenaeus*, p. 695.)

Ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει·
Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγη χάρις.

Numerus neglectus est in vulgatis *Athenaei* exemplis, sed similis est illi *Alcaei* et *Horatii*;

Nullam, Vare, sacra vite prius feueris arborem.
Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.
Iam, si, in loco Ἀδμήτου λόγον, dixeris hoc;
Χαρώνδου νόμον, ὦ ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει.
habebis ipsam legem, de qua agit *Diodorus*, *de praua consuetudine*. Sed exstat adhuc vna de Legibus eius, versibus concepta, licet ab ipso *Charonda* non sit, sed aliquo poetarum comicorum (*Diodor.* p. 80.)

Τὸν νομοθέτην φασὶ Χαρώνδαν ἔν τινι
Νομοθεσίᾳ τά τ' ἄλλα καὶ ταυτὶ λέγειν·
Ὁ παισὶν αὐτοῦ μητρυιὰν ἐπεισάγων,
Μήτ' εὐδοκιμείσθω, μήτε μετεχέτω λόγου
Παρὰ τοῖς πολίταις· ὡς ἐπείσακτον κακὸν
Κατὰ τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων πεποριςμένος.
Εἴτ' ἐπέτυχες γὰρ, φησι, γήμας τὸ πρότερον,
Εὐημερῶν καταπαυσον· εἴτ' οὐκ ἐτέτυχες,
Μανικὸν τὸ πεῖραν δευτέρας λαβεῖν πάλιν.

Sic versus hi *iambici* legendi sunt, apud *Diodorum*: in libris vulgatis, duo primi versus, pro sermone soluto, sunt accepti, et *Diodori* verba, non poetae, habiti. Sed apparet nunc, pertinere ad reliquos; ac solummodo ταῦτα mutaui in ταυτὶ, causa numeri. Cum ceteris etiam errauit *Grotius*, vir summus (Excerpt. ex Trag. et Com. p. 919.), et, verba soluta esse, opinatus est; atque, ea de causa, versum septimum sic mutauit;

Εἴτ' ἐπετυχες γὰρ τὸ πρότερον γήμας, φίλε;

quod, vt videtur, non assequi potuit, quorsum pertineret φησί: sed iam planum est, referendum esse ad *Charondam*. In vltimo versu, et ei, qui ediderunt, et etiam *Grotius*, admittunt vulgatam scripturam, πείρας δευτέρας, *secundum experimentum:* sed, ea ratione, *Graeca* sibi non constant; nam λαβεῖν non fert casum secundum. Quapropter correxi, πεῖραν δευτέρας, *periculum secundae vxoris*. Esto; si variis his rationibus consentaneum videatur, *Charondae* leges in versus et numerum redactas fuisse, vt cani possent: non opus erit pluribus, ad *Stobaei* auctorem falsi conuincendum. Exempli gratia, haec ipsa lex, quam citaui e poeta comico, his verbis expressa est apud *Stobaeum*, Sermon XLIII. Ὁ μητρυιὰν ἐπιγαμῶν μὴ εὐδοξείτω· ἀλλ' ὀνειδιζέσθω, ὥσπερ αἴτιος ὢν οἰκείας διαςάσεως, *Qui secundum matrimonium init, vt liberis nouerca sit, ignominia afficitor, tanquam auctor domesticae dissensionis*. Poterat hanc legem inuenire scriptor, apud poetam, supra citatum, aut alium quendam auctorem, quem nunc non habemus; atque idcirco eam in suam legum collectionem retulit, quo minus falsa et mentita illa videretur. Sed hos omnes

testor, qui in antiqua poëtica sunt versati; si vllius, cuiuscunque etiam generis sit, numeri vestigia, in verbis, quae exhibuit, appareant. Videtur etiam cognouisse, *Charondae* leges solitas fuisse cani, quod, testimonio *Hermippi* et *Strabonis*, demonstrauimus; concludit igitur sic: Προςάσσει δὲ ὁ νόμος, ἐπίςασθαι τὰ προοίμια τοὺς πολίτας ἅπαντας, καὶ ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ τοὺς παιᾶνας λέγειν, ᾧ ἂν προςάσσει ὁ ἑςιάτωρ, ἵνα ἐμφυσιοῦται ἑκάςῳ τὰ παραγγέλματα· *Lex iubet omnes ciues, discere haec prooemia; et in festis post hymnorum cantum, eum, cui id negotii det sacrorum antistes, dicere ea; vt leges vnicuique familiares reddantur.* Recte quidem dicit, leges has, quas nobis proposuit, *dictas* fuisse, non autem, *cantatas:* nam nihil in iis inest simile numeri: nec *legum cantorem*, Νομῳδὸν, exigunt, vt verae *Charondae* leges: nec eas *cantassent Athenienses* παρ' οἶνον, inter potandum; nam ipsae *Solonis* leges tantum omnino habent, quod sit simile cantus et versuum. Sed praeterea lector obseruet peculiarem vsum verbi Ἐμφυσιοῦται; quo scriptor, hic, vsus est, ad significandum *naturae deuinctum esse quasi, et familiare.* Et, quo minus, erratum, opinere, librarii esse, idem verbum inuenitur in antecedente pagina: Ἐμφυσιοῦται ἑκάςῳ τὸ κάλλιςον καὶ σπερματωδέςατον τῆς ἀρετῆς. *Vt cuiusque naturae deuinciatur,* quod sit *pulcherrimum, et plurima semina habeat virtutis:* quamvis in vtroque consueta componendi ratio exigat ἐμφυσιῶται. Iam autem in omnibus scriptoribus, quantum quidem reminiscendo recordari possum, aliam omnino notionem habet, *inflatum esse, et tumidum* a Φυσάω, *flo*; sed falsus hic *Charondas* putauit, esse a Φύσις, *natura:* quod barbarum plane est; nam prima syllaba breuis est, in Φύσις, ac prima in Φυσιόω, longa. Hoc, cum quibusdam aliis verbis, pariter in *Charondae*, ac *Zaleuci*, legibus, nec non materia quarumque, fit, vt suspicer, auctorem patria non fuisse *Graecum:* nihil tamen definio; nec secundum alterutram partem pronuntio, in hac quaestione, de duobus legislatoribus. Malo equidem, medius esse, quoad controuersia peritioris opera dirimatur: et, si mei res arbitrii sit, is erit, quem omnes agnoscunt peritissimum, *Ezechiel* SPANHEMIVS, vir illustrissimus.

Postquam haec, de *Charondae* legibus, *Thuriis* non latis, disputatio operarum formulis expressa erat, recordabar locum *Laertii*, cuius ante non memineram. Narrat ille, auctore *Heraclide Pontico*, Protagoram, *sophistam*, *legislatorem fuisse* Thuriis. Ἡρακλείδης, inquit, in Prot. ὁ Ποντικὸς, Θουρίοις νόμους γράψαι φησὶ Πρωταγόραν τὸν Ἀβδηρίτην. Idem, Protagoram dicit, *floruisse*, κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκο-

ϛὴν Ὀλυμπιάδα, Olymp. LXXXIV. eodem tempore, quo *Athenienſium* colonia *Thurios* deducta eſt. Veri admodum ſimile eſt, fuiſſe eum tum *Athenis*; bis enim ibi fuit, nam ſecundum eo venit, ſpatio inter Olymp. LXXXIX. 1. et XXXIX. 3. vt probat *Athenaeus*, p 219. Hoc, vt opinor, validiſſimo argumento eſt eorum, quae, de ficto *Charonda*, diſſerui.

Redeo nunc ad ſcriptorem Cenſurae, eumque, vt ſolet, calumniantem et errantem inuenio. Duas paginas, (p. 45. 46.) impleuit iocis frigidiſſimis, quum ridet, vt opinatur, quod dixerim ego, *Empedoclem* ſcripſiſſe *carmen epicum*; quod nomen, putat, nulli carmini conuenire, niſi *Iliadi*, *Aeneidi*, et ſimilibus. Quid ergo *Athenaeo* fiet, qui *Archeſtrati Gaſtronomiam*, carmen exiguum, de Piſcibus et re coquinaria, EPICVM CARMEN vocat? Ἐπικὸν δὲ, inquit, p. 4. τὸ ποίημα. Quid *Quintiliano*, qui, X. 1. inter poetas EPICOS numerat *Aratum*, *Theocritum*, *Nicandrum? Empedocles* eodem iure nonne poeta *epicus* eſt, atque hi? Quid *Laertio*, *Plutarcho*. aliis, fiet, qui *Parmenidis* Ἔπη ſolent dicere, et *Xenophanis* Ἐποποιΐαν, et *Pythagoreorum* Χρυσᾶ Ἔπη? Quid *Suidae*, qui, *Orpheum*, tradit, Ὠοθυτικὰ ſcripſiſſe, Ἐπικῶς, et, *Timotheum*, de *Quadrupedibus*, *Auibus*, *Piſcibus*, cet. Ἐπικῶς; et *Tribonianum*, in *Ptolemaei Canon*. Ἐπικῶς? Nonne haec carmina *philoſophica* erant, perinde atque ea *Empedoclis*? Quid autem fiet *Ariſtoteli* (Nicom. VII. 3.), *Plutarcho*, (de Aud. Poet.), *Simplicio* (ad Phyſ. *Ariſt.* p. 7, et 258.), qui *Empedoclis* carmina ΕΠΗ nominant? Quid enim, obſecro, intereſt inter Ἔπη vel Ἐποποιΐα, et Ποίημα Ἐπικόν? Apparet ex *Athenaeo*, eandem omnium eſſe virtutem; nam, quod alio in loco Ἐπικὸν ποίημα, carmen *Archeſtrati*, in alio (p. 104.) Ἐποποιΐαν, dicit; in alio (p. 335.), auctorem vocat Ἐποποιόν. Sed, qualis haec *Boylei* calumnia ſit, videamus. *Si quid*, inquit, p. 45. Bentleius, *relatum*, *legit*, *de* Empedocle, *carminis epici auctore*, *de eius ſcriptis plus*, *quam* Laertius, *nouit*, *qui tam abſurde fecit*, *vt ſilentio id praetermiſerit*. Dignum vero hoc, quod exeat ex ore tanti doctoris ſenſuum et ſtili. Si iſtud carmen epicum *non nouit Laertius*, qui *abſurde* fecit, quod non meminit eius? Hoc explicet *Boyleus*, cui ſaltem ratio reddenda eſt ſtili libri ſui. Sed fortaſſe adiutor eius, *qui libros eius gratia conſuluit*, culpandus eſt, et, proximo tempore, quum eum viderit *Boyleus*, iure cum eo poterit expoſtulare, quod, de *Laertio*, ſibi impoſuerit. Is enim (in Emped.), inter alia carmina *Empedoclis*, numerat ΞΕΡΞΟΥ ΔΙΑΒΑΣΙΝ, *Expeditionem* Xerxis; quam dein ΠΕΡΣΙΚΑ vocat. Atque ipſe *Boyleus* dicat, an non iſtud carmen fuerit *epicum*, ſuo ipſius ſenſu ac-

cepto nomine. Addit quidem *Laertius*, *Empedoclis* fororem dici, carmen iftud combuffiffe. Sed hoc nihil ad rem: prouocauit enim me *Boyleus*, qui teftimonium vllum proferrem, de *Empedocle*, carminis epici *auctore:* quod nunc a me factum Imo, nifi exemplaria *Ariftotelis* nos fallunt, exftabat adhuc, eius tempore, iftud carmen *epicum;* nam, Probl. XXI. locum inde citat (Ἐμπεδοκλῆς ἐν τοῖς Περσικοῖς),

Ἄλφιτον ὕδατι κολλήσας —

Attamen fateor, pro Περσικοῖς, ibi, malle me, legere Φυσικοῖς; vt ante me alii; quod idem citatur ab eo, alio in loco (Meteor. IV. 4.), ex *Empedoclis Phyficis* (Ἐμπεδοκλῆς ἐν τοῖς Φυσικοῖς) atque ipfa fententia ei fubiecta, *farina aqua fubacta*, indicio eft, pertinere ad *Phyfica* potius, quam expeditionem *Xerxis*.

Sed eane ignorantia effe Bentleius, inquit *Boyleus*, p. 45. *vt opinetur, vnumquodque largum hexametrorum exemplum effe carmen epicum?* Vtrius ignorantia fit, et haec, et futurae aetates, iudicium fecerint. Sed planum eft, opinari *Boyleum, Empedoclis Phyfica* fuiffe modo *largum exemplum verfuum*. Attamen eum docere potuiffet *Laertius*, conftitiffe ea Phyfica 5000. verfibus, i. e. duplo amplius eorum, qui funt in cunctis *Georgicis Virgilii*. Imo, libris diftincta erant, et eorum PRIMVM et SECVNDVM citat *Simplicius* (Phyf. *Arift*. p. 34.); Ἐμπεδοκλῆς ἐν πρώτῳ τῶν Φυσικῶν· et (p. 86.), Ἐμπεδοκλῆς ἐν δευτέρῳ τῶν Φυσικῶν. Non rectius fentire videtur *Boyleus*, de *Empedoclis* ΚΑΘΑΡΜΟΙΣ, opere de *Expiationibus:* comparat enim id cum *Theocriti Pharmaceutria;* quafi inter fe fimili fuerint magnitudine et argumento. Iam autem, in hoc verfus duntaxat funt 166: in illo fuerunt, vt dicit *Laertius*, 5000. non igitur ex omni parte conuenit prior haec ratio comparationis? Quod ad argumentum attinet, *Pharmaceutria Theocriti* non eft, nifi cantio veneficae, magicis artibus virum delinientis: quid autem ei commune cum Καθαρμοῖς, *Expiationibus*, *Empedoclis?* quibus, aut populi et nationes peftem, terrae motum, prodigia, aut priuati mala, fomnia, caedes, expiabant: vel potius (fi verum eft, quod dicit *Boyleus*, p. 47. *Argumentum eius operis maxime fumtum effe a* Pythagoreis), Καθαρμοὶ funt purificationes animi, ad morem *Pythagoreorum;* quae toties commemorantur ab *Hierocle*, *Iamblicho*, aliis. Pergit *Boyleus*, *Effe nobis largum eius fragmentum, infcriptum* Agrigentinis, *ciuibus ipfius; vt argumentum non fuerit altius, quam expofitio, quam ciuibus fuis faceret, futurum rerum: non ergo* Dorica *dialectus conuenire poteft exiguis carminibus, quae mediocris conditionis homines attingant?* Opinatur fragmentum

hoc diuersi esse operis a Καθαρμοῖς, quum *carmen* sit *exiguum*, vt ait, *Agrigentinis* inscriptum: quamquam *Laertius* bis dicit, fragmentum esse Καθαρμῶν, cuius operis principium hoc,

Ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄςυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος
Ναίετε —

Vt liber 5000. versuum rursus abierit in *carmen exiguum*. Dein, ex primis eius versibus concludere velle, *argumentum totius non fuisse*, *nisi expositionem*, *quam ciuibus suis faceret*, *suarum rerum*, perinde est, quasi, ex primis versibus *Georgicorum* ducto argumento, contendere velis, eorum argumentum non esse, nisi expositionem, quam *Maecenati* fecerit *Virgilius*, suarum rerum.

Vt demonstret, *Phalaridis* Epistolas posse scriptas fuisse primum *Dorice*, sed deinde *conuersas*, instat (p. 53.) operibus *Perictyonae*, *Aristoxeni* et *Zaleuci*, trium *Pythagoreorum*, *quos* Dorice *scripsisse*, *veri simile sit; tametsi tempore* Stobaei *pars operum vnius*, Ionica, *ea autem reliquorum*, *dialecto communi*, *fuerint*. Quod nunc ad *Zaleucum* regem attinet, demonstraui supra, eum non fuisse *Pythagoricum*, et scripta, ei attributa, falsa esse: ac secundus, *Aristoxenus*, primum quidem discipulus fuit *Xenophili*, *Pythagorei*, ac Vitas conscripsit *Pythagorae*, et successorum eius; sed dein *Aristotelem* audiuit: nec semet in *Pythagoreis* numerauit, vt apparet ex *Laertio* et *Diodoro*. *Vltimi* Pythagoreorum, inquit *Laertius*, in Pyth. *fuerunt* Xenophilus, *et quinque alii*, *quos vidit* Aristoxenus. Ac *Diodorus*, p.386. Τῶν Πυθαγορικῶν φιλοσόφων τοὺς τελευταίους, *Vltimos* Pythagoreorum, collocat ad Olymp. CIII. 3. i. e. ante mortem *Aristotelis* annis XLIV. quem *Aristoxenus* exspectabat, successurum; sed ei antelatus fuit *Theophrastus*. Cur ergo *Dorice* scriberet *Aristoxenus*, qui, et *Athenis* degebat, et *Pythagoreus* non erat? Tertius, quem citat *Boyleus*, *Perictyone* est, *qui*, *licet* Pythagoreus, Ionice *scripsit*. Plus semel declarauit *Boyleus*, odisse se *Indicum compilatores*; sed, vt, variis exemplis, iam vidimus, non semper conuenit, eum inter et eius adiutorem. Indicium enim fragmenti huius *Ionici Perictyonae* inest in Indice in *Stobaeum*, si vero legisset auctorem, et non solum Indicem inspexisset, inuenisset, in primo capite, duo fragmenta libri *Perictyonae*, περὶ Σοφίας, et ambo *Dorica*. *Ionicum* igitur commenticium est: cur enim philosophica scriberet duabus dialectis? Sed, vt ingenue dicam, omnia eius fragmenta, falsa et mentita, puto; vt pleraque ista librorum *Pythagoricorum* esse, iusta suspicio est: nam sero demum apparuerunt, et longe post tempora scriptorum, quibus affinguntur. *Porphyrius*, in Commentario MS. in *Ptolemaei Har-*

monica (quem cum maxime *Oxoniae* edi a *Wallisio*, laetus intelligo) locum citat *Archytae Pythagorei*, Οὗ μάλιϛα, inquit, καὶ γνήσια εἶναι λέγεται τὰ συγγράμματα, *cuius scripta maxime vera esse dicuntur*. Pauca reliquorum, talia habebuntur, iudicio peritiorum: et inprimis haec *Perictyonae*, vt falsa, explodentur. Cui enim vnquam ante audita et cognita fuit haec mulier *Pythagorea?* Enumerauit *Iamblichus* mulieres omnes istius sectae, quarum haberet notitiam: nec tamen inter eas talis est. Solus *Stobaeus* est, qui mentionem faciat eius, eiusue scriptorum: ac mihi persuadeo, eorum scriptorem consilium habuisse ea edendi, sub nomine istius *Perictyonae*, quae mater fuit *Platonis*. Decere enim, existimabant, ipsas mulieres philosophorum propinquas, imitatrices facere virorum. Sic, in commenticiis *Epistolis Socraticis*, *Myrto*, *Socratis* vxor, scholam aperit mulieribus. Et, inter scripta *Pythagorica*, liber est (*Stob.* Ecl. Phys. p. 105.) *de Humana Natura*, Αἰσάρας Πυθαγόρου Λευκάνας, quod doctissimus *Canterus* reddit, *Aresae Pythag.* Videtur id accepisse, de *Aresa*, vno e successoribus *Pythagorae*: sed reddendum sic est; *Aesarae Pythagorae F. Lucanae*. Attamen, nec *Iamblichus*, nec *Porphyrius*, nec *Laertius*, vbi filias istius philosophi commemorant, *Aesarae* faciunt mentionem. Est tamen, apud *Photium*, qui eius meminerit: tametsi adeo mendosus locus est, vt ibi euanuerit mulier. *Filii*, inquit, Pythagorae *fuere* Mnesarchus et Telauges; καὶ Σάρα καὶ μυία αἱ θυγατέρες, *et* Sara, *et* Muia, *eius filiae*. Repone, καὶ Αἰσάρα· syllaba AI omissa fuit, quum eadem antecederet, in KAI: vt iam nunc, in numerum mulierum *Pythagorearum* referri, possit haec *Aesara*, ac deleri, *Sara*, nemini vnquam audita.

Respondebo nunc generatim ad p. 54—60. libri *Boyl.* Fuit vir quidam doctissimus, qui, vt *Atticam Phalaridis* dialectum excusaret, mihi obiecit, (*Eurip.* Ed. Cantab. tom. II. p. 523.) Ocellum Lucanum, *patria* Doriensem *licet*, Dorice *non scripsisse*, *vt appareret ex libro eius*, *adhuc exstante*, *de Natura Vniuersi*. Quum autem Dissertationem meam scribebam, obseruabam, *Stobaeum* (Phys. c. 24.) quaedam loca *Ocelli* citare *Dorice*, quae ad verbum legerentur in libro, quem habemus, mutata tantum dialecto: ex quo cognoscebam, totum librum primum fuisse *Dorice* scriptum. Equidem vere dicere possum, memet hoc obseruasse, sine vlla eius, ab alio ante me obseruati, conscientia. Nec, quemquam id fecisse, opinabar, eo ipso, quod *Ocellum Lucanum* opponeret; ex quo apparebat, eum, quamuis plurima legisset, tamen nusquam invenisse hanc obseruationem. Confirmabar praeterea, editione

Ocelli Cantabrigiensi, quam vnam tum in manibus habebam; nam, quod in initio statim ibi notatur, quaestio est, *Quid fuerit causae, quod*, quum *Archytas*, *Timaeus Locrus* et *Theocritus*, Dorica *dialecto sint vsi*, Ocellus scripserit *Attice?* Ad quam nihil omnino respondetur. Nonne haec sufficiebant ad persuadendum alicui, obseruationem nouam esse? Fateor equidem, me non ignorasse, *Vizzanium* quendam edidisse *Ocellum*; sed, quum editor esset non magni nominis (liceat mihi, per editorem *Phalaridis*, sic loqui), non comparaueram mihi librum, nec omnino noueram, eum hoc ante me aperuisse: nec operae pretium esse, existimabam, operas subsistere, iubere, quoad id exquirerem; quia sciebam, editionem *Cantabrigiensem* recentiorem esse ista *Vizzanii*; et veri simile erat, eam habituram fuisse id, si obseruatione *Vizzanii* inuentum fuisset. Praeterquam quod facile animum inducebam existimare, doctissimum Professorem Linguae *Graecae*, auctorem eius, quod esset oppositum, non potuisse, hospitem esse, in editione *Vizzanii*; vt ex eius ignoratione concluderem, id a *Vizzanio* non fuisse animaduersum. Atque ita se res habet de *Ocello Lucano*: eaque tam fideliter relata est, vt, omnibus cordatis, haud iudicantibus odio et inuidia, satisfactum, sperem. Nunc pauca animaduertam in scriptoris Censurae verba, quibus persuadere aliis, voluit, me id, quod, tanquam a me obseruatum, ederem, surripuisse *Vizzanio*, e Praefatione eius. Quibus quum de eo, quod factum est, cuiusque ego conscientiam habeo, agatur, calumniam esse, asseuero; et, singula quemadmodum hic exposita sunt, re vera sic esse. Sed, quae sit eius accusatio, audiamus. *Eadem loca* (p. 57.) *citata a* Vizzanio *et me, apud* Stobaeum *inuenit: Ergo, quod ab eo esset obseruatum, ei surripui ego:* Admirabilis vero argumentatio! Sed ista loca, in *Stobaeo*, non sola sunt, quae occasionem praebuerunt obseruationi? Quod si igitur duorum, non collatis consiliis, esse obseruatio potest, quod, vt opinor, non negabit *Boyleus*, nonne consequitur, vt vterque in ea loca debeat incidere, a quibus solis pendeat obseruatio? Si cum *Vizzanio* conuenissem, in quibusdam causis, quae inciderent, non omnino necessariis ad caput quaestionis; videri posset paulo magis probabile, me eas surripuisse ei: sed, quum obseruatio alius esse potuerit, sine *Vizzanii* opera; citatio eorum locorum, a quibus tota pendet illa, argumento non est, me vsum esse eius opera. Sed vrget porro illud *Boyleus:* (p. 55.) *Dicere* Bentleium, *conuenisse inter eos, qui sectae istius* Italiae *essent*, φωνῇ χρῆσθαι τῇ πατρῴᾳ (*Iamblich.* Vit. Pyth. p. 202.), *vt* LINGVA *uterentur* PATRIA: *quod*, ait, *inuenire se apud* Vizzanium, *qui* IDEM

dicat, et eundem citet auctorem: (*Vizzan.* Praef.) *Tum,* inquit, *quia, Pythagoraeos quoslibet Doricae dialecto studuisse, comperio; tum, quia id Pythagorae suadeant instituta, qui semper idiomatum Graecorum Doricum maxime voluit sectari; vt dicit Iamblichus.* Iam autem, vt pateat, quam sit subtilis disputator, scriptor Censurae, argumento hic eo vsus est, vt *furem* literarium me coargueret, quo plane patet, me non esse istum. Qui enim, apud *Vizzanium inuenire*, poteram, id, quod ibi non est? et qui *idem* ille dicit, qui dicit id ipsum, quod est contrarium? Quod ego dicebam, hoc erat: *Pythagorei Graecos,* qui se in societatem illam adiungebant, quosque iubebant, vti *dialecto patria* (*Iambl.* Φωνῇ χρῆσθαι τῇ πατρῴᾳ ἑκάστοις παρήγγελλον, ὅσοι τῶν Ἑλλήνων προσῆλθον πρὸς τὴν κοινωνίαν ταύτην· τὸ γὰρ ξενίζειν οὐκ ἐδοκίμαζον): *Ocellus* ergo, quum *Doriensis* esset, e *Lucania*, scribere debebat *Dorice.* Hoc, putabam, *Iamblichum* voluisse. Sed ita exhibuit *Vizzanius;* quasi omnes, qui in suam societatem venirent, vti iuberent, lingua patria *Crotoniatum,* quae *Dorica* erat. Iam hoc contrarium eius est, quod volebam ego. Nam, si aut *Atheniensis*, aut *Ion*, nomen in eorum sectam dedisset, vterque debuisset loqui *Dorice*, vt opinatur *Vizzanius:* vt vero ego, vterque patriam dialectum retinuisset. Vtrum *Vizzanius*, an ego, verum sensum *Iamblichi* sim assecutus, non conueniet fortasse inter omnes lectores; nec tamen, affirmare, vereor, consensuros eos esse, in illo, *Boyleum,* quamuis me *furti litterarii* coarguere voluerit, curasse, ne quem vnquam sua suffurandi caperet libido.

Sed, *si quis*, inquiebam, *librum edidisset, patria non conscriptum dialecto, fuisset eiectus e societate.* Qua ratione, inquit *Boyleus* (p. 55.) *non conclusit* Vizzanius. Quid ita? *num cuncta, ad verbum, ex eius prooemio transtuli?* Sed, quadrifariam, rationem reddit *Boyleus*, cur ita non concluserit *Vizzanius.* Primum, *quia huic decreto non obediuit* Empedocles. Nonne, supra, recte obseruatum est a me, Errare esse quodammodo fatale *Boyleo?* Num, alio exemplo, sibi aduerso magis vti potuisset? Nam, re vera, pulsus fuit societate, quod eum librum, ad quem respicit *Boyleus*, scripsit: ac tum (*Laert.* Emped.) lex lata, *epicum* poetam nullum istius temporis, admissum iri in societatem. Dein dicit, *Auctorem Carminum aureorum non scripsisse* Dorice: nec tamen fuisse societate eiectum. Sed potest demonstrare *Boyleus*, viguisse tum societatem, cum primum scriberentur isti versus? Constat, eorum auctorem non fuisse *Pythagoram;* sed, quis fuerit, ignoramus. Nec eorum, credo, mentionem esse factam, nisi post, C. amplius annis ab

extincta ista societate. Multo minoris momenti ea, quam, tertio loco, reddit *Boyleus*, ratio est, *Quod* Iamblichus, *etiam cum haec scriberet de* Pythagoreis, *non notauit mandatum.* Fuit enim *Iamblichus Platonicus*, et non *Pythagoreus*: ac, societas esse, desierat, DC. amplius annis ante eius tempus. Vrget tandem, quarto loco, illud, *Ipsum* Pythagoram *non obtemperasse huic decreto;* nam est eius epistola *Ionice* scripta. Enimuero non obtemperauit ei, vt eius explicat rationem *Vizzanius*; sed, vt ego exposui, obtemperauit; nam eius φωνὴ πατρῴα fuit *Ionica*, quum *Samius* esset. Praeterea, illud dicere *Boyleo* possum, epistolam esse commenticiam; vt, in quamcunque partem accipias, postremum hoc dignum sit eius ingenio, et doctrina.

Restat adhuc vna et altera calumnia, de his *Vizzanii*, quam silentio praetermittere, nolo. *Penuria*, inquit, p. 138. *exemplorum* Vizzanii, *quaeque videbatur esse, exspectatio furti celandi, incitabant* Bentleium, ad librum eius compilandum: quae tam prudenter et vere sunt dicta, vt contrarium eorum inde concludere possis. Vnde enim ista penuria exemplorum, quum bis intra quinquaginta annos typis descripta sunt, et, paruo aere emi, possunt? Vbi autem facilius me in furto deprehensum iri, exspectare, poteram, quam hic, si, re vera, eum compilaueram? Quod primum me obseruasse, putabam, de *Ocello Lucano*, erat: ac non vnusquisque, qui id excutere volebat, primum omnium editiones inspiceret *Ocelli?* Si aptus essem ad furem literarium agendum, paulo compilarem circumspectius; nec, ex vulgaribus *Ocelli* editionibus sumta, tanquam noua, de eo, narrarem. Et, haud dubie, probabile erat, posse furtum, deprehendi; quum appareat, scriptorem Censurae aptum fuisse ad id deprehendendum. Sed, *Nisi*, inquiebam, *ingratum erit, demonstrabo,* Ocellum Dorice *scripsisse.* Hoc aequus lector interpretaretur, quasi vellem, id, quod obseruassem, vix tanti esse, vt gratum esset: sed nullam temere occasionem praetermittit *Boyleus* ostentandi, quam sit ingenio ad iocandum cauillandumque apto, vt, in verbis meis, *speciem* (p. 54.) *hominis, mirum in modum sibi placentis, intueatur.* Nec tamen, ea species, tam clare videri haec potest, quam, in istis *Boylei,* supra; qui, quum tenuem correctionem proposuisset, in libro *Strabonis,* Ἀκράγας Γελώων ἄποικος, pro vulgata scriptura, Ἀκράγας Ἰώνων· quod *Casaubonus* et *Cluuerius,* qui probe nouerant, *Agrigentinos* esse *Geloorum* coloniam, vt erratum auctoris, non librariorum, praetermiserant; quod in quibusdam aliis locis, vbi coloniae *Siciliae* commemorantur, aeque atque in hoc, auctor iste cum reliquis omnibus dissen-

tiat: ſcriptor, inquam, Cenſurae, ſemet admirans, et efferens glorioſa iſta emendatione, *Miror*, inquit, *qui hoc fugerit doctiſſimum et acutiſſimum* Caſaubonum. Iam autem hic *ſpecies* ſuſpicionis eſt, titulis iſtis ornari *Caſaubonum*, quo magis extollatur ὁ δεῖνα; et, vt indicio ſit, eſſe eum *doctrina non inferiorem, et acumine ſuperiorem*, Caſaubono. Sed quod ad me attinet, tantum abeſt, vt glorier, patefeciſſe me *Doricam* dialectum, ab *Ocello* vſurpatam; vt id praetermiſerim, in ſecunda editione Diſſertationis meae; tametſi re vera meum eſſet, aeque ac ſi a nemine fuiſſet detectum ante. Eiusmodi inuentum eſt modo mutationis, aut, ſummum, ſolius induſtriae; nec opus eſt vllo acumine, aut iudicio: ac denique tam parum habet difficultatis, vt non ſolum *Vizzanius*, ſed etiam *Phalaridis* editor, id obſeruare facillime potuiſſet.

Percurri teſtimonia, quae in hanc cauſam attulit ſcriptor Cenſurae: videamus nunc paucis, quemadmodum ſit ratiocinatus. Summa eorum, quae de poetis, qui patriam dialectum declinauerint, diſſeruit, haec eſt: *Eos vſos* (p. 42.) *fuiſſe ea dialecto, cuius vſus, quum ſcriberent, mos eſſet. Nam in dialectis etiam morem fuiſſe, et principem earum varie ſua habuiſſe tempora, quibus vigeret.* Equidem agnoſco, ſiue *Phalaris*, ſiue *Aeſopus*, ſiue quisquis alius ſit falſus, hoc ratiocinium vere eſſe ipſius ſcriptoris Cenſurae: habet enim peculiarem ſuam notam, et quaſi ſignum impoſitum eo, quod aduerſus ipſummet ſit. Tantum enim abeſt a ratione, cur *Phalaris* vteretur *Attica* dialecto, vt demonſtrationi ſit, non fuiſſe ea vſurum. Quia tempore veri *Phalaridis* dialectus *Attica* nondum in more erat: erat tum nihil ſcriptum ſermone *Attico*, praeter *Draconis* et *Solonis* leges; et vnum alterumue carmen. Inſtiti, de induſtria, hoc loco, contra Epiſtolas, Phalarin *non fuiſſe ſcripturum* Attica *dialecto; inprimis, cum priſcis iſtis temporibus* (vid. Diſſert. p. 29.) *ante, quam fabulis, philoſophia, et hiſtoria celebris eſſet facta per* Graeciam, *pluris ea non fieret, quam reliquae.* Quae verba non tantum indicant, fuiſſe *morem* in dialectis; ſed ipſas cauſas aperiunt, quibus factum ſit, vt in morem introduceretur lingua *Attica*. *Phalaris* itaque nullo modo diſſimulaſſet patriam ſuam linguam, eamque *Atticae* poſtpoſuiſſet tum, quum nec ſcenicus poeta vllus, nec philoſophus, nec hiſtoricus, ea ſcripſiſſet.

Sed deterius etiam rem egit ſcriptor Cenſurae, in iis, quae diſſeruit de ſcriptoribus ſermonis ſoluti; qui patriam dialectum cum alia commutauerunt. Nam *Halicarnaſſenſis Dionyſius*, etſi natus erat in terra *Dorica*, in alia tamen viuebat; et id quidem ſub *Auguſto*, quando *Attica* lingua CCCC. annos iam fue-

rat celebrata. Quid igitur hoc ad *Phalaridis* caussam, qui, quantum constat, nunquam *Sicilia* mouit, et eo tempore vixit, quum *Athenienses* aeque essent indocti, ac vicini populi? Similiter fere reliquorum, quos citat, orationis solutae scriptorum ratio comparata est. Sed instituisset Epistolis familiarium, haud scriptis, vt ederentur, quales erant eae *Phalaridis;* demonstrassetque, istis etiam occasionibus homines a patria dialecto deflexisse; et hoc quidem quodammodo ad rem fuisset. Sed, ne hac quidem in parte defuisse se, dicet; nam, *vt propius accedam,* inquit, p. 43. *est* Dionis Syracusii, *ad* Dionysium *tyrannum, epistola, et pars epistolae* Dionysii, *vtraque conseruata inter* Platonis *Epistolas; et conscripta ea dialecto, quasi vterque, et princeps, et philosophus (verbis* Bentleii *vtor), scholis* Atheniensium *fuisset institutus.* Hic, vt opinatur, me perstringit: sed, vt passim ei solet euenire, suo se gladio iugulat. Nam, vt verbis vtar scriptoris Censurae, re vera scholis *Atheniensium* institutus est *philosophus,* et cum *Platone* et *Speusippo* vixit; et, tametsi *Athenas* se non contulit *princeps,* tamen *Athenae,* vt ita dicam, ad eum se contulerunt; nam *Plato* non tantum, sed multi alii philosophi, eius conuictu fuerunt vsi, *Syracusis.*

Sed, quo pateat *Boyleo,* quantum intersit inter carmina, aut opera philosophica, aut historica, destinata ad publicum vsum; et priuatas epistolas, de rebus domesticis, nec eo consilio scriptas, vt diuulgarentur; tum, argumentum ex dialecto ductum, ab alio genere ad illud non debere trahi; exempli loco, vnum eorum, quos enumerat, *Cretensem Epimenidem* sistam. Demonstrare voluit *Boyleus,* ex verbis D. *Pauli,* carmina huius *Cretensis* poetae non fuisse *Dorica;* sed, quum ipsum falleret hoc argumentum, aliud suggessi melius, quo constaret, *Ionica* fuisse. Nec vero hoc nomine, quod fuerint *Ionica,* falsi coarguere ea carmina, volo: cum iis temporibus ista dialecto, in omni carmine *epico,* vtendi mos fuerit. Nam, vt obseruat *Hermogenes,* p. 315. Ionica *dialectus praedulcis est, et natura carmini apta:* ποιητικὴ φύσει, καὶ ἡδεῖα. Sed si literas huius *Epimenidis* priuatas, lingua *Cretica* non conscriptas proferret; alia plane res esset; nam litteras, vt commenticias, aestimarem, licet carmen non facerem: et id quidem magni exemplum viri secutus. *Fertur,* inquit *Laert.* Epimen. *epistola* Epimenidis, *ad* Solonem, *de statu reipublicae, quam fundasset* Minos Cretensium: *sed* Demetrius Magnes *commenticiam eam coarguere vult, quod non sit scripta dialecto* Cretica, *sed* Attica. Intelliget ex hoc *Boyleus,* argumentum a carmine ad epistolas non valere. Nam *Demetrium* hunc, vt spero, iudicem legitimum agnoscet. Fuit is *Ciceroni* praeceptor rhetoricae, familia-

ris *Pomponii Attici*, et ſummus criticus atque hiſtoricus. Ac, ſi is alienum a viro *Cretenſi* duceret, *Atticas* literas ſcribere, quamuis ad *Athenienſem*; quanto exiſtimandum abſurdius eſt, *Phalarin Siculum* ad alios *Siculos Atticas* ſcribere epiſtolas? Exſtat alia *Epimenidis* epiſtola ad *Solonem*, (ap. *Laert.*) re vera ſcripta *Cretice* vel *Dorice*: nec tamen hoc magis veram eam habebo. Poteſt enim planus plano eſſe prudentior; et omnium ſtupidiſſimus eſt falſus *princeps Siculus*.

XIII.
DE RECENTIORE DIALECTO ATTICA.

Quae de hoc argumento diſputauit ſcriptor Cenſurae, ea duabus partibus comprehenſa ſunt; quarum altera generatim egit de puritate et ſtabilitate linguae Graecae, altera ſigillatim excuſſit ea verba, quae vt indicia exciperem manus recentioris.

In iis, quae generatim differit, primum paginam (p. 69.) omnino complet, vt rem, non auditam ante, magni momenti doceat, linguae noſtrae *Anglicae* maximas fuiſſe mutationes: dein opportune ex me quaerit, (p. 70.) *Num, tantum inter ſe differre, putem,* Luciani *et* Platonis *ſermonem Graecum, quantum* Anglicus, *qui nunc ſit, diſtet ab eo, cuius vſus fuerit ante poſtremos hos centum annos? An non* Homerus *et* Oppianus *multo inter ſe ſimiliores ſint lingua, quam* Chaucer *et* Cowley, *licet tempore longe magis disiuncti?* Quaſi vero vellem, mutationem linguae *Graecae*, ſingulis ſaeculis, quibus viguerit, tantam fuiſſe, quantam *Anglicae*, hiſce poſtremis centum annis: cum planum ſit, comparaſſe me mutationes ſermonis *Graeci*, quae fuerunt ſpatio, inter veri *Phalaridis* tempora et ea ſophiſtae, quod dicebam *mille annorum*, cum illis *Anglici, poſtremis centum annis*. Tum, velut ſophiſta, declamitare, aggreditur, (p. 70.) *cauſas tam fixi et immutabilis ſtatus linguae* Graecae: vbi quaedam translationes ſpecioſae, atque vna et altera polita periodus cernuntur; quod vero ad materiam attinet, ea aut loco aliquo communi deſcribitur, velut calamiſtris inuſto; aut nouo aliquo errato, cui, nunc tandem naſci, contigit, ex fertili ingenio ſcriptoris Cenſurae. Lectoris autem iudicium erit, an, ad ea *Boylei* αὐτῷ τῷ μέτρῳ, id eſt, eius verba inuertam; vbi conſiderauerit ea, quae nunc dicam.

Accuſabam ſcriptorem Epiſtolarum, *quod eas ſcripſiſſet recentiori dialecto* Attica; *non ea, quae in vſu erat veri tempore* Phalaridis; quem ipſe ſcriptor Cenſurae agnoſcit iisdem, quibus *Solonem*, temporibus vixiſſe. Vt, ſi modo, veſtigia quaedam inueniri poſſint, ſtatus, qui fuit tempore *Solonis*, lin-

guae *Atticae*; certum habeamus, verum *Phalarin* eadem ratione locuturum fuisse, si ista vti dialecto voluisset. Exstat oratio, adscripta *Lysiae*, *in Theomnestum* (Κατὰ Θεομνήστου.); quae verane sit, dubitat *Harpocratio*: sed, siue ea *Lysiae* est, siue non, nihil interest ad propositum nostrum; nam nouimus, quo facta sit tempore, atque, isto nomine, *Lysiae* esse, potest. Mortuus est iste orator (*Dionys. Hal.* in Lys.) Olymp. C. 2. aut C. atque, hanc orationem factam fuisse, liquet, triennio, aut quadriennio, ante, Olymp. XCIX. 4. Qui enim habuit eam; Ἐμοὶ μὲν ἔτη, inquit (*Lys.* p. 116.), εἰσὶ τριάκοντα· ἐξ ὅτου ὑμεῖς κατεληλύθατε, εἰκοστὸν τουτί· Φαίνομαι οὖν τρισκαιδεκέτης ὢν, ὅτε ὁ πατὴρ ὑπὸ τῶν Τριάκοντα ἀπέθνησκε. *Sunt mihi anni* XXX. *et hic vicesimus est, ex quo rediistis in patriam: vt, tredecim annorum puerum me fuisse, appareat, quando pater meus interficeretur a triginta tyrannis.* Sic locus vulgo scribitur; sed, si ad rationem veritatis eum perpendamus, vitium in eo inesse, patebit. Nam (*Diodor.* et al.) triginta tyranni primum fuerunt Olymp. XCIV. 1. ac, metu eorum, dimidia pars *Athenensium* patriam suam reliquit: tum, Olymp. XCIV. 4. eiecti sunt XXX. tyranni, quique *Athenas* reliquerant, κατεληλύθησαν, *redierunt.* Quod si igitur is, qui habuit hanc orationem, annos habebat XXX. anno a reditu *Athenienfium* vicesimo; non poterat esse tredecim natus, nec supra decem, quum patrem interficiebant XXX. tyranni. Sed, quemadmodum corrigendum sit, consequens oratio indicat, quae *secunda in* Theomnestum inscribitur (*Lys.* p. 119.), sed re vera, nihil aliud est, quam ruditer delineatum alterius exemplum: vbi aetas hominis sic describitur: Ἔτη ἐστί μοι δύο καὶ τριάκοντα, ἐξ οὗ δ' ὑμεῖς κατήλθετε, εἰκοστὸν τουτί· Φαίνομαι οὖν δωδεκαέτης ὤν, ὅτε ὁ πατὴρ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀπέθνησκεν. *Annos nunc habeo* XXXII. *et hic vicesimus agitur, ex quo rediistis: vt annos habuerim* XII. *quum a triginta interficeretur pater meus.* Iam autem haec ratio historiae et veritati consentanea est: nam, si annus secundus et tricesimus hominis incidit in XX. a reditu *Athenienfium:* tum duodecimus eius incidit in vltimum XXX. tyrannorum: et isto anno, existimandum est, patrem eius interfectum. Vt, in altera oratione, pro ἔτη λ'. legendum sit, ἔτη λβ'. et ιβέτης pro ιγέτης; numeri enim, cum notis scriberentur, facile permisceri potuerunt. Ad summam igitur, vt supra monui, oportet, scripta sit haec oratio Olymp. XCIX. 4. id est CCXIII. anno a magistratu *Solonis*, quando faceret corpus suum legum. Iam, legibus *Atticis*, si quis alium dicebat ἀνδροφόνον, *homicidam*, crimen id erat, vt is, qui hanc causam orauerit, actio-

nem instituerit aduersus *Theomnestum*, quod diceret, *se patrem interfecisse*, Τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι. Excipit reus, quod non vocauerit Ἀνδροφόνον, quod verbum nominatim prohibitum esset lege. Sed alter refert, sententias legum spectandas esse, aeque ac verba: *Nam etsi res* (*Lys.* p. 118.) *manent eaedem; tamen*, inquit, *iisdem, quibus maiores nostri, verbis saepe non vtimur.* (p. 117.) *Recitantur quaedam ex veteribus* Solonis *legibus.* ΔΕΔΕΣΘΑΙ ΕΝ ΤΗΙ ΠΟΔΟΚΑΚΗΙ. *Hic, quod* ποδοκάκη, *tempore* Solonis, *nunc*, Τὸ ξύλον, *dicitur.* ΕΠΕΓΓΥΑΙΝ ΕΠΙΟΡΚΗΣΑΝΤΑ ΤΟΝ ΑΠΟΛΛΩ· ΔΕΔΙΟΤΑ ΔΕ ΔΙΚΗΣ ΕΝΕΚΑ ΔΡΑΣΚΑΖΕΙΝ. *Est hic* ἐπιορκεῖν, *quod nunc dicimus* ὀμόσαι; *et* δρασκάζειν, *quod nunc* ἀποδιδράσκειν. ΟΣΤΙΣ ΑΠΙΛΛΗΙ ΤΗΙ ΘΥΡΑΙ. *Est* ἀπίλλειν, *pro quo nunc dicimus* ἀποκλείειν· ΤΟ ΑΡΓΥΡΙΟΝ ΣΤΑΣΙΜΟΝ ΕΙΝΑΙ. *Hic*, στάσιμον *non valet* ζυγῷ ἱστᾶναι, *sed*, τόκον πράττεσθαι. ΟΣΑΙ ΠΕΦΑΣΜΕΝΩΣ ΠΩΛΟΥΝΤΑΙ ΚΑΙ ΟΙΚΗΟΣ. *Hic*, πεφασμένως *est, quod nunc* φανερῶς; *et*, πωλεῖσθαι, *quod nunc* βαδίζειν, *et* οἰκῆος, *quod nunc* θεράποντος: *sunt autem multa alia huius generis.* Obseruet lector postrema verba *Lysiae*; *Esse multa alia huius generis* (πολλὰ δὲ τοιαῦτα καὶ ἄλλα ἐστίν); intelliget tum, quantum *Attica* lingua, spatio, *Solonem* inter et *Lysiam*, fuerit mutata. Quaedam eorum verborum, quorum hic meminit orator, *Solonis* ab aliis quoque notantur: Ποδοκάκης, e *Solonis* legibus, mentionem facit *Demosthenes*, c. Timocr. et, Πεφασμένως πωλοῦνται, *Plutarchus*, in Solon. quod, vt *Lysias*, interpretatur, Ἐμφανῶς φοιτῶσιν. Et, si numeri talium verborum obsoletorum in reliquis fragmentis, quae supersunt, Legum *Solonis*, dispar ratio est; eius causa est, quod scriptores non ipsa verba citant, sed tantum sententiam, iis subiectam, exprimunt. Sicut *Plutarchus*, quum (Solon.) legem refert, *qua ei, qui*, βιάσηται, *vim faciat liberae mulieri, centum drachmarum multa irrogatur:* ex *Hesychio* nouimus, v. Βινεῖν, verbum, quo vsus sit *Solon*, non fuisse Βιάσασθαι, sed Βινεῖν. Sed, alio in loco, vbi dicit, se legem citare αὐτοῖς ὀνόμασι, *ad verbum* (Solon.), ΕΠΙ ΦΟΝΩΙ Η ΣΦΑΓΑΙΣΙΝ, non desunt vestigia veteris linguae, vt σφαγαῖσιν pro σφαγαῖς.

Ex his exemplis, quantum sufficiat, apparere, arbitror, tantam dialecti *Atticae* stabilitatem et constantiam, quantam opinatur scriptor Censurae, non fuisse. Duo tantum saecula *Solonem* inter et *Lysiam* fuerunt: et mutatio aeque magna fere videtur, atque ea, quae fuit nostrae linguae, aequali temporis spatio. Quod enim attinet ad integra verba mutata, id exempla, in medium prolata, plane coarguunt: de orthographia

autem et scribendi ratione, qua praesertim cernitur, quae est inter hodiernam et veterem linguam *Anglicam*, differentia; aeque magnam diuersitatem inter scripturam *Solonis* et eam *Lysiae*, inueniremus, si, ipsas Κυρβεῖς, Tabulas legum eius, inspicere, possemus. Nam tempore *Solonis* clementa literarum *Graecarum* numero omnino fuerunt XVIII. reliquis post inventis ab *Epicharmo* et *Simonide* (vid. supr. p. 132. 133.): et certum habemus, XXIV. omnes publice *Athenis* in vsu non fuisse (vid. *Meurs.* Fort. Att. p. 63. *Vales* ad *Harpocr.* p. 101.) ante magistratum *Euclidis*, Olymp. XCIV. 2. Vt quaedam verba, supra prolata e *Lysia* et *Plutarcho*, a *Solone* scripta fuerint hunc in modum: ΔΕΔΕΣΤΑΙ· ΤΕΙ ΤΗΤΡΑΙ· ΠΗΟΝΟΙ Ε ΣΠΗΑΓΑΙΣΙΝ. Non magis igitur mutationis expers *Attica* lingua fuit, quam reliquae sunt. Imo, existimare licet, magis eam mutatam fuisse tempore medio inter *Theseum* et *Solonem*, quam eo, *Solonem* inter et *Lysiam*, quum illud spatium triplum huius sit. Nouimus enim, *Atticam* et *Ionicam* linguam principio eandem fuisse (vid. Diss. XII.); postea tamen, eas mirum in modum inter se discrepasse, cernimus. Non dubito, quin *Iones*, quorum coloniae *Atticae* fuerunt, sensim linguam mutauerint, aeque atque *Athenae*, communis eorum mater. Docet enim *Herodotus*, I. 142. Iones *quatuor formas et quasi notas diuersas loquendi habuisse*, Χαρακτῆρας γλώσσης τέσσαρας: vt, eorum linguam, pateat, quoque a veteri *Attica* deflexisse. Verum tamen obseruandum est, varia ex istis verbis obsoletis *Solonis* esse, quae nunc dicamus *Ionica*: vt πωλοῦμαι, pro βαδίζω, in *Homeri* libris est,

Οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν.

Similiter Οἰκῆος, pro θεράποντος, duplici ratione *Ionicum* est; et nominis totius, et terminationis ῆος pro έως; et hoc quoque aliquoties reperitur apud *Homerum*,

Ἐξ ὕπνου γοόωσα φίλους οἰκῆας ἐγείροι.

Atque hoc illustrat *Dionysii Halicarn.* verba, iisque illustratur mutuo, quum ille, plane in rem nostram, dicit, *Dialectum* Atticam *veterem parum differre ab* Ionica (*Dionys.* de Thucyd. p. 147. Μικρὰς τινας διαφορὰς). Haec iam vt adhibeamus ad Epistolas *Phalaridis*; quaerere velim ex earum admiratoribus, an dialectus *Attica* ibi secundum exemplum *Solonis* sit: vt haud dubie esset, si eas scripsisset tyrannus? Num nominum declinatio ad normam dialecti *Solonis* exacta est, Αισι pro αις, et ηος pro εως? An verba ibi antiquata sunt, qualia πωλεῖσθαι, δρασκάζειν, πεφασμένως, *cet.*? Nihilominus tamen vis, quibusdam eorum subiecta, ibi cernitur, sed recentiori loquendi more expressa. Quamuis, si consideremus, quod

Lysias, Πολλὰ τοιαῦτα, MVLTA *talia*, dicit, *in* Solonis *legibus fuisse;* fatendum sit, veras *Phalaridis* Epistolas eiusmodi verbis plenas fuisse, qualia fortasse peritiori etiam magistro, (si modo is est) quam nouissimo commenticiarum editori, negotium dedissent.

Videtur scriptor Censurae, persuadere nobis velle, *Atticae* dialecti tam fixam et stabilem naturam fuisse, vt, certis temporum spatiis eam distinguere velle, vanum sit. Sed aliter ipsi *Graeci* existimabant. Si linguae suae tanta ipsis, quanta *Boyleo*, scientia concedenda est. Quidam eorum tam subtiles erant, vt spatio, a *Solone* ad *Lysiam* vsque, dialectum mediam distinguerent. Auctor *Dionysius Halicarnassensis* est (Lys.), Lysiam *optimum fuisse* Atticae *linguae expressorem, non veteris istius, qua vterentur* Plato *et* Thucydides, *sed eius, cuius sua aetate esset consuetudo.* Vt hic tres formae figuraeque Linguae *Atticae*, specie dispares, duorum saeculorum comprehensae sint spatio; nam, planum esse, opinor, *Thucydidis* linguam tantum differre ab ea, quae in *Solonis* legibus, quam ab hac, quae in orationibus *Lysiae*, cernitur. *Demetrius Magnes*, loco supra citato, epistolam, *Epimenidi* adscriptam, ad *Solonem*, commenticiam esse, dicit, *quod sit lingua* Attica, *atque noua, conscripta* (*Laert.* in Epimen. Γεγραμμένην Ἀτθίδι φωνῇ, καὶ ταύτῃ νέᾳ). In locum *Epimenidis*, substitue modo *Phalarin;* erit id ipsum, cuius accusauerim ego scriptorem Epistolarum. Vixerunt iisdem temporibus omnes, *Epimenides, Solon*, et *Phalaris;* ac, si, *Epimenidis* epistolam falsam esse, apparet, quod noua lingua *Attica* scripta sit, consequens est, reiiciendas esse istas *Phalaridis:* nec enim, notitiam recentioris dialecti *Atticae* habere, *Demetrius* potuit, quam illius, in Epistolis *Phalaridis*. Imo nihil in scriptis *Graecorum* celebre magis, quam haec, in veterem et nouam linguam *Atticam*, distributio (Ἀρχαία καὶ νέα Ἀτθίς); vt apparet ex *Etymolog. M.* Eustathio, *Prolegom. ad* Aristoph. Synesio *de Insomniis, cet. Lingua* Attica, inquit *Lucianus*, de Apoph. (Πολλὰ ἐκτρέψαντων) *tempore, varias mutationes habuit, sed verbum* Ἀποφρὰς *semper mansit in vsu.* Tantum aberat ab opinione *stabilitatis* eius, quam fingit scriptor Censurae.

Causae mutationum, in *Attica* lingua, non tam reconditae abstrusaeque sunt, vt non, minore etiam, quam *Boyleus*, dexteritate, facile eas cognoscas. Si enim multitudinem hominum, vndique in istam ciuitatem confluentium, si ingentem, ex omnibus terrae partibus, seruorum numerum; si inquilinorum; si bella continua, foris gesta; si exercitus, qui plerumque alebantur domi, mercenarios; si mercaturam deni-

Quarum linguarum *nos*, i. e. ſcriptor Cenſurae et eius adiutor, *notitiam habeant*, ignoro; atque adeo nihil eſt, quod his opponam. Sed, quum dein addat, (p. 71.) *Nullam linguam, cuius publicus vſus fuerit*, tam diu duraſſe, quam *Graecam*; et, haud dubie, (p. 73.) *linguam eſſe eam, cuius conſuetudinem omnium diutiſſime tenuerint homines*; rectius feciſſet ſcriptor Cenſurae, ſi *linguam tenuiſſet ſuam*, quam ſi tam cruda et falſa effutiuiſſet. Nam ex nominibus hominum et locorum propriis, quorum mentio in ſacris libris ſit, ante diluuium *Noachicum*, ne aliis argumentis inſiſtamus, conſtat, *Hebraeam* fuiſſe primam hominum linguam; eiusque vſum pure manſiſſe in tria millia amplius annorum, ad captiuitatem vsque *Babylonicam*. Quin a tempore latae legis *Moſaicae* ad oraculum per *Ezechielem* editum anni numerantur DCCC. attamen vtriusque lingua ſcriptoris eadem eſt. Quid habet lingua *Graeca*, quod, ſiue conſtantiam, ſiue integritatem ſpectet, huic opponat ſcriptor Cenſurae? Addam adhuc alius exemplum linguae, *Syriacae* ſcilicet. Docet ſcriptura ſacra, *Labanem Syrum*, quum pactum faceret cum *Iacobo*, genero ſuo, cumulum lapidum, quod, ad morem iſtorum temporum, eius rei monumentum collocabatur, vocaſſe יגר שהדותא, *Igar Sahdutha*, *cumulum teſtimonii* (Geneſ. XXXI. 47.): quod, ex *Veteris* et *Noui Foederis* interpretatione *Syriaca* nouimus, pure *Syriacum*, et in communi vſu, manſiſſe in MM. annorum; imo eadem lingua, conſeruata adhuc eſſe, dicitur, et vigere apud *Maronitas*, in monte *Syriae Libano*; vt lingua *Syriaca* ſteterit in 3400. amplius annorum, cum parua aut nulla mutatione.

Valde declamitat ſcriptor Cenſurae (p. 70.) *dulcedinem et ſuauitatem, numerumque ſermonis Graeci*; eamque cauſam fuiſſe, notat, ſtabilitatis eius. Sed ad eam rationem alia ei habenda declamatio erit, de *dulcedine et ſuauitate* linguarum Orientalium, ſi quidem multo viguerunt diutius. Sed vera cauſa tam diu continuatae conſuetudinis vtriusque, et *Hebraeae* et *Syriacae*, linguae haec eſt, quod nationes iſtae, ſine admiſtione peregrinorum, manſerunt: ac diuturnus linguae *Graecae* vſus, licet idem integritatis et ſtabilitatis eius gradus non fuerit, qui duarum reliquarum, ſimilem cauſam habet. Nam ad tempora *Alexandri* vsque, bella et negotia *Graecorum* pleraque inter ipſos gerebantur, non cum exteris nationibus. Vt, quamuis, mutuis victoriis et commerciis, peculiarium dialectorum crebra mutatio eſſet et variatio, eadem tamen lingua, ad ſummam, maneret. Sed ſimul atque in ditionem *Romanorum* conceſſerunt, nomina *Latina* honorum et formulae iudiciorum, *etc.* linguam veterem *Graecam* oppreſſerunt;

Graecae, commentatus est *Boyleus;* in quibus tam sinistre egit, tam paruo cum ingenio, quam si imitari voluisset *Margiten Homericum*,

Ὃς μὲν ἐπίςατο πολλὰ, κακῶς δ' ἠπίςατο πάντα·

qui multa nouerat, sed omnia male. Sed venio ad ea, quae oppoluit (p. 208, 209, 210, 211.) speciatim, de *Phalaridis* recentiore lingua, a me disputatis.

I. Quod primo in loco collocaui, sumtum ex ep. I. (CVII.) προτρέπω, *accuso*, est: ad quod se respondisse, opinatur fortasse *Boyleus*, dissertatione quatuor paginarum. Sed si libere mihi liceat dicere, quod sentiam, calumniae sunt tam frigidae, tam etiam infra ipsummet (*quum hoc dico, humane loquor* (p. 54.): vt suum ipsi vrbane dictum referam), vt lectoris patientia abuti nolim iis diluendis, quum insulsae sint totae. Reddidit ille προτρέπω, *hortor:* sed notaueram, hoc in loco, nec sententiam, nec constructionem verborum, ferre hanc interpretationem Ac de constructione, ne vllum quidem exemplum proposuit, siue *Graecum*, siue *Latinum*, verbi προτρέπω, virtute *hortandi*, cum tertio casu iuncti, vt hic. Nihilominus tamen contendit, sententiam loci istam verbi notionem admittere. Vt debitum ei praeconium tribuam, breuissima via institit ad disputationem finiendam: nam is, qui talia dicit, refutari non vult. Etiamsi dixero, gramen viride esse, aut niuem albam, habebit tamen, quod contra cauilletur aduersarius meus, nam si os perfricuerit, idque negauerit, haud equidem scio, quibus illum argumentis refellam. Similiter, si doctus scriptor Censurae etiamnum contenderit, reddendum esse *hortari:* non habebo, quod vrgeam amplius, sed oportebit, eum sinam aut risui esse, aut miserationi, aut admirationi lectorious eius, pro eo, quo quisque aduersus illum est, animo.

Notaueram, *in Latina interpretatione* Phalaridis, *falso adscripta* Cuiacio (nam vtrique, et *Graeco*, et *Latino*, exemplo libri, euenit, vt falsis auctoribus assignarentur), προτρέπειν, reddi *accusare;* vt, ex eo, potuisset, veram huius loci sententiam discere *Boyleus:* sed accidit, *vt ista editio, licet in bibliotheca, quae* Oxoniae *est, publica inueniatur, per omne tempus incognita iaceret nouissimo nostro editori, qui ibi degeret.* Tum acerbissime in me inuehi *Boyleus; Esse magis ignominiosum mihi, quam iudicio destitui: Esse me perfricti oris hominem, qui tam audacter dicam id, quod scire non possim; qui vultu impudenti obruere se velim, ac, nunquam vidisse, dicam, id, quod saepe vidisse se, sciat ipse, et in manibus habuisse* (id est, ante quam absoluisset editionem *Phalaridis*): ac tandem asseuerat, *Editio-*

nem Cuiacii *re vera esse vnum ex iis exemplis, typis editis, ad quae in Praefatione respiciat.* Est vero quaestio haec tenuis admodum, ac vereor, ne sit, quem, etiamsi lenissime tangatur, tamen id pungat vehementer. Delicatissima res est existimatio, quae si semel laesa est, non facile reparari potest. Nolo equidem meum hoc facere iudicium, sed, *Boyleum* inter et me, arbiter erit lector. Verba, in Praefatione eius, haec sunt: *Versiones duae sunt, altera a* Naogeorgo *edita, anno* 1557. *altera a quodam, vt videtur, Iesuita, in vsum scholae Soc. Ies.* 1614. *Iesuita in dictione non inornatus est, sed laxus nimium et effusus; quo fit, vt ab auctoris stilo semper alienus sit, saepe etiam sensu dispar. Exstat etiam versio* Francisci Aretini. Iam fatendum est, quum primum ederem meam Dissertationem, me non vidisse eam editionem *Iesuitae*, de qua hic loquitur *Boyleus;* habere autem eam, opinabar, peculiare exemplum *Latinum.* Nam in eo, quod dixerat *Boyleus*, acquiescebam, *Iesuitam id fecisse*; ac proinde esse non posse idem, quod *Cuiacii.* Igitur concludebam, eum nunquam vidisse *Cuiacii* exemplum: quod nominatim dixerat, se tribus duntaxat vsum fuisse, *Naogeorgi*, *Iesuitae*, *Aretini.* Vbi iam *os* meum *perfrictum* est, quod, eum, dicerem, non vidisse editionem *Cuiacii?* qui *scire id non poteram?* Putabam, recte me argumentari, et ex dialecticae praeceptis; redigam autem in conclusionem, vt videat *Boyleus*, an cum sua formula dialecticae conueniat:

Boyleus tribus tantum exemplis *Latinis* vsus est, vno a *Naogeorgo* facto; altero a *Iesuita*, tertio ab *Aretino.*

Sed nec a *Naogeorgo*, nec a *Iesuita*, nec *Aretino* factum *Cuiacii* exemplum est.

Boyleus igitur exemplo *Cuiacii* non vsus est.

Si tam mihi *ignominiosum*, tam *perfricti oris* sit, hac argumentatione concludere velle, *Cuiacii* editionem tum incognitam *Boyleo* fuisse; hoc magis iacebunt mihi omnes formulae dialecticae, ne illa *Boylei* quidem excepta. Suspicabar praeterea, editorem non vidisse istam editionem, in bibliotheca publica: quia, in indice, non commemoratur ad nomen *Phalaris;* sed ad *Epistolae* et *Cuiacius.* Vt is, qui aliunde istam editionem non cognoscat, eam in isto indice inuenire non possit, nisi plura loca conferat, aut totum perlegat. Similiter credebam, *Boyleum non vidisse editionem* Aldi, quod ibi contextus orationis variis in locis emendatior est, quam in ea, quam *Boyleus* secutus est. Ea tum mihi opinio erat de eius iudicio; vt existimarem, eum non vidisse istas res, quia eas non antetulisset: vt sane tertio mihi argumento erat, non vi-

diſſe eum editionem *Cuiacii*, quod eum non ſequeretur in recte reddendo verbo προτρέπω. Sic tum ratiocinabar ego; ſed, infirmo ſatis fundamento me nixum fuiſſe, nunc ſentio: docuit enim odioſa me experientia, poſſe eum in rebus offendere, quas non videat, et videre, et in manibus habere res, quas non intelligat.

Dixi nunc cordate, et vere, lector, quemadmodum a mea parte ſe res habeat: videamus, an ſimiles integritatis et veritatis notae in *Boylei* verbis cernantur. Dicit cum magno ardore et vehementia, habuiſſe ſe *prae manibus* et editionem *Ieſuitae*, et illam *Cuiacii:* additque, Latinum *exemplum*, Cuiacio *adſcriptum*, *plane idem eſſe atque illud*, *a* Ieſuita *editum*. Quod verum eſt, nam typis tantum denuo deſcribi illud curauit *Ieſuita*. Sinc iam, ſemota quaeſtione de *Boylei* honeſtate et fama, animi gratia paulliſper diſputem, et arguam, non obſtante hac repetita aſſeueratione, eum non habuiſſe in manibus *Cuiacii* editionem. Prodiit in lucem *Cuiacii* editio *Geneuae*, A. cIↃIↃcvi. Et ea *Ieſuitae*, qua *Boyleus* vſus eſt, typis deſcripta eſt *Ingolſtadii*, A. cIↃIↃcxiv. Iam vero, in Praefatione, dicit *Boyleus*, *Verſionem iſtam eſſe factam a* IESVITA. *Eſſe* IESVITAM *in dictione non inornatum*, *ſed diſparem cum ſtylo* Graeco. Sed qui potuit opinari *Boyleus*, Ieſuitam eam feciſſe *Ingolſtadii* cIↃIↃcxiv. ſi tum ſciuit, *plane idem exemplum* Latinum *typis deſcriptum fuiſſe octennio ante* Geneuae? Si vtrumque librum in manibus habebat, nullo modo poterat per tantum errorem labi. Qui iuſti aeſtimatores ſunt ingenii eius, nunquam animum inducent credere, etiamſi ipſe fidem ſuam interponat, tantam eius eſſe poſſe ſtupiditatem. Alia itaque ratione expediendus hic nodus eſt, quamuis, difficilius id eſſe, fatear, quam pro me. Lector itaque viderit; et ſi forte etiam haerebit, poterit recordari verſum quendam,

Accipe nunc Danaum inſidias, et crimine ab vno
Diſce omnes — —.

II. Aliud notae recentioris verbum erat θυγάτηρ, quod apud *Phalarin* ſonat *ancillam:* idque ego pro indicio accipiebam *Graeci* citerioris: et, ne ſuſpicio eſſet, me male interpretari id, notabam, ipſum *Tzetzen* eodem illud, quo me, ſenſu accepiſſe. Sed *Boyleus* adiutus duobus libris Concordantiarum, quae verbum θυγάτηρ in Veteri et Nouo Teſt. monſtrarent, inuenit, quod reſponderet. Dicit enim, (p. 67.) Prou. XXXI. 29. (Πολλαὶ θυγατέρες ἐκτήσαντο πλοῦτον· *Multae filiae diuitias acquiſiuerunt*) θυγατέρες eſſe *mulieres* vel *ancillas*. Eſt autem hic *Hebraeum* בנות, *filiae*, ac notum cuique eſt, qui vnquam legit τοὺς LXX. eos ſaepe verbum reddi-

disse de verbo; quamuis formula loquendi, inde nata, alinguae *Graecae* natura abhorreat. Hinc factum est, vt tot hebraismis repletum fuerit exemplum istud *Graecum*, vt non iniuria dixeris, nec ipsum *Demosthenem* id plane intellecturum fuisse; nec raro accidit, vt *Christiani Graeci*, imperitia linguae *Hebraeae*, de eius interpretatione errarent. Quid est ergo, quod hoc loco, ex *Prouerbiis*, instet *Boyleus?* Si enim *Siculi sui principis*, orationi aliquid admistum est coloris *Hebraei*, nouo argumento id est, esse illum falsum et imitatione simulatum; nec tantum peccauit, quod *Atticos*, sed etiam, quod *Hebraeos*, imitatus est. Sed *Boyleo* hunc locum integrum relinquo: et transeo ad exempla, e Nouo Test. ab eo depromta (p. 67.); vbi ille noster soter ad mulierem; Θάρσει, θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. *Confide, filia, fides tua te conseruauit* vid. Mat. IX. 22. Marc. V. 34. Luc. VIII. 48. Quibus in locis θύγατερ non proprie *filiam*, sed *mulierem*, sonare, *Boyleus* opinatur. Iam, in quamcunque partem hoc accipias, suo auctore dignum esse, apparebit. Nam si verum esset, θύγατερ hic esse *mulier*, id quoque ad morem *Hebraeorum*, aut *Syrorum*, diceretur; quod non tantum non confirmat *Phalaridis* fidem, sed plane labefactat. Imo, si *Graecum* vere esset, plurimum tamen abesset, vt a me disputatis opponeretur. Nam sophistam, dico, stilo vsum esse recentiore multo, quam lingua, cuius vsus esset veri temporibus *Phalaridis*: cui opponit *Boyleus* locum, ex Euangeliis, quae DC. a *Phalaride* annis demum scripta sunt. Sed, si ita libuerit, fingam, ipsum sophistam tam antiqua tempora, quam euangelistas, attingere: vt mirandum non sit, eandem notionem verbi θυγάτηρ et apud illos, et apud hunc, inueniri. Verum tamen consequens non est, ita eo vsum fuisse veterem istum *Phalarin*. Sed omnium pessime ei cadit hoc, quod θυγάτηρ, in Euangeliis, non *mulier* dicitur, sed proprie et definite *filia*. Nam communi consuetudine, non tantum apud *Orientales* populos, sed vbique locorum, receptum erat, vt viri, aetate et auctoritate potentes, cum se minores blande compellare vellent, *filios*, aut *filias*, vocarent; hi autem contra, *patres*, aut matres: etiamsi nulla inter eos intercederet necessitudo. Sic, apud *Homerum*, *Helena Telemachum* vocat, filium:

Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι.

Atque sic *Menelaus*, eius maritus:

Αἵματος εἰς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος, οἷ᾽ ἀγορεύεις.

Contra, *Vlyssem*, *patrem*, salutat *Euryalus*:

Δεῦρ᾽ ἄγε καὶ σὺ, ξεῖνε πάτερ, πείρησαι ἀέθλων.

Sic *Bacchis*, apud *Terentium*, ad *Chremetem*:

— — — — *Asperum,*
Pater, hoc est; aliud lenius, sodes, vide.

Sunt alia huius generis exempla quam plurima. *Christus* igitur mulierem vocat *filiam*, vt, ad *Samuelem*, *Eli, mi fili.* Sed ex eo concludendum est, voces, *filius* et *filia*, posse sonare, *virum* et *mulierem*, vt θυγάτηρ, apud *Phalarin?* Conclusio est, qualis deceat *Boyleum*, alios vero, si eius imitari exemplum velint, dedeceat valde. Sed alium exitum inuenit; ac cedendum loco est; nam, exsultans et gestiens, his me verbis obruere velle, videtur; (p. 67.) *Probabile est, in MSS. antiquioribus* Phalaridis *fuisse per compendium scripturae* θερας, *quod aeque legi possit* θυγατέρας, *ac* θεραπαίνας. Atque elatus hoc tam acute inuento, *quaestionem se facturum* esse, dicit, INSVLTANTEM: *si acer ille noster inuestigator manuscriptorum non obseruauit hoc, vbi eius sagacitas est? sin obseruauit, nec patefecit, vbi eius integritas est?* Quid? sunt eodem in loco, *vbi* erant ante, quam hoc quaerebatur; ac spondeo, periculum nullum esse, ne alterutra illarum eo laesa sit. Nego enim, vllum tale compendium scribendi, quale θερας pro θεραπαίνας, in MSS. *Graecis* inueniri. Hoc prius demonstrasset, quam ex eo argumentum duceret, scriptor Censurae. Sed, nec istud facere, poterit vnquam, nec in medium proferre vllum exemplum, ne ex omnibus quidem MSS. bibliothecae *Bodleianae.* Nam nulla verba per notas scribebantur, nisi quorum frequentior erat vsus; vt, et labori, et spatio, parceretur, quum ea notis exciperentur: vt πρ pro πατὴρ, ανος pro ἄνθρωπος: et in antiquis exemplis Bibliorum θς, κς, χς, pro θεὸς, κύριος, χριστός; quod, singulis fere versibus, haec verba repeterentur. Sed si quis per compendia scriberet talia verba, quale θεραπαίνας, quod vix semel in aliquo libro inuenitur, exiguo valde labore se levaret, committeretque, vt intelligi suum exemplum non posset. Somnium igitur est, quod opinatur scriptor Censurae, θέρας scribi posse, pro θεραπαίνας; et eiusdem generis est, ac si dicat, πρ scribi posse pro πρεσβὴρ, aut ανος pro ἀνθέρικος. Tam vero opportune insultans, quaestionem fecit; tum, quum aequum est cogitare, secum optime agi, nisi quis in se insultet.

III. Aliud exemplum, e lingua depromtum, quo non fuisset vsus verus *Phalaris*, erat παίδων ἐρασαί; nam de *parentibus* egit sophista, *qui liberos suos amarent*: sed antiquitus istis verbis subiecta notio erat rei turpis. At contra *Boyleus;* (p. 65.) *sibi videri, contrarium ex hoc effici posse. Nam, pe-*

ſterioribus temporibus, verba iſta obſcoeni ſignificationem habuiſſe; vt nullo modo Phalaridi *ea affinxiſſet ſophiſta; ſed tempore* Phalaridis *eſſe potuiſſe honeſta.* Enimuero cultioris ingenii ſophiſta verba propria attribuiſſet tyranno. Sed, a quo toties peccatum eſt, declamator ineptus, hic quoque in culpa eſſe poteſt. Cognoſcas autem eum ex ea, quam toties prodidit hiſtoriae et antiquitatis inſcientia: ac iure multatur ſimilibus interpretibus et defenſoribus. Sed quid eſt, quo demonſtret *Boyleus*, tempore veri *Phalaridis*, verbis rei honeſtae notionem fuiſſe ſubiectam. *Quum* Phalaris, inquit, p. 65. *turpem amorem puerorum dicere vult, non vtitur hoc verbo, vt poſteriores ſcriptores faciunt: nam* Lycinum *vocat* πόρνον ἐν παισὶ, non autem παιδεραςήν. Hic ſcriptor Cenſurae πόρνος ἐν παισὶ idem valere, quod παιδεραςὴς, opinatur; atque ita quidem in *Latino* eius exemplo redditum legimus, *Cum pueris ſcortatorem eſſe:* v. ep. IV. (XXXV.). Sed adiutorem, diceres, eum docturum fuiſſe, πόρνος non eſſe *ſcortator*, ſed *ſcortum, cinaedus.* Si vnquam legiſſet *Aeſchinis* orationem contra *Timarchum*, exempla multa inueniſſet, nec vero vsquam aliud ſonat. Reddendum igitur πόρνον ἐν παισὶ, *inter pueros cinaedum (A catamite, when you was a Boy).* Vt tantum hoc abſit a demonſtratione, ſophiſtam *verba propria* Phalaridi *fuiſſe affictuurum*, vt argumento ſit, fuiſſe nuper editorem, qui verba aliena affingeret ſophiſtae.

Vt *Boyleo* perſuadeam, παιδεραςὴς non ſignificaſſe rem honeſtam, iam tempore *Phalaridis; Solon*, qui iisdem, quibus tyrannus, temporibus viguit, legem ſanciuit, quae iuberet, eo interdici ſeruis. *Legem* tulit, inquit *Plutarchus*, in Solon. Δοῦλον μὴ ξηραλοιφεῖν, μηδὲ παιδεραςεῖν, *ne ſerui pueros amarent.* Ac turpem eius conſuetudinem tum fuiſſe in *Sicilia*, aeque atque *Athenis*, *Boyleus*, qui, Epiſtolas veras eſſe, credit, perſuaſum habere poteſt ex ep. IV. modo citata: nam, ſi *Lycinus* fuit πόρνος, conſequens eſt, vt fuerit, qui eſſet παιδεραςής. His vero, qui tantam de iſtis Epiſtolis opinionem non habent, aliunde de eo conſtare poteſt: nam *Charito* et *Melanippus*, ambo *Agrigentini* et in *Phalarin* conſpirati, infames ſunt παιδεραςίᾳ: quamuis iſto nomine claros fecerit oraculum, (vid. *Athen. Aelian. Euſeb.* Praeg. Euang.)

Εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ,
Θείας ἡγητῆρες ἐφημερίοις φιλότητος.

Sed viget porro *Boyleus* (p. 65.) *differentiam magnam ſoni, inter* Παίδων ἐραςαὶ *et* παιδεραςαί. Muſice vero! eſt valde *ſonans* ſyllaba ων, quae differentiam faciat maximam. Sed concedamus *Boyleo* iudicium de *ſonis;* ſi modo aliis iudicium

concedat de *ſenſu:* atque ab ea parte tanta illorum conuenientia eſt, vt ne ſubtiliſſimo ſcriptori in mentem venerit vnquam, ſignificatione illa diſtinguere. Idcirco *Aeſchines*, c. Timarch. vbi eandem *Solonis* legem commemorat, non vtitur παιδεραςεῖν, vt *Plutarchus* facit, ſed παιδὸς ἐρᾷν: et ipſe *Plutarchus*, in Ερωτικῷ, his verbis id exprimit: Δέλοις ἐρᾷν ἀῤῥένων παίδων ἀπεῖπε. Vt vt igitur differunt ſono, ſignificatione aequalia eſſe, apparet.

Concludit *Boyleus* hanc partem, argumento, quod opinatur, firmiſſimo: Παιδεραςὴς in *ſenſu honeſto poſitum eſſe a* Platone. Sic eſt fortaſſe: ſed videamus, quomodo id demonſtret. Locum profert ex *Platonis Sympos.* Πάντως ὁ τοιῦτος παιδεραςής τε καὶ φιλεραςὴς γίγνεται. Sed iam ſupra p. 155. vidimus exemplum peritiae, quam habeat in ſcriptis *Platonis Boyleus;* nec priori diſſimile eſt id, quod ſecundo loco dedit. Res haec eſt: Materia, iſti *Platonis* dialogo ſubiecta, laus *Amoris* eſt; cuius laudes a ſingulis conuiuis certo ſermone celebrantur. Sed, omnes ſermones philoſophicos, et cum perſona *Socratis*, aut ipſius *Platonis*, congruentes fuiſſe, exiſtimandum non eſt; ſed pro ſingulorum, qui eos habebant, ingeniis differebant. Erant ſane alii ſatis laſciui, vt quemque conuiuarum decebat. Nam ipſe *Agatho*, a quo excepti erant conuiuio, catamitus erant; vt ex ipſo dialogo apparet, nec non veterum poetarum comoediis, aliisque monumentis. Inter ceteros autem *Ariſtophanes*, poeta comicus, inducitur Amorem laudans. Fabulam narrat prolixam: Principio homines, creari geminos, cum binis capitibus, quaternis pedibus, et totidem brachiis, cet. ac tribus eos diſtingui generibus, viros alios geminos, alias mulieres geminas, alios denique hermaphroditos eſſe. Poſt, commiſſo facinore, *Iouem* in duas partes ſecare omnes; inde naſci naturale iſtud ſocietatis deſiderium, quaſi alterius dimidii perfectionem ſuae naturae concupiſcentis; ipſam autem varietatem, quantamcunque iſtius deſiderii, eam totam ab eadem ſtirpe naſci. Nam eorum, qui in priore ſtatu hermaphroditi fuerint, dimidium virile adhuc ferri deſiderio partis muliebris, et eſſe eos omnes nunc amatores mulierum, et adulteros; muliebre autem dimidium concupiſcere virum, et eſſe eas amatrices virorum et adulteras. Qui vero in ſtatu naturali gemini fuerint viri, eorum dimidium vtrumque nunc viros amare; ſi pueri ſint, catamitos eſſe, ſin viri, παιδεραςὰς, puerorum amatores; earum denique, quae geminae fuerint mulieres, vtramque mulieres amare, et eſſe nunc ἑταιριςρίας, mulierum amatrices. Haec ſumma ſermonis eſt, ab *Ariſtophane* habiti; et, cum a quibusdam

veterum obseruatum sit, *Platonem*, in *Symposio*, inducere *Aristophanem* ebrium et singultientem; vt iniuriam, *Socrati*, magistro suo, a poeta factam, vindicet: tum, persuasum habeo, illum ob eandem causam isti poetae tribuere sermonem eum, qui asoti, vt re vera erat ille, mores exprimat. Iam autem, *Boyleus* non stomachi singularis est, cum locum proponat ex hoc *Aristophanis* sermone, vt doceat, παιδεραςὴν *in sensu honesto* poni. Quem ergo ipse *sensum* habeat, aliorum iudicium sit. Nam si παιδερασαὶ ibi caste dicuntur; consequens est, vt etiam μοιχοὶ, μοιχεύτριαι, et ἑταιρίςριαι, nomina sint generis innocentis; quod forte non concedet *Boyleus*. Sed ait, p. 66. *Eum ipsum, qui loquatur, dein profiteri, nolle se, quum ista dicat, turpem amorem;* vbi, prout solet, erratum errato defendit. Nam verba ipsa, quae citat ibi, contrarium eius, quod inde efficere vult, declarant. Quo, quam narravit, fabulam speciosam faciat, *Aristophanes* in medium adfert quaedam exempla eorum, qui tam ardenter amauerint, vt alter sine altero viuere nullo modo posset. Quod si contingat, libidinem rei veneriae, negat, eius caussam idoneam videri; sed propterea illud fieri, quod vnumquodque tale par sit propriorum dimidiorum, ex quibus in priore statu vnus perfectus homo constiterit: vnde nasci tantam inter eos propensionem, vt, si possent, denuo in vnum coirent corpus. Nonne igitur apparet, *amorem lasciuum* hic poni; ac tantum non concessum est, vt planum? Lege modo *Aristophanis* fabulas, et ea, quibus in hoc ipso Sympos. describitur (Ἀριςοφάνης, ῷ περὶ Διόνυσον καὶ Ἀφροδίτην πᾶσα διατριβή.), ac tum iudica, an tam caste hic locutus fuisse videatur.

Apparet nunc, e quo genere commentatorum in *Platonem* sit noster scriptor Censurae, et (p. 66.) *sinam, eum vapulare* non tantum flagellis *Platonicorum*, vt ille me siuit, sed vniuscuiusque, qui stomachum habeat. Verumtamen longe absum ab ea opinione, παιδεραςὴν et παιδικὰ nunquam caste dici a *Platone*, et aliis *Socraticis*. Nam verbo ii translato vtuntur; ac, tametsi satius fuisset, si solum in suo loco mansisset, nec aliis fuisset offensioni, per se tamen eius translatio apta erat; et rationi consentanea. Nam philosophus dici verus παίδων ἐραςὴς potest, vt aliis opponatur: si quidem, quod hi causa voluptatis admirantur in praestanti forma, ille amat, ac veneratur, tamquam imaginem formae diuinae. Sed hoc ipsum argumento firmissimo est, Παίδων ἐραςὰς istis temporibus dici non potuisse eos, *qui liberos suos amarent* (vt in Epistolis *Phalaridis*,) ne quidem per translationem. Quandoquidem nihil erat, vnde transferrent verbum in istum locum: nam, etsi

παιδεραςίας commune vitium istis temporibus erat; tale tamen, tam exsecrandum, flagitium impudicitiae, simul atque incesti, quale patris esset cum suo ipsius filio consuescentis, etiam tum nec auditum erat, nec nominatum. Imo, si fingamus, fuisse tum isto vitii genere inquinatos quosdam; tamen nomen etiam tum habitum fuisset turpe nimis, et flagitiosum, quam vt in locum rei honestae transferretur.

IV. Habuit hoc sibi priuum et peculiare *Boyleus*, vt nunquam fere non erraret, nec, causa recognita, inuenio, quo pateat, cum vllius me erroris adhuc coarguisse; si ab eo discedas, quod, memoria lapsus, pro *Alba Graeca* posui *Budam*. Igitur quadringentae omnino paginae impletae sunt, iniuriis, quas mihi fecit, propulsandis, refellendisque erroribus; quae laboriosa patientiae et lenitatis exercitatio est. Quos labores odiosos vt compenset, vnum hoc ab eo peto *vt veniam mihi det proximi errati.* Equidem promitto, non fore flagitium, vnicum autem futurum, quo, hac ratione, ei molestus sim, in tota, quae inter nos est, controuersia. Inter verba, quibus nouam notionem subiectam opinarer, in Epistolis *Phalaridis*, fuere προδίδωμι, *ante do* et διώκω, *sequor, vt amicus, non vt persecutor.* Haud potui tum meminisse scriptoris veteris, qui sic iis esset vsus: et, cum operae schedas, quas describerent, exspectarent (nam totum Dissertationis volumen ad eos delatum fuit per plagulas, vix dum atramento siccato), haud mihi erat otium eius exquirendi. Candide igitur agnosco, memoria, quae non valde magna mihi est, lapsum me esse. Nam ante legeram ea ipsa loca, quae attulit: et quum ea legerem, ita, vt ille, intellexi: tametsi tum eorum non recordabar.

Veruntamen etsi per obliuionem errraueram, laus tamen, quae e correctione errati mei ad *Boyleum* peruenit, leuior est, quam qua compensari eius vitia possint. Quamuis committere nolim, vt eam minuam; sed per me licet, ipse eiusque adiutores verbis, quantum possint, illam augeant. Dicit, (p. 68.) *Me memet exponere cuiusque reprehensioni, qui modo voluere indicem possit, aut* lexicon. Et quo animi sui sensum explicet, addit in margine locum *Quintiliani*, X. 1. qui non alio ibi spectat, quam vt pateat, eum non fuisse ab illo intellectum. Nec enim tales *indices* vult *Quintilianus*, quales nunc addi ad libros solent; sed, postquam enumerasset varios poetas *Graecos*, *Homerum*, *Antimachum*, *Euphorionem*, cet. *Praetereo reliquos*, inquit: *nec sane quisquam est tam procul a cognitione eorum remotus, vt non indicem certe, ex bibliotheca sumtum, transferre in libros suos possit.* Docet hoc, istis quoque temporibus in bibliothecis fuisse catalogos librorum, qui in iis essent reconditi;

sed quid illud ad *lexica* et nostros *indices*? Excusat se *Boyleus* de *numero locorum, quae citet*, quibus margo *libri eius singularis* impletur. Enimuero, quum talem citauit *Quintiliani* locum, peropportune veniam petit, licet alia de causa, quam quidem ille putauerit. Sed, vt ignoscam huic scriptoris Censurae errori, verum est, quod dicit, *Eum, qui indices aut lexica voluere possit*, facile ista mea errata corrigere posse. Notiones enim istae verbi διώκω et προδίδωμι, quarum tum oblitus eram, notatae sunt in *Concordantiis Graecis* et *Constantini Lexico*. Nihil itaque docuit alios, nec quidquam, reconditum ante, patefecit; iam enim abhinc centum annos, vt apparet, res notae fuerunt. At sane dignum est obseruatione, post tot clamores scriptoris Censurae, et quorundam hominum, qui ei opera sua adfuerunt, *Me in voluendis lexicis satis diligentem esse;* tamen vnicum errorem, cuius simul cum omni sua eruditione me coarguere potuerunt, fuisse vitatum, si re vera in voluendis *indicibus* et *lexicis* diligens fuissem.

Error, obliuione, isque semel aut raro admodum, commissus, semper leuis fuit visus, nec auctori ignominiosus. Si enim is sufficeret, ad scriptoris famam euertendam, nemo infamiam effugeret, sine coelesti aliquo mentis instinctu. Si bene de rebus iudicauero, si bonus ratiocinator fuero, erroris, sola obliuione commissi, cogitatio me solicitum non habebit, sed aequitate nostrorum hominum, omnisque posteritatis, confidam. Quidquid de meis laboribus iudicauerint alii, in eo acquiescam. Cum famae causa libros non scribo, tum haud curo, quemadmodum ii excipiantur:

— — — *Valeat res ludicra, si me*
Palma negata macrum, donata reducit opimum.

Verumtamen, quando cum animo meo cogito eas res, quae inprimis ab aequissimis iudicibus censeantur, aut laudi, aut vituperationi, esse viro literato: malo teneri in obliuione istarum insolentium significationum verbi προδίδωμι et διώκω, quam rei ita, vt a *Boyleo* factum est, gestae coargui. Nam ex octo exemplis, quae proposuit, verbi διώκω, sex omnino sunt aliena a proposito. Quod dicebam, illud erat: διώκειν tum tantum *esse persequi, cum, qui fugeret, metueret, et declinaret persecutorem:* sic, vbi *Hectorem* persequitur *Homericus Achilles;*

Τῇ ῥα παραδραμέτην, φεύγων, ὁ δ' ὄπισθε διώκων·
Πρόσθε μὲν ἐσθλὸς ἔφευγε, δίωκε δέ μιν μέγ' ἀμείνων.

Hoc vt refelleret *Boyleus*, sex testimonia in medium protulit, vbi διώκω, minime est *persequor*, sed, translatum, *desiderare, sectari, quaerere.* Quid autem haec ad rem? Dicebam eam

notionem, quae eſt verbi διώκω, *cum* ſignificat *perſequi.* Atque ipſa cauſa ineſt in notione *perſequendi;* quae, cum verbo ſubiiceretur, adiunctam fuiſſe, tum putabam, illam *alterius declinantis.* Quod vero attinet ad translationem in eum, qui *deſideret* et *quaerat*, eius bene meminerām: eſt enim omnium notiſſima ſignificatio. Obiiciendum igitur mihi exemplum fuerat, vbi *perſecutio* ſignificaretur, ſine adiuncta *declinatione fugientis;* vt, quando amicus amicum *perſequitur, ſequiturue.* Fateor autem, duo, ab eo citata, exempla hanc ſignificationem habere: ſed reliqua omnia, figurata illa, inter quae ſunt iſta, ex ſcriptis ſacris depromta, aliena omnino ſunt; magisque in illis prauum eius iudicium, quam in meis verbis, parua mea memoria elucet.

Vociferatur *Boyleus*, p. 62, 63. quaſi, quod oblitus ſim verbi alicuius *Graeci* in τοῖς LXX. aut *Nouo Teſt.* eo euertatur illorum auctoritas librorum; *et quaerit ex me* (p. 67, 68.), *An, ſermones meos philoſophicos, putem, plus conferre ad ſtabiliendam religionem, quam, ad conuellendam eam, critica mea?* Declarat *Boyleus*, qua ſit natura. Nam (p. 285.), *rem iucundiſſimam omnium eſſe*, putat, *ridere.* Sed, vt opinor, opportuniore in loco, libidini *cauillandi* et *illudendi* indulſiſſet, quam vbi ſcripturae ſacrae cauſa agitur. Neque enim, valde libros iſtos ſacros reuerentis eſſe, videtur, loca inde transferre, etiamſi ſint modo acceſſiones, in argumentum iocoſum et ludicrum. Nec forte prudentiae in eo eſt, quod tam oblique maculam meis *aduerſus atheos ſermonibus* adſpergit. Sunt illi recitati ex inſtituto *Boylei*, viri ſummi, et optimi, quo cum iuuenis hic neceſſitudine coniunctus eſt; et, quamuis longe infra vota mea ſint, et argumenti dignitatem; grati tamen acceptique fuerunt, et in linguam haud vnam conuerſi. Melius igitur ſibi conſuluiſſet; ſi non tetigiſſet iſtos ſermones; niſi fecerit, vt lectorem, auctoris iſtorum ſermonum memorem, inuitaret ad videndum, quid ſe inter et alium ſibi cognominem interſit.

Fuit *Pearſono*, viro excellentiſſimo, conſilium edendi Epiſtolas *Ignatii*, cum prolixo commentario; cuius operis poſtumi partem diuulgauit *Smith*, vir doctiſſimus; a quo cupide reliquum exſpectamus. Quamquam enim vltimam manum operi non admouit auctor; eo tamen digniſſimum eſt, et ſunt ipſa viliſſima eius ſcripta auro cariora. In iſta parte diuulgata haec notantur in *Ignatii* verba, ΤΟΝ ΥΜΑΣ ΣΟΦΙΣΑΝΤΑ· *Vox Paulina, ex* II. Tim. III. 15. Τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. Quae te poſſunt ſapientem reddere. *Neque ante eum vox actiua eo ſenſu reperitur cum accuſatiuo perſonae.*

Vbi plane dicit Episcopus, Σοφίζειν *sensu* sapientem reddendi, *vocem* Paulinam *esse: nec enim ante eum vocem eo sensu reperiri.* Sed obliuione hic lapsus est; vt obseruauit *Smith*, similis verbi vsus est in *Psalm.* XVIII. 8. Ἡ μαρτυρία κυρίε πιςή, σοφίζεσα νήπια· et, *Psalm.* CIV. 22. Καὶ τὰς πρεσβυτέρας αὐτῦ σοφίσαι. Quid ergo de his dicendum est? nam causa eadem Episcopi, quae mea, est. Aliud verbum, in *bibliis*, oblitus est vir excellentissimus, aliud ego sum oblitus. Num scriptor Censurae in virum illum magnum illudet, vt in me? Commutabo tantum personas; et apparebit, quemadmodum eum deceant eius sannae et illusiones. Paulum *primum esse, dicit Episcopus, qui* σοφίζειν *vtatur pro* sapientem reddere. *Quid fiet ergo* τοῖς LXX? *Hac ratione* (p. 60.) *istud exemplum* Paulo *posterius esse debet. Vt scripta, iis assignata, tribus saeculis post confecta sint, quam nos Christiani ea fingimus. Et ista interpretatio, adscripta* τοῖς LXX. *opus antiquum esse nequit, sed conscripta est a posteriore sophista. Quid ad haec dicemus? Vtrum,* Pearsonum *malum criticum, an, titulum Episcopi reuerentes, actum esse de* Graecis *bibliis? Fortasse hac vice errauerit Episcopus;* (p. 67.) *Sed vnum adhuc ex eo, hac occasione quaero, hoc scilicet; An* Expositionem suam summae fidei (*his* Exposition of the Creed) *putet plus conferre ad stabiliendam religionem, quam ad eam conuellendam critica sua? Nam non plane dicit,* Σοφίζειν *eo sensu primum reperiri apud* Paulum? *Non idem verbum eodem sensu bis legitur in* τοῖς LXX? *Nonne consultius fuisset* Graecae *linguae et theologiae tam profunde docto, quam ille est, prius inspexisse Vetus Testamentum, quam talia temere et sine fundamento pronunciaret? Credibile est, eum, qui sic scribat, id aliquo consilio facere? crederes, fecisse prauo: sed via et ratio, qua disputat, tota eum liberat omnibus suspicionibus consilii.* Sunt haec ipsa *Boylei* verba, substitutis tantum Episcopo, eiusque scriptis, in meum meorumque locum: non quo tenuia mea cum viri illius summi praestantissimis operibus comparem; sed vt ostendam, *Boylei* argumentum contra nos ambo aequaliter valere. Et iam nunc agnoscendum *Boyleo* est, *habere me vnam paginam bonam* (Praef.) in hac Responsione, aeque atque in Dissertatione: cum enim sit ipsius, tam eum cognitum mihi esse, opinor, quam cui non possit non vehementer ista placere.

Sed vt hanc partem claudam. Vnum, quod recte dixit *Boyleus* de hoc capite, est de significatione duorum verborum: quod quidem patet, me errasse; sed nullum eo momentum adfert ad *Phalarin* suum defendendum. Nam e quinque verbis, quibus instabam, maior pars adhuc locum tuetur

fuum: et, fi duorum vis repulfa eft, tria tamen fuperfunt, quae aeque refiftent, ac quinque fimul omnia. Nifi igitur alius, atque *Boyleus*, *Principi Siculo* propugnator fit; fpes nihilo minus defperata ei erit. Quod enim ex me quaerit fcriptor Cenfurae; *Quomodo fciam, an verba ifta fuerint in vfu tempore* Phalaridis, *et poft, cum doctrinae coeptae fint coli, exciderint, illis autem ad interitum vergentibus, in confuetudinem redierint?* quamuis refponfione indignum fit, tamen a me refponfum eft. Conftat enim ex legibus *Solonis*, qui iisdem, quibus *Phalaris*, temporibus viguit, linguam, qua confcriptae fint Epiftolae non fuiffe linguam ifto tempore vfitatam. Imo, etiamfi non haberemus reliquas iftas partes Legum *Solonis*, effet tamen adhuc infirma valde *Boylei* fufpicio. Eft enim triplex conuerfio ftatus eorundem verborum, quae *fuerint in vfu, exciderint, redierint*, quod, totum confictum, nulla ratione innititur. Argumentandi ratio, eft, quae quidem conueniat turbulentis quibusdam *tironibus in fcribendo* (Praef.); fed tum eadem comparata eft ad eorum fcripta celeri interitu exftinguenda.

XIV.

DE PECVNIA SICVLA.

Tanta cum fiducia et alacritate ad hanc caufam difceptandam aggreditur fcriptor Cenfurae, vt fpeciem prae fe ferat hominis de victoria fecuri. *Si*, inquit, p. 73. *hanc caufam vicerit* Bentleius, *promitto, me totum volumen Epiftolarum reiecturum effe.* Magnum vero, hic, incitamentum laborum eft, quum, fi vno hoc victor difceffero, gloria fequetur viri tam illuftris in meam fententiam perducti. Sed, fi cogitamus ftudium ardentiffimum, quo vsque fertur in *Siculum* fuum *principem; expoftulatio* potius, quam *promiffio*, haec videri poteft. Imo, hanc fpeciatim partem, accepi, tam alios, quam ipfummet, ita comparatam effe, credidiffe, vt nihil dici contra poffit; imo fuiffe, qui in eius commendatione progrederentur eo, vt ab eadem manu, qua reliquum libri effet fcriptum, haud effe, fufpicarentur. Sed ea erga fcriptorem Cenfurae aequitate ero, vt eum grauiffima, quam caput hoc admirabile iniecerit, fufpicione liberem; nec enim melioris id notae, quam reliquum operis effe, oftendam; conftare autem totum, a principio ad finem, ex erratis, aut falfis ratiocinationibus.

Ante, quam ad ipfam rem venit, exemplo docet, quanta fit calumniandi peritia. Ridet, quod comparauerim *talentum*

Siculum, in *Phalaride*, cum (p. 74.) *marcis, quae dicuntur, Scoticis*, et *libris Francicis. Esse enim contrariam rei rationem.* Iam autem fundamentum, quo excitabam eam comparationem, hoc erat: Verbis falsi *Phalaridis* primum inducitur lector, vt credat, maximam pecuniam fuisse insumtam, X. talenta, et C. talenta: quum vero rem penitius intuetur, se circumuentum, animaduertit; nam *Siculum* talentum spectari debet, si verus *Phalaris* sit; atque ista ratione summa ex C. libris sterlingum in vnum solidum abit. Iudicabit iam lector, an recte comparauerim. Sed quaerit, *Quo obscuro cum auctore consuetudo mihi fuerit, cuius stultitia adeo occoecarer?* Si consuetudine *cum auctore obscuro* occoecari aliquis possit: securus erit *Boyleus*, nam nunquam refutari eius liber poterit. Sed, non obstante periculosa ista *consuetudine*, quae mihi aliquamdiu cum eo fuit, spero, aptum me fore ad *illustrandum*, quidquid obscuri et ambigui aut mihi opposuerit, aut possit opponere.

Sed, ante, non alienum erit, iis, qui *Phalaridis* Epistolas non legant, ostendere, *Atticum* talentum, ibi, intelligi, quod est librarum *Anglicarum* CLXXX. non *Siculum*, quod vnum tantum solidum cum besse valet. Pono hic, vt supra, p. 201. libram *Atticam* pondo XII. vnciarum aequari cum *Anglica:* vt *mina*, quae XII. vncias argenti pendeat, possit censeri aequalis tribus libris sterlingum. Accuratiore pretii definitione, in hac ratione, opus non est. Iam tyrannus inducitur, ep. CIV. (XL.) *Catinenses*, querens, facta in terras suas irruptione, VII. talenta diripuisse: quae, si *Attica* intelliguntur, libras valent sterlingum MCCLX. sin *Sicula*, duodecim non amplius solidos, cum septunce: quae minor pecunia, quum eius ratio a principe habeatur. Alio in loco, ep. CXLIII. (CXXXVIII.) quae summa eius liberalitas censetur, dotem dat sponsae V. talentum; quae, si *Attica* penduntur, librae sterlingum sunt DCCCC. sin *Sicula*, solidi IX. parua nimis pecunia, quam quae in dotem sponsae primariae detur. Sunt plura huius generis exempla; et, aliis in locis, *drachmas* nominat, quae pecunia *Sicula* non est.

Primum, eorum, quos testes cito, *Pollucis, Festi*, et *Aristotelis*, fidem labefactare, conatur *Boyleus*, p. 75. 76. Ac primum excipit, quod *Aristotelis* librum opus dixerim de *Rebus publicis Siculis.* Agnoscit, scripsisse *Aristotelem de Regimine ciuitatum* Sicularum (vt Πολιτείαν Συρακουσίων, Ἱμεραίων, Ἀκραγαντίνων, Γελώων, etc.): *sed non apparere, librum fuisse talem in modum inscriptum.* Sed, si id non apparet, est, quod plane appareat, in magna penuria argumentorum fuisse

Boyleum, vbi ad excipiendas res tam fordides fe abiecerit. Quibus adnumerandum eft, quod dicit contra teftimonium *Pollucis; Vnum* (p. 76.) *e MSS.* Seberi *iis paginis, vnde hic locus citatus fit, carere: vt locus fit dubitandi, an vere fit* Pollucis. Sed erat in MS. vnde primum *Aldus* librum edidit: et in MS. *Is. Voffii*, cuius ego exemplum habeo, et in MS. *Palatino*, quo vius eft *Salmafius*, de Mod. Vfur. p. 257. Docet idem *Seberus*, vnum e fuis MSS. defeciffe quatuor vltimis libris, duobus autem eorum VIII. defeciffe: adeone iftos omnes reiiciet *Boyleus*, duobus tantum e decem relictis? Non aenigmati fimile videtur, id tam leuiter hiulcum *locum* ei *facere dubitandi*, an *vere* locus fit *Pollucis:* tametfi locus nullus, vtcunque amplus, ei fit dubitandi, an *Phalaris* fit verus?

Sed fac, locum effe *Pollucis; dicitur* tamen *ibi*, (p. 77.) inquit, Siculum *talentum valere* XII. Νεύμμους, *et* Νοῦμμον *valere tria* Ὀμόλια; *quae vox* Ὀμόλια *corrupta et corrigenda eft: vt quidquid* e Pollucis *verbis elici, de* Nummo *et talento, poffit, fufcipione tantum nitatur.* Sed nititur hoc fcriptoris Cenfurae errore ipfius: nam MS. *Voffii* plane habet Ἡμιωβόλια. Imo, fi omnia exemplaria hic corrupta effent, non tamen prodeffent fcriptori Cenfurae: quum rationes, quas cum *Phalaride*, de eius talentis, inimus, non eae fint, quae pendeant ab ὀμολέων vel ἡμιωβολίων, *a fefqui altera oboli parte.* Nam conftat ex alio loco *Pollucis*, non corrupto, p. 436. Νοῦμμον effe *numum argenteum* Quam velit itaque fcriptor Cenfurae, craffus fit; tamen, fi duodecim tantum tales continet talentum *Siculum*, fane parua nimis pecunia eft, quam quae cogitari, in epiftolis, poffit.

Proxima pagina docet nos, (p. 78.). „Eos, qui, talenti „*Siculi* pretium definire velint eo, quod duodecim contineat „Νεύμμους, pro certo habere, VIDERI, Νοῦμμον ibi effe „*numum Romanum*, vel *feftertium:* fed ita effe non poffe, quia „non fint *Pollucis*, fed *Ariftotelis* verba, qui vixerit ante *fefter-* „*tium Romanum* cufum. Fundamentum igitur, quo ratioci„natio de talento *excitata* VIDEATVR, totum corruere". Quid *Boyleo videatur*, aut in mentem veniat exiftimare, longius abeft, quam vt, affequi et comprehendere mea, poffim. Sed perfuafum habeo, nullum exftare auctorem, qui vel minimam fufpicionem dederit, exiftimare fe, *numum* hic ab *Ariftotele* comparari cum *feftertio Romano*. Somnium igitur eft fcriptoris Cenfurae; nam *mirandum non effe*, dicit, *fi nonnunquam excitetur* (p. 203.); et quidem nunc dormitare videtur. Pretium *Siculi* talenti definias fic concludendo ex hoc loco: Talentum continet XII. Νεύμμους, et finguli Νοῦμμοι valent

(p. 436.) Ἓξ Τάλαντα, et Τρία Τάλαντα. Duo antecedentia eodem sunt referenda, et corrigenda Ἑξᾶντα; tertium, Τριᾶντα. Tam leui correctione fit, vt sibi constet totus locus: et iam iam efficiam, vt pateat, esse eam necessariam et certam. *Non aegre ferat* scriptor Censurae, (p. 67.) *si subinde quaestionem faciam* suis ipsius verbis, licet, quod ille addidit, ad nomen adiungere nolim INSVLTANTEM: *Si diligentissimus noster inuestigator* sciptorum commentitiorum *hoc non obseruauit, vbi eius sagacitas est? Sin obseruauit, nec patefacit, vbi ejus integritas est?* Alterutrum sane vehementer premet: Sed, de integritate eius, spondeo, in hac parte; siquidem ex eo, quod correctione reposuit, de quo mox agendum, apparet, eius sagacitatem hic *non fuisse excitatam*.

Sed, *Pollux*, inquit, p. 87. *eodem in loco docet*: „Talentum, „in quaque regione, fuisse LX. minarum, et quamque minam „C. drachmarum. Si igitur talentum *Siculum* tantum valeat „tres drachmas *Atticas*, *Sicula* mina pluris non erat, quam ses„qualtera sartonis *Anglici*, drachma autem ne quidem LXVI. „pars sartonis, argentea illa tamen; *pecunia, quae sine adiumento microscopii numerari non possit: vt, si posthac opportunitas sit verbis exprimendi pretium, vel vilitatem potius, operis alicuius minuti et sordidi, dicendum sit, ne* Sicula *drachma dignum esse*. Placet vehementer propositum; quumque alia opportunitas melior esse non possit, hoc nouo *dicto* vtendi, bona cum eius venia dicam, ipsius *opus*, hoc ipso in loco, *minutum et sordidum esse*, *nec dignum* Sicula, quam fingat, *drachma* Nam illius, quod eius nomine dicit scriptor Censurae, in *Polluce* nihil est, *Talentum, in quaque regione, fuisse* LX. *minarum*. Ipsa auctoris verba haec sunt, p. 437. Ἡ μνᾶ καὶ ὡς παρ' Ἀθηναίοις ἑκατὸν εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. οὕτω καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις τὰς ἐπιχωρίους, δυναμένας πρὸς λόγον τοῦ καθ' ἑκάστους ταλάντου, κατά τε προσθήκην καὶ ὑφαίρεσιν. *Vt*, inquit, Athenis, *mina continebat C. drachmas* Atticas, *sic, in aliis regionibus, quaeque mina continebat C. drachmas cuiusque regionis: quae drachmae vel pluris vel minoris*, Attica, *aestimabantur, prout cuiusque talentum, pluris vel minoris*, Attico, *erat*. Ex his *Pollucis* apparet, minam cuiusque regionis C. drachmas effecisse, et drachmam cuiusque regionis fuisse sexies millesimam partem talenti istius regionis: sed ne tenuissimam haec suspicionem habent, talentum cuiusque regionis continuisse LX. minas. Sunt hae duae, vt opinor, generis valde diuersi enunciationes: quamuis eas, pro noua sua ratiocinandi via confuderit scriptor Censurae. Vbicunque *minae* et *drachmae* nominabantur, ibi talentum erat; idcirco *Pollux* vere dicit, in

quaque regione, has duas inter et minas *Atticas* drachmasque similem, quam talentum et talentum, intercedere rationem. Tum autem, verum non est, vbicunque talentum, ibi *minas* fuisse et *drachmas:* nam in *Sicilia*, et colonis *Doricis*, in *Italia*, *Tarenti*, *Rhegii*, *Neapoli*, erat talentum, non vero nominabantur, aut pecunia, aut summae, quales *mina*, aut *drachma*. Partes talenti ibi non erant minae et drachmae, sed Νοῦμμοι, Λίτραι, Οὐγκίαι. Separatim igitur ab ista reliquarum gentium, de pecunia *Sicula*, exposuit *Pollux*, p. 437. sed, si Siculum talentum ex *minis* et *drachmis*, vt reliqua, de quibus agit, talenta, constitisset: haud dubie illud etiam vniuersa talentorum ratione comprehendisset. Iudicabit iam lector, an non scriptoris Censurae opus, hic, mereatur nouo eius dicto dici, *Ne dignum quidem* Sicula *drachma*. Habeat ergo id sibi; narrat enim, *Siculi* sui *principis* (Praef. *Phalar.*) iustitiam celebratam fuisse, cum, *Perillum*, iuberet, primum facere sibi inventi periculum. *Boyleus* igitur queri non poterit, quod primum periculum faciat sui: tametsi loquendi formula maioris significationem habet *vilitatis*, quam ipse animaduertit; nam *Siculam drachmam* aestimauit LXVI. parte fartonis *Anglici*, cum nunc constet, esse omnino nihil; et eiusdem pretii, cuius *Vtopiam drachmam*.

Citat, in margine, *Boyleus Brerewoodium* et *Gronouium*, virum vtrumque doctissimum; quos dicere, ait, (p. 81. 82.) *Singula talenta habuisse* VI. *millia drachmum.* Iam, si, re vera in hac opinione fuissent; tamen hic nihil ad rem fuisset: nec enim auctoritatibus, sed veritate nitimur. Si id opinabantur, haud dubie errabant: nihil vnquam tale testati sunt, quos citat auctores *Brerewoodius, Pollux*, et *Suidas*. Sed; si aut diligentiam hic adhibuisset *Boyleus*, aut integritatem, vidisset, tantum per imprudentiam id viris istis doctis excidisse: nam, in eadem pagina *Brerewoodius*, et in eodem capite, quod citauit *Boyleus*, *Gronouius*, secundum me sententiam dicunt. *Siculum* talentum antiquitus sex, et deinceps trium, denarium fuisse. Intelligimus, aliam hic *Boyleo* esse *caussam*, *cur se excuset de multitudine*, *quae citet*, *locorum* (p. 68.)

Proximo loco (p. 83. 84.) differit de *Festi* verbis: *Talentum Syracusanum trium denarium:* quae in medium adfert cum declamatione de *Festi* Excerptis ex *Verrio Flacco*, et *Pauli Diaconi* Excerptis ex *Festo;* re nota vnicuique, qui semel inspexerit *Festi* librum. Quid autem hoc ad eius propositum? Esto *Paulus* scriptor tam *sordidus*, quam *Boyleus* velit: hic tamen locus ex eius Excerptis non est citatus, sed ex ipso *Festo*. Sed docet *Boyleus*, *quod ad propositum suum propius attineat;*

Omnibus editionibus Festi *admoneri nos, pro* Syracusanum trium millium denarium, *legendum esse*, Syracusanum trium millium denarium: ac tum, quo se iactet, marginem libri sui implet aliquot locis a se citatis. Res autem haec est: Primi editores huius loci *Festi*, cum non intelligerent, quemadmodum talentum tam paruum esse posset, vt cum tribus denariis aequaretur, id pro emendatione, vt ille putabat, in margine adscripserunt: atque ita postea mansit, fueruntque editores, qui id defenderent: nam non omnes editores, quos nouit *Boyleus*, ab erroribus immunes sunt. Sed MS. codices *Festi*, et contextus omnium editionum, habent, quemadmodum id citatum est a me: ac probatissimi quique auctores, qui his postremis centum annis de pecunia scripserunt, *Scaliger*, *Brerewoodius*, *Salmasius*, *Gronouius*, *cet.* id amplexi sunt, patebitque, veram esse scripturam, ante quam ad finem perducta fuerit haec pars.

Porro autem, e scriptoribus *Siculis*, iisque, qui de rebus *Siculis* agant, demonstrare vult (p. 85—88.), talentum istius regionis non fuisse tam paruum, quam ego vellem, e *Festi* et *Pollucis* testimoniis: Sex ex omnibus, quos citat, auctoribus, vnus duntaxat est, qui sit dialecto vsus *Sicula*, isque *Theocritus;* et sane mentionem is facit *minae*, qua constiterit amiculum, et VII. *drachmum*, quibus quinque vellera sint emta; quae non possunt esse de vili et paruo isto drachmarum genere, quod *microscopii adiumento* inuenit nunc *Boyleus.* Quod si fingamus, quod opinatur *Boyleus*, *Theocritum* hic *Siculam* pecuniam voluisse: vixisse tamen existimandus est, CCC. circiter a *Phalaride* annis: quo temporis spatio mutari pecunia, in *Sicilia*, potuisset. Pecuniam *Syracusanam*, vbi natus erat *Theocritus*, isto tempore mutatam fuisse, constat. Docet *Aristoteles*, Polit. VII. *Dionysium*, quinquennii spatio, omnem pecuniam et diuitias *Syracusiorum* sibi acquisiuisse. Et, Oecon. II. 20. cum pecuniam in foenus accepisset a ciuibus; consectantibus illis debita, quemque sub poena mortis iussisse, omnem, quam haberet, pecuniam deferre: quam delatam pondere imminuto denuo signasse, et cuique numo nouo pretium statuisse veteris duplum, atque ita soluisse suo ipsis argento. Sic *Romani*, tempore belli *Punici* primi (*Plin.* XXXIII. 3.), omne aes suum liberale imminucrunt, et ex singulis vnciis senas fecerunt, quae tantundem valerent. Sed *Dionysius* forte non tantum immutauit pecuniam *Syracusanam;* sed etiam genera et nomina eius: nam dicit ibi *Aristoteles*, feriisse *drachmam*, quae duas valeret drachmas (Δραχμὴν δύο δυναμένην δραχμάς). Iam, ex verbis *Aristotelis*, quemadmodum ea ci-

tauit *Pollux*, elici poteſt, in veteri pecunia *Sicula* haud numeratam fuiſſe *drachmam*. *Dionyſius* igitur, aut ante eum alius, pecuniam *Syracuſiam* mutauerat, ibique *Graecam* introduxerat in conſuetudinem. Sed forte hoc in loco verba *Ariſtotelis* tam ad literam non ſunt accipienda. In deſcriptione *Sicularum* Civitatum, vnde ſua hauſit *Pollux*, verbis, ibi vſitatis et propriis, vtendum erat: ſed in Oeconomicis potuit, conſueta ſcriptorum licentia, *Siculam* pecuniam ad aequalis pretii *Atticam* redigere. Per *drachmam* itaque *Dionyſii* forte vult *Siculum* Δεκάλιτρον, vel denarium, idque exprimit verbo *drachmam*, tanquam noto *Graecis*, et pretio fere aequali. Sed, vtcunque ſe habet huius rei ratio: concedendum eſt, vt opinor, CCC. annorum ſpatio rationem pecuniariam in *Sicilia* mutari potuiſſe, quemadmodum in *Anglia*, nouiſſime inſtaurata moneta, numi qui dicebantur, *Nine-pences* et *Four pence half-penies* abierunt, nec forte vnquam redibunt in conſuetudinem. Quae igitur de veteri pecunia *Sicula* tradit *Ariſtoteles*, argumentis, e re pecuniaria, qualis tempore *Theocriti*, aut poſtea eſſet, ductis, refutari non poſſunt.

Praeterea, eſt quod ad hoc, e *Theocrito*, exemplum reſpondeam; nec enim poeta pecuniam *Siculam* voluit. Sunt loca, a *Boyleo* citata, ex Idyll. XV.

Γο. Πραξινόα, μάλα τοι τὸ καταπτυχὲς ἐμπερόναμα
  Τοῦτο πρέπει· λέγε μοι, πόσσω κατέβα τοι ἀφ' ἱςῶ;
Πρ. Μὴ μνάσης, Γοργοῖ· πλέον ἀργυρίω καθαρῶ μνᾶν
  Ἢ δύο — — . et,
Χὠμὸς ταῦτά γ' ἔχει, Φθόρος ἀργυρίου, Διοκλείδας·
Ἑπτὰ δραχμῶν κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηρῶν,
Πέντε πόκως ἔλαβ' ἐχθὲς, ἅπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ' ἔργῳ.

vbi, *minas* et *drachmas* nominari, fatendum eſt: Sed quaenam perſonae inducuntur? *Matronas* Syracuſias *eſſe*, dicit *Boyleus*. Nec mirandum eſt, quod matronas fecerit ex mulieribus vilis conditionis; nam *Zaleucum regem* fecit ex paſtore: et ire ad palatium ſpectatum currum, puta, regis pretioſum, *Boyleano* ſermone eſt, *frequentare aulam*. Sed vt mittam hoc; vbi, obſecro, erant illae matronae, quando hoc dicebant? Equidem obſtupeſco, cum cogito, qua hic via inſtituerit ſcriptor Cenſurae: nec ſcio, quid dicam, niſi rurſus, fatale ei videri fuiſſe, errare. Quid? ne hic quidem *excitatus* erat; vt non videret, ſcenam, in hoc idyllio, non eſſe *Syracuſis*, in *Sicilia*, ſed *Alexandriae*, in *Aegypto?* Ipſum idyllium, ſi vnquam id legiſſet, docuiſſet hoc abunde:

Βᾶμες τῶ βασιλῆος ἐπ' ἀφνειῶ Πτολεμαίω.

Eamus ad Ptolemaei *regis palatium*, altera mulier inquit; ac ſimul eunt, redeuntque domum ante *meridiem.* Quod ſi iam in eadem vrbe degebant, via iſta confici poterat; ſed, *Syracuſis Alexandriam*, et inde retro ire *Syracuſas* antemeridiana ambulatione, idque trans mare, prodigio ſimile eſt. Vt verbo dicam; patria quidem erant *Syracuſiae;* ſed commigrauerant *Alexandriam*, ibique ſuos maritos, liberos, ſeruos, et domicilia, habebant. Apparent haec omnia ex eodem carmine, et, ne *Boyleus* dicat, minas et drachmas, hic, inſumtas eſſe in texta *Syracuſis*, ante, quam inde proficiſcerentur, ipſe verſus, quem citat, contrarium docebit, Πέντε πόκως ἔλαβ' ΕΧΘΕΣ — HERI *maritus meus* VII. *drachmas in lauam impendit.* Sed, ſi prae ſe ferat, cognouiſſe ſe, ſcenam horum omnium fuiſſe *Alexandriae; vbi eius* ſagacitas, vt non animaduerteret pecuniam *Alexandrinam* intelligendam eſſe, non vero, priſtinae illarum ſedis, *Siculam.* Si *Francia* profugus hic, *Londini*, cum aliquo pepigerit ſolido, aut ſemiſſe (with Sixpences and Shillings); num *Boyleus* concludet, eſſe quoque pecuniam *Francicam?* Habes aliud eius *opus*, *haud dignum* Sicula drachma: et, quod lepidus noſter ratiocinator dicit (p. 87.), VII. *drachmas*, *apud* Theocritum, *ne quidem octauam partem fartonis valere, ſi pendantur pecunia* Bentleiana, id, vt reliqua, quae dixit, accipiendum eſt in ipſummet dictum, et tum verum eſt. Nam ex *rationibus* Bentleianis erant *drachmae Alexandrinae;* neque adeo minoris, quam drachmae *Atticae,* ſed duplo pluris.

Praeterquam quod de ipſa cauſa diſſerit *Boyleus*, data occaſione, alia quoque, pro ſua eruditione admiſcet. Docet (p. 86.), in priore loco — Πλέον ἀργυρίω καθαρῶ μνᾶν Η δύο — H. Stephanum, *in margine, habere* Μνᾶς: et, ex iſta ſcriptura, *Boyleus* reddit (p. 87.), *Conſtat plus mina vel duabus;* quaſi ſit Πλέον μνᾶς ἢ δύο. Vt autem, quantum poſſit, concedamus *Boyleo*, in *Latinis,* quae ante eum facta ſunt, exemplis ſic eſt: *Plus mina vna et altera; Plus mina vna vel duabus.* Iam vero mina erat libra argenti pondo, atque adeo tres libras ſterlingum valebat. Dicat autem *Boyleus,* quae ſit eius, aut illorum, verbis ſubiecta ſententia: *Dic mihi, quanti conſtat tibi amiculum?* Reſp. *Valde carum eſt: conſtat pluris* TRIBVS *aut* SEX *libris ſterlingum.* Quis, obſecro, talia dixit vnquam? Quid? non media pecunia inter *tres* et *ſex* libras eſt? Si ex aliquo quaeram, quanto locet domum ſuam; ille autem, quadraginta amplius vel octoginta libris in annum; iocus fortaſſe videbitur; at non reſponſio. Attamen ſeria haud dubie verba mulieris *Theocriteae* ſunt, nec illa ex eorum fuiſſe numero vi-

detur, *quibus iocosa et ludicra omnium praecipua oblectamenta sunt*. Si re vera hunc in modum scripsisset *Theocritus*, aequo id animo acciperet, puto, *Boyleus*, sed metuendum fuisset, ne *Ptolemaeus*, vir stomachi, cui a *Theocrito* offerretur hoc carmen, eum remuneraret *Siculis drachmis*. Sed vitium poetae non est, sed eorum, qui eum sunt interpretati; et vera scriptura est MNAN, casus secundus *Doricus*, pro μνῶν; et verba construenda sunt, Πλέον ἢ δύο μνᾶν ἀργυρίω καθαρῶ, *Constat mihi minis plus duabus argenti puri*.

Est etiam aliud vitium in altero, quem citat scriptor Censurae, loco,

Ἕπτα δραχμῶν κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηρῶν.

nam in veteribus editionibus, Aldina, aliisque, est,

Ἑπταδράχμως κυνάδας —

quod, cum non intelligeretur, mutatum fuit dein ab editoribus. Sed vetus scriptura vera est; si accipimus, vt fieri debet, Ἑπταδράχμως, quartum casum *Doricum*, pro ἑπταδράχμους, ab Ἑπτάδραχμος. Sententia quidem eadem est, sed multo elegantior verborum compositio. Dixerit fortasse *Boyleus*, nec sine ratione, quod loca haec correcta non sint, sibi vitio verti non posse, quum tanti viri, *Stephanus*, *Casaubonus*, *Heinsius*, *cet*. aeque, atque ipse lapsi sint. Hoc igitur concedamus, nec culpam in eum conferamus: Sed tum abstinendum ei est ab iniuriis et contumeliis in alios, qui in hac parte eruditionis *illustranda* versati sunt, si absit inuidia.

Reliqui, quos citat *Boyleus*, ad demonstrandum, talenta, minas, et drachmas, aequales illis in *Graecia*, in vsu fuisse in *Sicilia*, sunt *Thucydides*, *Plato*, *Polybius*, *Diodorus*, et *Plutarchus:* sed nemo eorum *Siculus*, praeter *Diodorum;* et is historiam scripsit in peregrina regione, vsus est dialecto communi, fuitque D. annis posterior *Phalaride*. Vt ergo generatim ad haec respondeam; nam res notior est, quam vt sigillatim omnia exponam; sciat, quod vnicuique notum est, sed ab ipso ignoratur, Omnes, qui *Attica* aut communi dialecto scripserint, pro more, summas, in quaque regione, quarum facerent mentionem, rationibus *Atticis* expressisse; non, quod opinarentur, *Atticos* nummos vere iis occasionibus numeratos fuisse, sed, pecuniam, cuius ea cunque generis esset, aequalem fuisse siue pondere siue pretio tali summae pecuniae *Atticae*. Quod cur facerent, satis apparet: cum enim in publicum vsum suas historias componerent, omnium optime se facturos esse, opinati sunt, vt ab vnoquoque intelligerentur, si pecuniam ad

genus communiter notum redigerent. Quod ſi vnquam *Latinos* et *Graecos* ſcriptores hiſtoriae *Romanae* inter ſe compoſuiſſet *Boyleus*, id non potuiſſet non obſeruare. Vnum et alterum exemplum proponam, quod inſtar omnium ſit. *Liuius*, qui, cum *Romanus* eſſet, lingua patria ſcripſit, *Seruium Tullium*, tradit, l. I. ciuium *Romanorum* quinque claſſes deſcripſiſſe; primam eorum, qui *centum millium aeris* cenſum haberent, ſecundam, qui quinque et ſeptuaginta millium; et ſic porro reliquas. Sed *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, qui *Graecis* ſcripſit, has ſummas in *Atticam* pecuniam conuertit, et primae claſſis cenſum fecit Ἑκατὸν μνῶν, ἢ μυρίων δραχμῶν, *centum minum, vel decem millium drachmum:* Secundae, Πέντε καὶ ἑβδομήκοντα μνῶν ἢ ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων δραχμῶν, *quinque et ſeptuaginta minum, vel ſeptem millium quingentum drachmum*, et ſic porro. Haec autem, a *Graeco* hiſtorico tradita, vera eſſe non poſſunt, ſi ita accipiamus, ac ſi vere in vſu fuiſſent iſtae drachmae: nam conſtat, *Romanos* argento ſignato non fuiſſe vſos ad annum vsque trecenteſimum ab hoc *Seruio*. Sed quamuis rationes differant, ſummae tamen conueniunt pretio, nam, X. aſſes aerei cum *drachmam* vnam *Atticam* valerent, centum millia talium *aſſium* valebant decem millia *drachmum*, et quinque et ſeptuaginta millia *aſſium* ſeptem millia et quingentas *drachmas*. Idem *Liuius* auctor eſt, *Camillo* irrogatam fuiſſe *multam quingentum millium aeris:* cuius loco *Plutarchus* argentum ſignatum reponit, dicitque (in Camill.) πέντε μυριάδων ἀργυρίου ζημίωσιν, *multam quinquaginta millium drachmum.* Attamen *Romanis* in vſu non fuit argentum ſignatum, niſi demum centum a *Camillo* annis. Si igitur *Plutarchus*, in rebus *Camilli* exponendis, *Romanam* pecuniam in *Atticam* conuertit; quid eſt, quod non *Siculam* in iis *Timoleontis* commutare potuerit? Quod ſi fecit, cur non idem potuit *Polybius?* cur non multo magis *Plato* et *Thucydides*, *Athenienſis* vterque? Erat quidem *Siculus*, *Diodorus;* ſed, cum dialectum *Siculam* poſthaberet, tum abiicienda erant nomina et genera iſtius pecuniae; nec in hiſtoriam interponendi νοῦμμοι, οὐγκίαι, ἑξᾶντες, et πεντούγκια, quorum verborum vim exteri, niſi grammatici, et antiquitatis inueſtigatores, neutiquam intelligerent. Praeterquam quod, vt ſupra notaui, tot ſaeculis poſterior *Phalaride* eſt, vt omni iſto tempore pecunia iſtius inſulae mutari ad rationem *Graecae* potuerit. Sed vetera nomina pecuniae in tempora *Gelonis*, tyranni *Syracuſani*, viguiſſe ibi, LXX. poſt *Phalaridis* mortem annis, ipſe *Diodorus* docet. Nam, caeſis *Carthaginienſibus*, *Demaretam* dicit, vxorem *Gelonis*, nummum feriiſſe, *qui valeret X. drachmas* Atticas; Siculos

vero a pondere nominaſſe Πεντηκοντάλιτρον (*Diod.* p. 21. Εἶχεν Ἀττικὰς δραχμὰς δέκα· ἐκλήθη δὲ παρὰ τοῖς Σικελιώταις ἀπὸ τοῦ ςαθμοῦ Πεντηκοντάλιτρον·) Vel vnus hic locus indicio eſt, nec re, nec nomine, pecuniam, qualem *drachmam*, in *Sicilia* iſtis temporibus fuiſſe. Nam, ſi fuiſſet, nominatum fuiſſet Δεκάδραχμον, quod *decem drachmas valeat;* non autem Πεντηκοντάλιτρον, *a pondere quinquaginta litrum.* Ex quo verbo copulato apparet plane, *litram*, ex eo genere pecuniae *Siculae*, de quo ego, et, quos citaui, auctores, contendamus, adhuc in vſu fuiſſe tempore *Gelonis.* Haud dubie igitur ibi in vſu *Phalaridis* tempore, et, ſi, *litram* fuiſſe pecuniam *Siculam*, agnoſcas, confitendum erit, reliqua, ab *Ariſtotele* et *Polluce* commemorata, quoque fuiſſe; δεκάλιτρον, ἡμιλίτρον, *cet.* eſt enim horum vna ratio, et, poſito altero, ponitur alterum, vt, ſi *Anglici* coronati dimidium dicimus, ponimus, eſſe coronatum. Quid eſt iam, in quo ſcriptori Cenſurae profuerint *probati* ſui *auctores* Siculi? Quo ſpectat ridicula ratiocinatio iſta? (p. 87. 88.) *Talentum, ſiue ſolidum cum dextante et ſemuncia, in ſtipendium menſtruum nauis.* CC. *minas*, i. e. VI. *ſolidos cum quadrante in funus ducis, cum pompa elatum.* Quae haud ſcio, an alio ibi ſpectent, niſi vt iis velut emblematis ſuum opus exornet; quae, primo aſpectu, imperitis lectoribus res praetioſae videntur, aeque vt talenta *Graeca*, et minae erant; ſed, cum propius accedis, abeunt in *talenta vnius ſolidi cum ſemiſſe, et minas trium ſartonum.*

Sed vide, quid ſit rem habere cum tanto defenſore: *Agnoſci poſſe*, dicit (p. 88. 89.), *vilitatem* Siculi *talenti, et tamen Epiſtolas veras cenſeri. Fingi enim varia, quae fieri non poſſe, demonſtrandum ſit ante, quam inde duci aliquod firmum argumentum poſſit, quo, commenticias eas eſſe, pateat.* Demonſtrare ea, quae fingantur, *fieri non poſſe*, perdifficile eſt: et, ſi nihil aliud in cauſa valeat, facilius ex *Iudaeo Chriſtianum* facias, quam quid *perſuadeas Boyleo.* Sed videamus, quae fingat: I. (p. 89.) *Eſſe potuit vilis pretii talentum* Siculum, *alia quadam tempeſtate, et tamen talentum, tempore* Phalaridis, *plus valere potuit.* Sed mox docebo, tempore *Epicharmi* et *Sophronis*, quae proxima ab illa *Phalaridis* aetas erat, eam fuiſſe pecuniae *Siculae* rationem, quam eo ſtatui: dicitque *Ariſtoteles*, τὸ ἀρχαῖον, ANTIQVITVS (*Poll.* p. 437.), talentum ibi fuiſſe XXIV. νούμμων tantum, id eſt, VII. ſolidum Angl. fere. II. *Aut exiguum talentum in aliis* Siciliae *partibus eſſe in vſu potuit, maius vero* Agrigenti. Sed generatim dicit *Ariſtoteles* (ibid.) Σικελικὸν τάλαντον, *Talentum* SICVLVM, fuiſſe

νούμμων XXIV. quo continetur quoque *Agrigentum*, nisi id quoque, vt *Astypalaeam*, in *Cretam* transferre velit *Boyleus*. Imo, declarat philosophus, *Λίτραν* pecuniam AGRIGENTINAM fuisse (*Pollux*, p. 2. 6. 436. Ἐν Ἀκραγαντίνων Πολιτείᾳ Φησὶν Ἀριστοτέλης ζημιοῦσθαί τινα λ. Λίτραις); et, si litrae ibi locus fuit, consequens est, vt quoque talento et reliquis] fuerit. III. *Aut potuit esse talentum vilioris metalli, velut aeris, litrae aequale: et tamen* Phalaridis *talenta argentea pluris esse potuerunt.* Quae hic finguntur, tot habent vitia, vt vix sciam, vnde ordiar. Opinatur, talentum, in *Sicilia*, certum quendam nummum fuisse; sed erat summa, vt libra, in *Anglia*. Ac tum putat, talentum aeris minus esse eo argenti: quod perinde est, quasi dicat, libram, solutam sartonibus aereis, minus esse, quam libram solutam solidis. Vnde vero ista tam sordida haurire potuit, *talentum aereum aequale litrae?* Ne hic quidem *excitatus* fuisse videtur: sed dixeris, expergefactum tandem fuisse, cum secundum, aut tertium, librum suum ederet. Litra aeris *Sicula* libra pondo erat, et LX tales erant in talento. Et numulus argenteus, quae valebat litram aeris, inde nominabatur quoque litra (vt, apud *Romanos*, nummus argenteus dicebatur *denarius*, quod valebat X. asses aeris), et LX. istae *litrae* argenteae efficiebant talentum argenti. Vt talentum argenti cum talento aeris aequaretur, et vtrumque contineret LX. litras. Sed, in margine hic, habet *Boyleus, Talenta, apud* Pollucem, *comparari cum* Χαλκοῖς, *et illis minus valere.* Acute vero! quae hic in margine sunt, variis in locis, illas, in contextu, superant. In contextu, hic, dicitur talentum aeris aequari cum litra; sed in margine, minus esse, quam χαλκοῦν; quae litrae pars tantum duodecima. Vt, comparato contextu cum illis, in margine, enunciatum comprehendatur simile huic: *Liber quidam nuperi cuiusdam scriptoris quatuor solidis aestimatur, et etiam constat dodrante.* Sed huic, in margine, flagitio ansam dedit scriptura corrupta, apud *Pollucem*, Ἓξ τάλαντα, ὅπερ ἐςὶ δύο Χαλκοῖ, i. e. *Sex talenta, quod est, duo chalci:* vbi, iam monui, ac statim docebo, corrigendum esse Ἐξᾶντα. Testor autem omnes *Anglos*, qui hunc librum legant, etiamsi Graecarum literarum plane rudes sint; nisi locus, vt eum bona fide reddidi, semet corruptum, prodat. Cum enim in eo esset auctor, vt genera pecuniae compararet, id, vt omnes solent, minimo numero descripsisset; et haud dubie posuisset, *Tria talenta, quod est, vnus chalcus*; non *sex efficiunt duo.* Verum tamen *Boyleus*, qua est solertia, concludit ex hac scriptura, quasi ea vera esset. VI. *Aut potuit esse paruum pretium* (*talentum* voluit, vt opinor) *in vsu apud vete-*

res Siciliae *incolas; et tamen talentum, quo vterentur* Graeci *coloni, qui sedem ibi collocarunt, potuit esse maius.* Sed ipsa nomina pecuniae, de qua agitur, indicant, se non pertinere ad *Sicanos*, aut *Phoenices*, in *Sicilia*, sed colonias *Graecas*: vt Οὐγκία ab ὄγκος; Νοῦμμος a νόμος: Τετρᾶς, Τριᾶς, Ἑξᾶς, Ἡμιλίτριον, Δεκάλιτρον· quae haud dubie *Graeca* sunt, nec vllo modo *Phoenicia*, aut barbara *Sicanorum*. Ac *Diodorus*, Σικελιώτας, *Siculos Graecos* (non priscos insulae incolas), dicit, pecuniam tempore *Gelonis* nominasse Πεντηκοντάλιτρον. Similiter *Pollux* et *Aristoteles* nominatim dicunt, fuisse pecuniae genera τῶν ἐν Σικελίᾳ Δωριέων, *coloniarum* Doricarum, *in* Sicilia: ac, Νοῦμμον fuisse numum *Tarentinorum*, in *Italia*, quae etiam colonia *Dorica* erat, nec quidquam commune cum priscis *Sicanis* habebat. V. *Aut si hae Epistolae potuerunt manu recentiori e dialecto* Dorica *in* Atticam *esse conuersae, eadem manus potuit efficere, vt in summis describendis* Atticam *rationem sequerentur.* Hoc postremum est eorum, quae fingit, et omnium lepidissimum: et, quamquam non dubito, omnibus, qui legant, id risui fore; tamen ad id respondebo, vbi generatim de defensione agam. Superauimus, et, vt spero, salui, omnia eius figmenta: et, quamquam non id mihi sumo, quasi, *fieri non posse*, demonstrauerim, tamen ostendi, tam esse vana et absurda, vt aliquem sanae mentis, ea finxisse, pudeat. Sed demonstrare, aliquid huius generis *fieri non posse*, id ipsum eorum est, quae fieri non possunt. Quomodo enim ratiocinando concludi potest de rebus historicis? Quod si ergo nihil aliud est, nisi quod plane *fieri non potest*, quo *persuadeas* scriptori Censurae, eius *Phalarin* esse commenticium; *suo solatio* adhuc, verum esse, credat. Sed ista ratione aptus est ad credendum, vera esse, quaecunque ficta legat in *Ouidii* Metamorphosi, aut Asino *Apulei*.

Sed male habet, quod, etiamsi restiterimus aduersus tot *figmenta*, tamen in eodem adhuc loco res est. Nam concludit tandem, *Etiamsi nihil eorum, quae dixerit, valeat, conuenire inter eos, qui de his rebus agant, et tam parui aestiment* Siculum *talentum, vbicunque talenti, apud* Graecos *scriptores* (vt est in Epistolis *Phalaridis*), *mentio fiat, sine vllo adiuncto verbo*, Attici *talenti rationem esse habendam.* Atque hanc in rem citat *Gronouium*, *Bernardum*, et *Brerewodum*. Fac iam, verum hoc esse, quid inde ad acerrimum nostrum criticum redundabit commodi? Nonne ipse dico etiam, in *Phalaridis* Epistolis, talentum *Atticum* esse spectandum? Ipsae cuiusque loci, vbi talenti fiat mentio, rationes, ibi, declarant, auctorem voluisse

Atticum: et folum fundamentum iactum eft eorum omnium, quae, hac parte, contra illum, difputantur. Perfuafum igitur habeat *Boyleus*, me nunquam *Phalaridis* Epiftolas excepturum contra iftam regulam *Grououii*. *Atticum* fpectari, in Epiftolis, in omnes partes conceffum eft; fed, an verbo fuiffet vfus verus *Phalaris*, ea quaeftio. Num autem tale quid a *Boyleo* in margine citata demonftrant? *Diodorus* fane, *Siculus* licet, habebat, cur ad *Atticam* pecuniam rationes iniret; quod fcribebat dialecto communi, quod *Atticae* pecuniae pretium omnibus cognitum erat, quod eadem alii ante fe hiftorici via inftituerant. Sed *Phalarin*, propterea exiftimandum eft, vfum fuiffe *Atticis* rationibus tum, quum non magis *Atticum*, quam *Siculum*, talentum eft notum? Num id feciffe in priuatis Epiftolis, non eo fcriptis, vt ederentur in publicum? in rationibus expenfi domeftici; quod, cum *Sicula* pecunia effet numerata, ad *Atticae* rationem exprimi, fine moleftia partium minutarum, non poterat? Quod fi pertinaciter haec tam abfurda defendere velit *Boyleus;* plane perfuadebit lectoribus fuis, quidquid etiam fuerit eius in *Phalaridis rationibus*, in *Boyleo* nihil omnino effe *Attici*.

Dicit *Boyleus*, *Animaduertere fe*, (p. 88.) *fcriptores, qui nunc fint, opinari* Siculum *talentum parui pretii effe, pro eo ac compertum habebat, non alio uixos teftimonio, nifi obfcuris et interpolatis locis* Pollucis *et* Fefti; *fed*, (p. 84.) *fufpicionem confirmandam fuiffe idoneis teftimoniis, ex probatis* Siculis *auctoribus depromtis, aliisue, qui ex inftituto de rebus* Siciliae *egerint*. Igitur patefaciam ei, quibus teftimoniis nitar; et fimul apparebit, *probatos auctores* Siculos, quales *Epicharmum*, et *Sophronem*, qui proxime aetatem *Phalaridis* vixerint, et *eos*, *qui ex inftituto de rebus* Siculis *egerint*, velut *Ariftotelem*, in Libris de *Siculis* Rebuspublicis, omnes confirmare opinionem illam, pecuniam *Siculam* ab *Attica* fuiffe diuerfam tam generibus, quam nominibus. Sed, quo clarius pateat id, quod dicturus fum, tabulam exhibebo pecuniae *Siculae*, ex illorum fcriptorum opinione; eamque cum *Romana*, quae hanc quafi ftirpem habeat, comparabo.

TABVLA PECVNIAE SICVLAE.

METALLVM.	PEC. SICVL.	ROMANA.	PRETIVM.
Aes aut Argentum.	Τάλαντον.		LX. aereae aut Argenteae litrae.
Argentum.	Πεντηκοντάλιτρον.		L. Litrae.
Argentum.	Δεκάλιτρον.	*Denarius.*	X. Litrae.
Argentum.	Νοῦμμος.	*Nummus, Sestertius.*	II. Litrae cum semisse.
Aes aut Argentum.	Λίτρα.	*Libra, As, Libella.*	Libra pondo aeris, aut nummus argenteus, qui tantundem valeat.
Aes, Argentum.	Ἡμιλίτριον.	*Semissis, Sembella.*	Dimidium litrae.
Aes.	Πεντούγκιον.	*Quincunx.*	V. Vnciae aeris.
Aes.	Τριᾶς.	*Triens.*	Tertia pars litrae.
Aes.	Τετρᾶς.	*Quadrans, Teruncius.*	Pars quarta litrae.
Aes.	Ἑξᾶς.	*Sextans.*	Sexta pars litrae.
Aes.	Οὐγκία.	*Vncia.*	Vncia aeris.

Hac tabula comprehenduntur nomina omnia tam summarum, quam nummorum *Siculorum*, a maximo ad minimum: ac ponam infra loca auctorum, quibus vnumquodque eorum nitatur, et confirmetur.

ΤΑΛΑΝΤΟΝ.

TALENTVM Siculum, inquit *Pollux*, p. 431. *omnium minimum est. Antiquitus continebat, vt docet* Aristoteles, XXIV. Νέμμας; *sed postea tantum* XII. Iam autem, Νεμμος, vt mox docebo, denarii quarta pars erat: vt vetus talentum fue-

rit VI. denarium, nouum autem trium. Et cum *Aristotele* ex omni parte consentit *Suidas*: nam, v. Τάλαντον, docet, *apud* Siculos Graecos *talentum antiquitus fuisse* XXIV. nummum, *sed nunc* XII. Editum est μνῶν, sed vera scriptura est, Νέμμων, vt docet locus *Aristotelis;* atque sic correctum est a *Budaeo*, et omnibus dein, qui hanc quaestionem tractarunt. Vox νέμμων, cum librarius nesciret, quid valeret, male in μνῶν, fuit mutata. His addo *Festum*, qui, cum diuersa genera talentorum describeret, *Talentum* Neapolitanum, tradidit, *esse sex denarium;* Syracusanum, *trium;* Rheginum, *victoriati.* Quod *Festus Neapolitanum* talentum dixit, pretio aequatur cum veteri talento *Siculo:* quod mirandum non est, quum *Aristoteles* et *Pollux* Νέμμων, dicant, e genere pecuniae *Siculae*, communem fuisse *Tarentinis*, et aliis coloniis *Doricis*, in *Italia*. Est autem *Syracusanum* talentum *Festi* idem, quod *Aristoteles* et *Suidas* dicunt nouum *talentum* Siculum. Sunt ergo quatuor, *Aristoteles*, *Pollux*, *Suidas*, et *Festus*, qui, paruum fuisse talentum *Siculum*, tradant. Quodque *Festi* verba mutare *Boyleus* et quidam alii voluerunt, id nunc vanum esse, apparet. Voluerunt sic interpolare locum, *Syracusanum trium (millium) denarium.* Sed, quibus auctoribus, hoc, de talento trium millium denarium, dicunt? Nullis omnino. Non ergo laudabilis correctio est, aeque digna, quam amplectatur *Boyleus*, quum mutet scripturam, a tribus scriptoribus confirmatam, et aliam substituat, nullo probatam testimonio? Quid autem fiet proximis verbis, *Rheginum, victoriati?* Num quoque ibi interponent *millium*, efficientque, vt nec *Latinitas*, nec sententia, sibi constet? Sed si talentum *Rheginum* tantum valet quinque libras aeris; cur paruum nimis censendum illud *Siciliae* est, quum aequatur cum triginta aut sexaginta?

Certum est, *Romanos* talentum commune *Atticum* vocasse *talentum magnum:* quomodo a nullo vnquam scriptore *Graeco* fuit nominatum: vt in eius causis exquirendis multum operae et industriae collocarint, qui postremo hoc saeculo fuerunt, antiquitatis inuestigatores. Sed suspicio est *Gronouii*, viri doctrina et ingenio clari, quae vera et certa videatur, de Pecun. Vet. III. 3. Haud erat *Romanis* siue summa, siue nomen *talenti*, in rationibus ineundis; sed in commerciis cum vicinis *Graecis*, *Siculis*, *Rheginis*, *Tarentinis* *Neapolitanis*, talentum, nouerant, cum parua pecunia aequari. Postquam autem fines imperii per alias *Graeciae* partes propagassent, et plura ipsis et crebriora cum *Graecis* negotia essent, talentum, compererunt, ibi magnam pecuniam esse, summamque sex millium denarium valere; millies, aut bis millies, aut duodecies millies

tantum, quantum talentum populorum vicinorum. Hoc igitur *talentum magnum* vocarunt, et, progreſſu temporis, ſolum *talentum*; cum altera ſignificatio obſoleſceret. Haud dubito, quin aequi lectores omnes hanc *Gronouii* opinionem amplexuri ſint. Et, quemadmodum *talentum magnum*, quod dicitur, ſic vere explanatum eſt paruo talento *Siculo*: ſic iſtius talenti exiguum pretium mutuo illuſtratur *talento*, quod vocatur, *magno*.

Sed eſt aliud, cuius nondum explicata ratio eſt, vnde ſit, quod in *Doricis* iſtis coloniis nomine, *talentum* pecunia tam parua deſcripta fuerit. Bona cum venia, quod ſuſpicor, aperiam, ac docti videbunt, an a coniectura aberret. *Talenti*, (*Suid. Poll.* alii.) proprius olim locus erat in ratione ponderum, idque generatim continebat LX. libras pondo quarumvis rerum. Cum autem λίτρα aerea *Sicula* principio eſſet libra pondo, vt apud Romanos *libra* vel *as*; LX. tales *litrae* LX. libras omnino pendebant, ac propterea *talentum* dicebantur. Dein, cum argentum ſignatum apud eos in conſuetudinem veniret, genus quodque, ex eo, nomen accepit a ratione, quae, hoc inter et litram aeream, intercederet. Vt numulus argenteus, qui aeſtimaretur libra aeris pondo, dictus ſit λίτρα; alius, qui decem, Δεκάλιτρον: ſimiliter ac *Romani* numum argenteum vocabant *denarium*, quia valebat *denos aſſes*. Ad eandem normam igitur ſumma argento appenſa, LX. *litrum*, aut ſex (Δεκαλίτρων) denarium, *talentum* dicebatur: quia valebat LX. libras aeris. Ratio, vt opinor, probabilis haec eſt, cur *vetus* talentum *Siculum* VI. fuerit denarium, vel, vt *Ariſtoteles* dicit, XXIV. *nummum*. Sed idem auctor eſt, deinceps talentum redactum fuiſſe ad XII. *nummos*, ſiue III. *denarios*. Cuius haec fuiſſe cauſa videtur. Sicut *Solon* pondus *Atticae* drachmae quarta parte minus fecit, vt centum penderent libram, quae ante contineret LXXV; ſicut *Romani*, tempore belli *Punici* primi, librale pondus aeris imminuerunt, vt *aſſes*, qui tum eſſent librales, *ſextantario* pondere ferirentur: ita *Siculi* videntur pondera aeris dimidia parte imminuiſſe; et tamen vetera nomina (vt apud *Romanos*) retinuiſſe, etiamſi pondus eſſet mutatum. Talentum igitur aeris, continens LX. eiusmodi litras ſemiſſes, plus non erat, tribus denariis, aut XII. nummis. Sed *Rhegini*, ex teſtimonio *Feſti*, litram libralem aeris commutaſſe cum vnciali videntur: quod conuenit cum eo, quod fecerunt *Romani*, bello *Punico* ſecundo, quum *aſſem vnciali* pondere ferirent. Qua ratione, etiamſi etiam *Rheginis*, in initio, talentum eſſe potuerit LX. litrum libralium; poſt tamen, iis imminutis, ex vncialibus factis, talentum LX.

talium litrum pluris non fuisset aestimatum dimidio denarii, vel victoriato *Festi*.

ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑΛΙΤΡΟΝ.

Rationem huius numi exposuit *Diodorus Siculus*, p. 21. *Carthaginiensibus*, in *Sicilia*, a *Gelone* devictis, Olymp. LXXV. 1. *Demaretam*, eius vxorem, pro iis intercessisse, et pacem obtinuisse; tum numum feriisse L. litrum, i. e. quinque Δεκαλίτρων, denarium; vel, vt *Diodorus* dicit, X. drachmum *Atticarum*. Δημαρέτιον nomen erat pecuniae huic, a nomine illius, et, apud *Siculos*, Πεντηκοντάλιτρον, a pondere et pretio eius. Eiusdem numi mentio facta est a *Polluce*, p. 437. sed causam eius feriendi plane diuersam tradidit; Demaretam, *cum marito ad bellum*, *contra* Carthaginienses, *pecunia non sufficeret, vna cum reliquis mulieribus e vasis suis argenteis pecuniam fecisse, eique nomen fuisse datum νόμισμα Δημαρέτιον.* Sed ipsum pecuniae pondus, cum quintuplo plus penderet, quam grauissimus, qui ante fuerat in vsu, numus, indicat, veriora esse, quae *Diodorus*, quam quae tradat *Pollux*. Nam, si pecuniae inopia pressus fuerat *Gelo*, haud dubie quam minima numorum pondera fecisset; cum tamen hic ita comparatus esset, vt magnitudine sua amplitudinem victoriae et praedae declararet. Fuit haec *Demareta Theronis*, *Agrigentinorum* tyranni, filia, et, post mortem *Gelonis*, matrimonio iuncta *Polyzelo*, eius fratri; vt docet scholiast. in *Pindar*. Olymp. II: qui addit, ab illa nominatum fuisse numum *Siculum* Δημαρέτειον ('Αφ' ἧς καὶ τὸ Δημαρέτειον νόμισμα ἐν Σικελίᾳ). Tradit praeterea *Diodorus*, ibid. *Gelonem* e parte praedae tripodem aureum fecisse XVI. talentum, eumque *Delphos* misisse sacrum *Apollini*.. Atque in hunc *tripodem* epigramma *Simonidis* est, quod nondum in publicum editum esse, puto; quapropter illud ex Anthologia MS. hic describam;

Σιμωνίδου.

Φημὶ Γέλων', Ἱέρωνα, Πολύζηλον, Θρασύβουλον,
Παῖδας Δεινομένευς τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι,
Ἐξ ἑκατὸν λιτρῶν καὶ πεντήκοντα ταλάντων
Δαρετίου χρυσοῦ τᾶς δεκάτας δεκάταν.

Vbi obseruandum est, *Simonidem*, qui forte tum erat in *Sicilia*, et tripodem viderat, dicere, eum fuisse L. amplius talentum; tametsi *Diodorus* XVI. habeat. Si fides habenda est scholiastae in *Pindar*. Pyth. 1. non vnus, sed plures tripodes fuerunt, quos consecraret *Apollini Gelo*, sic inscriptos ('Αναθεῖναι τῷ θεῷ χρυσοῦς τρίποδας ἐπιγράψαντα ταῦτα):

Φημὶ Γέλων', Ἱέρωνα, Πολύζηλον, Θρασύβελον,
Παῖδας Δεινομένευς, τὰς τρίποδας θέμεναι,
Βάρβαρα νικήσαντας ἔθνη, πολλὴν δὲ παρασχεῖν
Σύμμαχον Ἕλλησιν χεῖρ' ἐς ἐλευθερίην.

Quod idem esse, apparet, epigramma, quod *Simonidi* adscribatur: et forte alterum ex altero supplendum est; vltimos versus huius ad illud addendo. Sed quid sibi vult illud Δαρετίε χρυσε? Si loca, iam citata ex *Diodoro*, *Polluce* et scholiasta in *Pindar.* quae omnia hoc epigramma spectant, consideramus; vix dubium esse potest, quin vera scriptura sit,

Δαμαρετίε χρυσε τᾶς δεκάτας δεκάταν.

Vbi, necessitate coactus, poeta paeone in loco dactyli vsus est; vt sine necessitate vlla alius poeta fecit,

Ἀλλὰ τεὸν ἔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθε.

Librarii autem, id non reputantes, cum versum viderent syllaba abundare, scripserunt Δαρετίε; quod abhinc annis amplius DCC. factum est, vt apparet ex *Suida*, v. Δαρετίε· Δαρετίε, inquit, τὸν τρίποδα δ' ἀνθέμεναι ἐξ ἑκατὸν λιτρῶν καὶ πεντήκοντα ταλάντων δαρετίε χρυσε τᾶς δεκάτας: vbi verbum positum est; sed sine explanatione. Dedit tantum is partem epigrammatis nostri, vbi illud Δαρετίε inueniret: et, cum verbum illud, et apud *Suidam*, et in epigrammate, corrigendum sit ex testimoniis aliorum, tum reliquum istius loci, apud *Suidam*, corrigendum est ex epigrammate.

ΔΕΚΑΛΙΤΡΟΝ, ΛΙΤΡΑ, ΗΜΙΛΙΤΡΙΟΝ.

Docet *Aristoteles*, libro, de *Republica Agrigentinorum* (*Poll.* p. 216, 436.), *fuisse ili, qui mulctaretur* (τριάκοντα λίτραις) XXX. *litris; et litram valere obolum* Aegineticum. Eadem repetit, vbi de *Himerensium Republica* scribit; *Litram aequari cum obolo, et* Δεκάλιτρον *continuisse* X. *litras, et statere* Corinthio *aestimatum fuisse.* Bis tradita haec sunt a *Polluce*, l. IV. et IX. vt suspicio nulla esse possit, eum auctoris sui verba male accepisse. Λίτρα, inquit *Hesychius*, ὄβολος, οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς· οἱ δὲ ἐπὶ σταθμῶν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι διὰ τὸ β Λίβρα· *Photius*, in Lex. MS. Λίτρα ἦν μὲν νόμισμά τι, ὡς Δίφιλος· ἐπί τε σταθμε, Ἐπίχαρμός τε καὶ Σώφρων ἐχρήσαντο· Σοφοκλῆς δὲ λιτρόσκοπον φησι τὸν ἀργυραμοιβὸν ἀπὸ τε νομίσματος. *Hesychius* iterum, Λιτροσκόπας, ἀργυραμοιβές, ἀπὸ τε Σικελικε νομίσματος, ὃ καλεῖται λίτρα. Habemus duo, qui consentiant cum *Polluce*, praeter tres reliquos, quos vnus eorum citat, *Diphilum, Epicharmum, Sophronem*; sed non tantum nomina eorum habemus, sed ipsa etiam loca conseruauit *Pollux*, p. 215. *Poetae*, inquit, *comici* Siculi *vtuntur voce* Λίτρα *aliquando de paruo nummo; vt, cum* Sophron *dicit,*

in Γυναικείοις Μίμοις, Ὁ μισθὸς δεκάλιτρον (vera scriptura hic videtur esse δέκα λιτρῶν vel λιτρᾶν); *et, in* Ἀνδρείοις Μίμοις, Σῶσαι δ' ὧδε τὰς δύο λίτρας δύναμαι· *et, pro libra pondo, vt in* Medea, Demologus:

Τετρακοντα λίτρας τινὶ νεανίσκῳ πέδας.

Editur vulgo παῖδας; sed recte *Salmasius*, de Modo Vsur. p. 234. reposuit πέδας, *catenas* XL. *librum pondo*. Sed inest adhuc aliud vitium; nam Δημόλογος, poeta non magis auditus vnquam, quam *Phalaridis* tragici, *Aristolochus* et *Lysinus*; at pro Δημόλογος MS. *Is. Vossii* habet Δεινόλογος quae haud dubie vera scriptura est. Fuit enim hic *Dinolochus*, *Siculus*, poeta comicus (vt hic eum inducit *Pollux*); *cum esset* Syracusius (*Suid.* v. Δεινόλ.) *aut* Agrigentinus, *filius*, *vel vt alii volunt*, *discipulus*, Epicharmi, *et auctor comoediarum* Doricarum XII. Citatur iterum a *Polluce*, p. 500. Δεινόλοχος ἐν Ἀμαζόσιν; et bis terue ab *Hesychio*. Sed praeterea tradit *Pollux*, p. 217. *Ipsorum comicorum* Atticorum *quosdam habere nomen* Λίτρα, *vt* Philemonem, *in* Σικελικῷ, *et* Posidippum, *in* Γαλατείᾳ. Editur Γαλάτῃ, quod docti mutarunt in Γαλατείᾳ: et sane acute magnus *Salmasius* animaduertit, apparere e nominibus harum comoediarum, scenam earum in *Sicilia* fuisse: vt poetae hic vsi sint Λίτρα, non vt *Attica*, sed *Sicula*, pecunia. Alio in loco, p. 436. *Pollux* fabulam non *Philemoni*, sed, *Diphilo* adscripsit: ac similiter fecisse *Photius* videtur, loco supra citato: sed *Philemoni* tribuit eam *Athenaeus*; vt iam tum in dubio fuerit, vter eorum illius esset auctor. Verba *Diphili* haec sunt:

Οἷον ἀγοράζειν πασὰ, μηδὲ ἓν δ' ἔχειν,
Εἰ μὴ κικίννας ἀξίας λίτραιν δυοῖν.

In MS. *Vossii* est πάντα pro πασά; quod rectius videri potest scriptum; quod eleganter ibi disiunguntur πάντα et μηδὲ ἕν. Sed ferri quoque potest πασὰ, cum sit cibi genus ex caseo, aliisque rebus; et caseus *Siculus*, vbi scena fabulae huius, in pretio erat; vt, in hac ipsa comoedia, habet poeta (*Athen.* ibid.). Sed *Epicharmus*, vt addit *Pollux*, p. 436. varia nomina commemorat pecuniae, in fabula, cui nomen Ἁρπαγαί. Locus, in *Vossiano* MS. sic scriptus est: Ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντιες αἵθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωρὰς ἀμπετάκιον ἀργύριον, ἄλλαι δὲ λίτραν· αἱ δ' ἂν ἡμίλιτρον δεχόμεναι, καὶ πάντα γιγνώσκοντι. Et ex emendatione *Salmasii*, p. 261. coniicio, sic plane etiam legi in MS. *Palatino*; nec forte MS. *Vossii* aliud nisi eius exemplum. Verba in trochaicos versus sic redegit *Salmasius*:

— Ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντιες,
Αἴθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωρὰς, αἱ πεττἄγκιον
Ἀργυρίω, ἄλλαι δὲ λίτραν; αἱ δ' ἡμίλιτρον δεχόμεναι
Πάντα γιγνώσκοντι —

Vbi, in verſu tertio, neglecta vera numeri ratio eſt, cum ſpondaeus ſit in loco trochaei: ſed, quod ad μωρὰς attinet, in verſu ſecundo, *Dores* frequenter, in quarto caſu, ας breuem faciunt, vt ex *Theocrito* apparet. Equidem totum locum ſic ſcribam:

— Ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντιες,
Αἴθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωρὰς, ἂμ πεντἄγκιον
Ἀργυρέον, ἄλλαι δὲ λίτραν; αἱ δ' ἂν ἡμιλίτριον
Δεχόμεναι, καὶ πάντα γιγνώσκοντι τῷ τηνᾶν λόγῳ.

Vltima tria verba non ſunt in MS. ſed in libris editis eſt τῷ τι λόγῳ: quod ſyllaba augendum eſt, vt integer verſus trochaicus fiat. Sententia loci haec eſt: *Quemadmodum prauae vates, quae ſtultas mulieres decipiunt, cum accipiant aliae quincuncem, aliae litram, aliae ſemiſſem, et, vt illae opinantur, omnia ſciunt.* Ἀμ, in verſu ſecundo, eſt pro ἂν nam, cum N antecedebat M, aut B, aut Π, aut Φ, olim ſcribebatur M; vt, in Chron. *Arundel.* ΕΜ ΠΑΡΩΙ, pro ἐν Πάρῳ, et, in Marmore *Smyrnaeo*, ΕΜ ΜΑΓΝΗΣΙΑΙ, pro ἐν Μαγνησίᾳ: quique nunc ſunt *Graeci*, etſi, in ſimilibus exemplis, ſcribunt N, tamen, vt M, efferunt. In verſu tertio, lego ἡμιλίτριον, pro ἡμίλιτρον; eſt enim ea forma copulatorum verborum cum ἡμι, vt Ἡμιαμφόριον, Ἡμιθωράκιον, ἡμιδιπλοΐδιον, ἡμισφαίριον, ἡμιπόδιον, et alia multa. Alius *Epicharmi* locus hunc in modum citatur a *Polluce*, ibid. Ἐγὼ γὰρ τὸ βαλάντιον λιτροδεκάλιτρον ἑξάγγιόν τε καὶ πεντάγγιον· qui in MS. *Voſſiano* ſic ſcribitur: Ἐγὼ γὰρ τόγε βαλάντιον λιτροδεκάλιτρος ςατὴρ ἑξάντιόν τε πετάγκιον. Atque, ita in MS. *Palatino* eſſe, ex eo intelligas, quod illius auxilio ſic corrigit *Salmaſius*, p. 260.

— Ἐφ' ᾧ γὰρ τὸ βαλάντιον, λίτρα,
Δεκάλιτρος ςατὴρ, ἑξάντιόν τε καὶ πεττἄγκιον.

Sed hac emendandi via, in vtroque verſu, numerus vacillat; nec admodum elegans ſententia eſt. Valde veri ſimile mihi quidem videtur, vocem ςατὴρ, in MS. interpolatoris eſſe; quia, aliis in locis, *Pollux* tradit, δεκάλιτρον aeſtimari *Corinthio ſtatere:* vnde id huc tranſtulit ille. Sed *Epicharmi* eſſe non poteſt, duabus de cauſis, cum, quia vox *Sicula* non eſt, tum, quia ταυτολογίαν efficit. Si quid tentare liceat, ſic ſcribam:

— Ἔχω γὰρ τόγε βαλάντιον λιτρᾶν
Δεκαλιτρῶν τε πλῆρες ἑξάντων τε, καὶ πεντεγκίων.

Habeo, inquit, *crumenam plenam litrum, denarium, ſextantium et quincuncium.*

ΝΟΥΜΜΟΣ.

Iulius Pollux, qui librum ſuum conſcripſit *Romae*, eumque dedicauit *Commodo*, tradit p. 436. *Verbum* Νȣ̃μμος *videri quidem a ſtirpe* Latina *eſſe*, *ſed eſſe* Graecum, Dorienſium, *in* Sicilia *et* Italia. Sic *Varro* docet (de L. L. p. 41.), *eſſe a Siculis. In argento, nummi: id a Siculis.* Addit idem *Pollux*, *Ariſtotelem*, *in libro*, *de* Tarentinorum Republica, tradere, *eſſe ibi genus pecuniae, quod* Νȣ̃μμον *dicant, eiusque notam eſſe* Tarantem, Neptuni *filium, delphino vectum.* Decem horum Νȣ́μμων *Tarentinorum* cum iſta nota habet *Goltzius.* Rurſus docet noſter auctor, *Ex teſtimonio* Ariſtotelis, *vetus talentum* Siculum *eſſe* XXIV. Νȣ́μμων, *ſed nouum*, XII. *tantum; et* Νȣ̃μμον *aequari cum ſeſquialtera parte oboli.* Porro verbum Νȣ̃μμος confirmat duobus, ex *Epicharmo*, locis; prior quorum eſt, *Κῆρυξ ἰὼν εὐθὺς πριῶ μοι δέκα νȣ́μμων μόσχον καλὴν*; quae ſic interpungenda, et in iambos redigenda:

— *Κᾶρυξ ἰὼν*
Εὐθὺς πρίω μοι δέκα νȣ́μμων μόσχον καλήν.

Haud dubium videtur, quin ſic verſus a poeta fuerint ſcripti; tamen obſeruet lector, pedem quartum ſpondacum eſſe in loco iambici; tum autem lenitur duabus breuibus ſyllabis, quae proximae antecedunt. Similis numeri ratio videtur eſſe, in altero loco *Epicharmi*, a *Polluce* citato; Ἀλλ᾽ *ὅμως καλαὶ καὶ πῖοι ἄρνες εὑρήσȣσι δέμοι καὶ νȣ́μμȣς, πωλατιαῖ γὰρ ἐντὶ τᾶς ματρός*· quae his trochaicis includi poſſunt; licet hic MS. non adiuuet:

Ἀλλ᾽ *ὅμως καλαί τε πιοί τ᾽ ἄρνες εὑρήσȣσί μοι*
Δέκα νȣ́μμȣς, παλατέαι γὰρ ἐντὶ μετὰ τᾶς ματέρος.

Πῖος accipio verbum *Doricum*, vnde *πιότερος*, *πιότατος.*

PARTES ΛΙΤΡΑΣ.

ΠΕΝΤΟΥΓΚΙΟΝ, numus quinque vnciarum aeris, vel argenti, qui tantundem valet, commemoratur ab *Epicharmo*, in fragmento, ſupra citato:

— Ἑξάντων *τε καὶ πεντȣγκίων*·

Quincuncem Latini dicunt. Et fortaſſe, vt *ſeptunx* fuit quoque *Latinis*, ſic eſſe Ἑπτȣ́γκιον *Siculis* potuit, licet, qui eius meminerit, habeamus neminem. Corrigam hic locum *Feſti*, qui moleſtiae nonnihil exhibuit doctis antiquitatis inueſtigatoribus, qui, hoc et antecedente ſaeculo, floruerunt. Sextantarii *aſſes*, inquit *Feſtus*, *in vſu eſſe coeperunt*, *bello* Punico *ſecundo*, additque, *Septuennio quoque* (anno) *vſus eſt*, *vt priore numero*,

ſed id non permanſit in vſu, nec amplius proceſſit in maiorem. Reprehenditur *Feſtus* a *Budaeo*, *Hottomanno*, *Harduino*, aliis; quod dicat, ſextantarios aſſes in vſu tantum manſiſſe ſeptennium, quum ex *Plinio* conſtet, diutius longe continuatum eorum vſum fuiſſe. Sed vitium non eſt *Feſti*, ſed eorum, qui male verba eius deſcripſerunt; nam vera ſcriptura haec eſt: SEPTVNCIO *quoque* VARRO *vſus eſt, vt priore numero cet.* i. e. *Varro vſus eſt verbo* Septuncium, *vt proxime antecedente numero* (Sextans); *ſed nomen in vſu non manſit, nec copulatio verborum cum* vncia *proceſſit vltra ſeptem.* Negat ille, *Latinos* dicere *octuncium*, *nonuncium*, *decuncium.* Sed ipſum *Varronem* audiamus, quem huius emendationis ſponſorem habeo. *Septuux*, inquit, de L. L. IV. p. 41. *a ſeptem et vncia concluſum. Reliqua obſcuriora, quod a deminutione: et ea, quae deminuuntur, ita ſunt, vt extremas ſyllabas habeant: vt a duodecim vna dem:a vncia, deuux: dextans, demto ſextante: dodrans, demto quadrante: bes, vt olim des, demto triente.* Quibus ſignificauit, non vltra *ſeptuncem* progredi verba, copulata ex nnmero et *vncia*, ſed dici *beſſem* pro *octuncio*, *dodrantem* pro *nonuncio*, *dextantem* pro *decuncio*, *deuncem* pro *vndecuncio.* Vt, quum, alio in loco, *Feſtus*, *Nonuncium*, inquiat, *quod vulgo magiſtri ludi appellant, ſignificat nouem vncias*; id accipiendum ſit, quaſi *nonuncium*, dicat, vſurpatum licet a ludi magiſtris, in puerorum inſtitutione, communi loquendi conſuctudine receptum non fuiſſe.

ΤΡΙΑΣ. ΤΕΤΡΑΣ. ΕΞΑΣ. Quae de partibus *λίτρας* tradidit *Pollux*, ſumta ſunt ex *Ariſtotelis* libro, de *Republica Himerenſium.* Loca mendoſa, quum bis repetantur, facile inter ſe, et ambo cum pecunia *Romana*, cuius ratio e *Sicilia* translata ſit eo, comparata, emaculari poſſunt. Ἀριςοτέλης inquit *Pollux* (p. 216, 436.), ἐν τῇ Ἱμεραίων Πολιτείᾳ φησὶν, ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τὲς δύο χαλκὲς ἑξάλιτρα (p. 436. ἓξ τάλαντα) καλὲσι, τὸν δὲ ἕνα Οὐγκίαν, τὲς δὲ τρεῖς Τριάκοντα (p. 436. τρία τάλαντα) τὲς δὲ ἓξ Ἡμίλιτρον, τὸν δὲ ὀβολὸν Λίτραν, τὸν δὲ Κορίνθιον ςατῆρα Δεκάλιτρον, ὅτι δέκα ὀβολὲς δύναται. Primum vitium librarii eſt, quod, altero in loco, ponitur ἑξάλιτρα, et, in altero, ἓξ τάλαντα: in priore loco, MSS. *Voſſianus* et *Palatinus* habent διξᾶντα, in poſteriore, cum libris editis conueniunt. Iam ex tribus vocibus, inter ſe comparatis, facile vera ſcriptura elicitur Ἑξᾶντα. Sic *Heſychius*; Ἑξᾶς, εἶδος (νομίσματος) παρὰ Συρακεσίοις, et *Arcadius*, grammaticus, in MS. libro, περὶ Τόνων, citatus a *Salmaſio*, de Mod. Vſur. p 256. Ἑξᾶς ἐπὶ ποσότητος ἐν περισπᾶται· quod ad verbum quoque legitur

in *Theodosii* Excerptis ex *Herodiani* libro, qui inscribitur Καθόλȣ, in bibliotheca publica, quae est *Oxoniae.* Et ipsa vox iam reperitur in fragmento *Epicharmi,*

Δεκαλιτρῶν τε πλῆρες, ἑξάντων τε κὴ πεντȣγκίων.

Nam est in MS. ἑξάντιον; et bene notum est, *ιο* saepe, per errorem, scriptum fuisse a librariis, pro *ω*. Vidi id ipse passim factum ab operis, cum schedas typis describerent: vt, in meis in *Callimachum* notis, alibi scriptum est τιῶν pro τίον. Secundum vitium librariorum, in *Polluce*, est Τριάκοντα et Τρία τάλαντα, pro Τριᾶντα. *Hesychius;* Τριᾶντος πόρνη, λαμβάνȣσα Τριάκοντα, ὅ ἐςι Λεπτὰ εἴκοσι. Est hic similis omnino error, quo, in *Polluce* lapsi librarii τριάκοντα, pro τριᾶντα, scripserunt. Nam et hoc, et Ἑξᾶς, cum peregrina essent, nec in *Graecia* vulgo cognita, vt reliqua istius generis vocabula, corrupta fuerunt a librariis.

ΟΥΓΚΙΑ. Sic est in MS. pro Οὐγγία, et haec quidem scribendi ratio praestat, licet vtraque inueniatur in libris medicorum *Graecorum*, qui sub imperatoribus *Romanis* vixerunt, cum loquantur de pondere et medicamentis. *Photius*, in Lexico MS. Οὐγκίαν, τὸν ςαθμὸν· Σώφρων κὴ Ἐπίχαρμος. *Suidas*, Οὐγκία, εἶδος μέτρȣ, ἢ ςαθμός.

Non nimis diligentes fuerunt veteres in comparanda sua pecunia. Aequabant vulgo *denarium Romanum* cum *drachma Attica:* licet re vera differrent. Sed malebant partes istas minimas negligere, vt facilius rationes inirent, et in summas colligerent; cogitabantque, historicos se esse, non monetae praefectos. Est huius generis exemplum id ipsum, quod in manibus habemus: cum pecuniam *Siculam Graeca* sic describat *Aristoteles:* Οὐγκία, inquit, (apud *Polluc.* p. 216, 436.) *valet* chalcum *Atticum; et* Ἡμιλίτριον *sex chalcos; et litra obolum Aegineticum.* Quae, sic diligentius subducimus calculos, non conueniunt. Nam *litra*, ex testimonio *Aristotelis*, continebat XII. *chalcos Atticos*, et tamen aequabatur cum *obolo Aeginetico:* vt, ex hac ratione, *obolus Aegineticus* valeret XII. *chalcos.* Sed, *obolum Aegineticum* et *Atticum* inter, eadem ratio intercedebat, quae, X. inter et VI. et *obolus Atticus* erat VIII. *chalcum: Aegineticus* ergo *obolus* non aequabatur cum XII. *chalcis;* nec enim eadem ratio XII. inter et VIII. est, quae X. inter et VI. Sed, vt supra monui, tam exigua differentia negligebatur a scriptoribus veteribus, iisque sufficiebat, si modo rationes suae proxime verum erant. Auctor *Diodorus Siculus* est, Πεντηκοντάλιτρον Demaretae *aequari cum* X. *drachmis* Atticis: qua ratione Δεκάλιτρον aequatur cum II. drachmis *Atticis.* Sed, ex *Aristotelis* calculis, Δεκάλιτρον commutabatur

cum XII. *obolis Aegineticis*, quae plus erant, quam II. drachmae *Atticae*. Idem *Aristoteles* τρία ἡμιοβόλια, *sesquialteram oboli*, aequat cum *Siculo* Νȣ́μμῳ: vbi, *Aegineticum* obolum cogitare videtur, et, ad istam rationem, Νȣ́μμος pars quarta erat *Aegineticae* drachmae. Sed, vt *nummus*, *Romae* quarta pars *denarii* erat, sic Νȣ́μμος, in *Sicilia*, fuisse quarta pars Δεκαλίτρȣ videtur. Δεκάλιτρον igitur, ex hac ratione, aequabatur cum *Aeginetica* drachma, vel *Attica* cum duabus tertiis partibus. Nec valde mirandum est, si, in variis libris, *Aristoteles* tam varie calculos subducat, cum, vno eodemque in loco, vt dictum est, rationes, quas iniit, haud sibi constent. Sed, *Salmasius* et *Gronouius*, pro τρία ἡμιοβόλια, in *Polluce*, scribunt τρίτον ἡμιοβόλιον, *duo obolos cum dimidio:* quod si admittas, ratio melius conueniet. Nam, cum litra aequetur cum obolo, Νȣ́μμος, duorum obolorum cum dimidio, quarta pars erit Δεκαλίτρȣ; vt numus duorum assium cum dimidio, apud *Romanos*, ideo dictus *Sestertius*, quarta pars denarii erat. Et sane confitendum est, siue legimus τρία ἡμιοβόλια, siue τρίτον ἡμιοβόλιον, sicut IV. *numos* in *denario*, sic IV. Νȣ́μμȣς numerari in Δεκαλίτρῳ: vt locus *Festi*, cum verbis *Pollucis*, et *Romanae* pecuniae ratio cum illa *Siculae*, comparata, declarant.

TRIENS a *Romanis* dicebatur tertia pars *assis* vel. XII. vnciarum, QVADRANS quarta, et SEXTANS sexta. Hoc certum est, nec venire in dubium potest. Attamen apud *Siculos*, vnde ad *Romanos* haec verba transierunt, Τριᾶς dictus est continere tres partes Λίτρας, vel tres vncias, non quartam eius partem, siue quatuor vncias: et sic ΤΕΤΡΑΣ, quatuor vncias, et ΕΞΑΣ, sex vncias: quo fit, vt plurimum inter se differant vtriusque gentis rationes. Τρεῖς Χαλκοῖ, inquit *Pollux* (p. 216, 436.), ὅπερ τριᾶντα; et iterum, Τριᾶντα, ὅπερ τρεῖς χαλκοῖ, i. e. Τριᾶς *trium vnciarum*. Τετρᾶς δηλοῖ τέσσαρας χαλκȣ̃ς, inquit *Hesychius*, ΤΕΤΡΑΣ *est quatuor vnciarum*. Et, alio in loco, Τριᾶντα, ὅπερ Λεπτὰ εἴκοσι, ΤΡΙΑΣ est XX. leptarum. Quod conuenit in tres chalcos rursus, seu vncias, cum chalcus contineat VII. leptas. Quid de his dicemus? num diffidendum his grammaticis est? an librarii, qui eos descripserunt, culpandi sunt? an existimandum est, ex eorum testimoniis, *Siculos* sic calculos subduxisse, licet, cur id fecerint, non constet? *Ios. Scaliger*, de Re Num. p. 5. 6. opinatur, *Siculos* verba ista in eandem partem accepisse, in quam *Romanos:* et, grammaticos errasse, *quamuis*, inquit, *non tam erratum sit*, *quam* idiotismus: *nam* dici vulgo *solebat diuisio in* IV. *partes*, *in* tetrantes, *et in* VIII. *partes*, *in* octan-

tes, *vt a* Vitruuio *discimus.* Contra, *Salmasius*, de Mod. Vsur. p. 254. etc. *Grammaticorum sententiam* defendit, *et* Siculos *dixisse* τριᾶντα, τετρᾶντα, *et* δεκᾶντα, *pro* III. IV. *et* X. *partibus vnciarum* XII. *vel litrae; culpandos autem* Romanos *esse, quod significationem istorum verborum mutauerint; nec, quemadmodum iis vsus sit* Vitruuius, idiotismum *esse, sed veram et propriam notionem.* Quod si mihi interponere in controuersiam tantorum virorum, licet; equidem persuasum habeo, rem sic se habere: Et *Siculis*, et *Romanis*, eadem notio et vsus verborum fuit; Τριᾶς et *Triens*, Τετρᾶς et *Tetrans* vel *Quadrans*, Ἑξᾶς et *Sextans*, valebant, tertiam, quartam, et sextam, partem totius, cuius id cunque generis esset, vt, cum libralis ponderis XII. vnciarum ratio haberetur, significarent, IV. III. et II. vncias. Et, de his quidem, mihi cum *Scaligero* conuenit; et *Salmasium* errare puto, cum in alteram opinionem abeat. Nam ipsa eum verba refellunt: cum, quaecunque sunt huius formae in diuisione litrae, haec tantum sint, ἑξᾶς, τριᾶς et τετρᾶς: sed, si ἑξᾶς esset sex vnciarum, et sic reliqua; tum haberemus alias tales partes litrae, vt ἑπτᾶντα, pro VII. vnciis, ὀκτᾶντα, pro VIII. ἐννεᾶντα, pro IX. δεκᾶντα, pro X. ἑνδεκᾶντα, pro IX. Ab altera parte, si ἑξᾶς pars sexta assis libralis est, i. e. II. vnciarum, et simili ratione reliqua duo verba, tum plane apparet, cur plures eius partes, quam istas tres, non habeamus: quod solae sunt, in quas, integris numeris, diuidi XII. possint, reliquis omnibus partes vncia minores continentibus; sic πεντᾶς, quinta pars XII. vnciarum, esset II. vnciarum cum parte eius decima; ἑπτᾶς, septima, esset vncia cum quinque septimis eius partibus; ὀκτᾶς, octaua, esset sesquialtera vncia, ἐννεᾶς, nona, esset vncia cum tertia parte; δεκᾶς, decima, esset vncia cum quinta; ἑνδεκᾶς, vndecima, esset vncia cum vndecima. In his omnibus eum partes vncia minores insint, *Siculi* numos signare noluerunt, quorum ratio caderet in has diuisiones; quod non commodo et vtilitati forent, sed miscerent, et turbarent quasvis ratiocinationes. Sed, si vera esset *Salmasii* opinio, haud dubie fuisset πεντᾶς, pro numo V. vnciarum: nam, istius ponderis pecuniam fuisse, certum habemus; sed tum non πεντᾶς, sed πεντέγκιον, dicebatur, vt, in fragmento *Epicharmi*,

— Ἑξάντων τε καὶ πεντεγκίων.

Est hoc vnum πεντεγκίων demonstrationi, aduersus *Salmasium.* Nam, vt *Romani*, cum quadrantem, pro IV. parte XII. vnciarum, dicerent, non potuerunt pecuniam quinque vnciarum, verbo, *quintantem*, exprimere, sed *quincuncem*, sic contra *Siculi*, cum πεντέγκιον haberent V. vnciarum, τετρᾶντα

non potuerunt accipere, pro IV. vnciis, sed pro quarta parte XII. vnciarum. Adhaec, tradit *Pollux*, *Siculos* ἑξᾶντα commutasse cum II. vnciis: sed, ex *Salmasii* opinione, ἑξᾶς esset VI. vnciarum, quod omnino verisimile non est; quia ἑξᾶς tum idem esset, quod ἡμιλίτριον. Sed, sicut *Romani* dicebant semissem, quum VI. vncias volebant, nec adeo vocem habebant, *sexunx*; sic *Siculis*, cum ἡμιλίτριον, pro VI. vnciis, esset, vt ex *Epicharmo*, *Aristotele* et *Polluce*, apparet, opus non erat voce, ἑξόγκιον aut ἑξᾶς, pro eodem pondere. Est quidem in quibusdam MSS. *Pollucis* non ἑξᾶντα, sed διξᾶντα, idque *Salmasio* placui, tanquam *Doricum*, a διξός. Sed, in vno *Pollucis* loco tantum, διξ habent MSS. in altero, omnes ἑξ. Nec *Dores* fuerunt, sed *Iones*, qui vterentur διξός, pro δισσὸς, vt e multis *Herodoti* locis discimus. Quod si *Siculi* vterentur διξᾶντα, ea, quam voluit *Salmasius*, virtute, cur non τριξᾶντα dixerunt, pro τριᾶντα? nam τριξοὶ, pro τρισσοὶ, aeque ac διξοὶ, pro δισσοὶ, habet *Herodotus*. In omnem partem itaque amplector *Scaligeri* opinionem, contra illam *Salmasii:* sed, in reliqua parte disputationis, vterque, vt opinor, errat; ille, cum excusat vsum vocis τριᾶς, et τετρᾶς, pro III. et IV. partibus, ex XII. per *idiotismum*, qui defendi potest testimonio *Vitruuii;* hic, quum putat, *Vitruuii* verba accipienda esse de eo, quod vere illis significari, existimat. Verba *Vitruuii* sic sese habent, (X. II.) *Diuiduntur circinationes tetrantibus in partes quatuor, vel octantibus in partes octo ductis lineis. Scaliger* hos *tetrantes* et *octantes* accepit, de quadrato et octagono in circulo inscriptis: quod tam manifesto falsum est, vt opus non sit, refelli, *Salmasius* dicit, *tetrantem* hic esse aliquid, quatuor partibus constans, *octantem*, octo. Contra, planum mihi esse videtur, *Vitruuium tetrantem* ponere, pro quadrante, vel quarta parte circuli, *octantem*, pro octaua. *Circinatio*, inqnit, *diuiditur in partes quatuor* tetrantibus. Si *tetrans* contineret IV. partes simul, non dixisset *tetrantibus*, sed *tetrante*. Sed alius locus est, vnde clare discas, quid voluerit per *tetrantem*. *Ducatur*, inquit *Vitruu.* III. 3. *rotunda circinatio, et in ea catheto respondens diametros agatur. Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub oculo, veniat.* Fingit hic circulum, diuisum, duobus diametris, decussatim actis, in partes IV. aequales, et has quatuor partes intelligit per *tetrantorum*, et partem quartam vocat *tetrantem*. Vt notio, voci *tetrans* et *octans*, apud *Vitruuium*, subiecta, non differat a consueta significatione vocis *quadrans*, apud *Romanos*, sicut opinantur *Scaliger* et

Salmasius. Accepit ea *Vitruuius*, vt vnusquisque, pro quarta et octaua parte totius cuiusuis; et omnia verba istius formae, quae in diuisionem *assis* vel *librae* cadunt, similem significandi rationem sequuntur, *sextans*, sexta pars totius *assis*, *triens*, tertia, *quadrans*, quarta: atque ita, apud *Siculos*, ἑξᾶς, τριᾶς, τετρᾶς. *Octans* quidem, vt pars librae, in vsu non erat, quia, vt supra dictum est, molestam efficiebat diuisionem: sed eius vsus erat in diuisione aliarum rerum, siue magnitudinis, siue numeri, vt hic, apud *Vitruuium*, pro octaua parte circuli. Sic ΔΕΚΑΣ, vox *Sicula*, memorata ab *Arcadio*, (*Salmas.* p. 256.) Τὸ Δεκᾶς περισπᾶται, ὅτε ἐπὶ ποσότητος τάσσεται, etiamsi pecunia non esset, ob dictam supra rationem, nomen tamen fuit mensurae et quantitatis, vsurpatum de decima cuiusque rei parte. Apparet igitur ex omnibus, veteres *Romanos* omnia nomina et genera pecuniae accepisse a *Doribus*, in *Sicilia* et *Italia*, vsumque cuiusque verbi proprium continuasse. Et, cum aes primum signatum fuit *Romae* a *Servio Tullio*, qui regnare coepit Olymp. L. 4. et mortuus est Olymp. LXI. 4. atque iisdem adeo, quibus *Phalaris*, temporibus vixit; planum est, tempore *Phalaridis* aeque, ac post, *Siculos* istis pecuniae generibus fuisse vsos.

Cum eorum, quae de talento *Siculo* dixeram, paratam haberem defensionem, *Boyleum*, comperi, in secunda sua editione, quaedam addidisse iis, quae de hoc loco commentatus est. Primum, dicebat, p. 81. *Non difficile fore, rationem ostendere emendandi* Pollucis, *qua hae res expediantur:* sed causae fuisse secretae videntur, cur eam nobiscum communicare noluerit. Sed dein, in secunda editione, cum aequiore esset animo, *Ne quid celem*, inquit, Bentleio *aperiam, quemadmodum emendari verba* Pollucis *possint*, *velim autem*, *ipsum* Bentleium *tam facile corrigi posse*. Equidem, quod tam bene mihi velit, gratias ago *Boyleo;* nisi tamen melius me corrigere, quam *Pollucem*, poterit, non melior mihi *rector* erit, quam quidam ei fuit. Primum, *Suspicatur*, ἓξ τάλαντα (*Poll.* p. 436.) ὅπερ ἐςὶ δύο χαλκοῖ, *esse erratum librariorum*, *pro* ἑξάλιτρον: Difficilis vero coniectura! facta solummodo ex altero loco *Pollucis*, vbi contextus habet (p. 216.) ἑξάλιτρα: ac supra docui, vtrumque esse mendosum, et scribendum Ἑξᾶντα. *Quod* ἑξάλιτρον, inquit *Boyleus*, *valebat sextam partem litrae: et sic reliqua verba*, *cum* Λίτρα *copulata*. Facit noster ille *emendator* Ἑξάλιτρον, *sextam partem litrae*, quod, ipsa linguae ratio et exempla auctorum docent, valere VI. *omnino litras*, vt, in eius calculis, non minus quam *sexies sex* partes desiderentur. Quid dicet de ἑξάμηνος, ἑξαήμερος, ἑξαέτης,

ἑξάπηχυς, ἑξαδάκτυλος, ἑξάδραχμος, ἑξάστιχος, et pluribus similibus? Num iis significatur sexta *pars mensis*, *diei*, *anni*, *cet.* an, vt omnes adhuc opinantur, *sex menses*, *sex dies*, *sex anni*, *cet.?* Ex subtili *Boylei* ratiocinatione, Δεκάλιτρον non est X. litrum, sed decima litrae: quod est centies minus, quam *Aristoteles* et *Pollux* sunt opinati. Πεντηκοντάλιτρον non erit L. *litrum*, sed quinquagesima litrae; i. e. bis millies quingenties minus, quam bonus iste *Diodorus Siculus* putauit, qui illud aestimauit decem drachmis *Atticis*. Captiuorum catenae, quas τετρακονταλίτρας (*Poll.* p. 215.) fuisse, *Diphilus* dicit, non erant XL. librum pondo, sed quadragesimam partem librae pendebant, qua ratione non omnino tam *graues* fuissent, quam quaedam earum, quibus apud nos captiui vinciuntur. Sed omnium miserrima conditio *Aristophanis* est, cum suo (in Pac.)

Πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυριάμφορον;

nam optat hic aliquid, *quod capiat decem millia amphorarum:* Sed hunc docebit *Boyleus*, eo significari non amplius *decies millesimam partem amphorae:* vt aut in poetae, aut *Boylei*, calculo vitium sit centies millies millium. Initio tam glorioso elatus *Boyleus*, in proximo loco docet, Siculum *talentum fuisse numum argenteum*, *qui valeret* LX. *litras aeris*. Ne loqui quidem posse videtur *Boyleus*, quin offendat, et titubet; nec enim talentum *numus argenteus* erat, sed *summa* pecuniae, vt libra sterlingum apud *Anglos:* et habebatur talentum, siue pendebatur argento, siue aere; siue VI. Δεκαλίτροις argenteis, siue XXIV. Νόμμοις, siue LX. Λίτραις, siue CXX. Ἡμιλιτρίοις siue denique omnes Ἑξᾶντες aut Οὐγκίαι aeris numerabantur: similiter, atque apud nos libra dicitur, siue repraesentatur coronatis, siue solidis, siue semunciis, siue fartonibus. Proxima eius verba docent, *Has* LX. *libras pondo aeris diuisas fuisse in* XXIV. Νόμμους, *quorum quemque*, *pendentem duas libras cum semisse*, Romanos *dicturos fuisse* nummum sestertium, *vt quatuor eorum vocassent* Decussem. Ter hic erratum in vna periodo: tam foecundum istarum rerum ingenium *Boylei* est. Facit *Siculum* Νοῦμμον *aereum* duarum librarum cum semisse, qui numulus argenteus, pondere circiter efficiens tres penningos *Anglicos*. *Aristoteles* auctor est, in *Tarentino* Νόμμῳ conspici TARANTEM, delphino vectum; et istius quidem generis, ex argento, supersunt adhuc plures, sed, ex aere, nulli. Atqui absurdum esse id, quod scriptor Censurae opinatur, primo adspectu apparet: quis enim monetam cuderet, quae duas libras cum semisse pendeat? grauissima omnium erat libralis, nec supra eam feriebant. Dein errat,

cum docet, *Romanos* dicturos fuisse numum istum aereum, duarum librarum cum semisse, *nummum sestertium*. Nam *Romanorum sestertius*, vt *Siculorum*, ex argento erat: *In argento*, inquit *Varro*, *nummus*, *id a Siculis*. Ande bellum *Punicum* secundum nullus erat *sestertius*, tum autem signari argentum coeptum est. Tandem quatuor, inquit, eorum numorum aereorum vocassent *decussem*. Opinatur, decussem fuisse certam monetam; quae summa erat XII. assium, vel XII. librarum pondo, aeris non signati: ea ratione *tressis*, *quinquessis*, *octussis*, et sic porro in centussem, summae erant omnes, non numorum genera: licet inter doctos viros fuerint, qui contenderent, hos etiam numos fuisse, et *sestertium* quoque ex aere; atque ita in errorem inducere *Boyleum* potuerint. Proximo loco exponit, qui factum fuerit, vt talentum *Siculum* sit imminutum, et pro XXIV. Νέμμοις ad XII. Νέμμους redactum. Sed cum tota haec eius disputatio nitatur duobus illis erratis, talentum esse certum pecuniae genus ex argento, ac Νῦμμον numum aereum, non potest ea non esse falsa quoque, et fundamento, quo sit excitata, similis. Nisi iam pertaesum sit errorum eius, videbit lector quam bene haec exsequatur p. 81.

Sed inprimis miranda est, si quid, praeter veritatem dictum, a scriptore Censurae, mirum videri adhuc potest, pugna inter hanc recentem appendicem et ante a *Boyleo* scripta. In veteri parte demonstrare instituit, paruum *Siculum* talentum merum esse figmentum; in recenti probare, paruum talentum fuisse, quaeque fuerit eius causa, exponere: in veteri, locum *Pollucis*, tanquam *obscurum et interpolatum* (p. 88.), nihil vt inde confici possit, reiicere; in recenti, illum explanare, et *corrigere*, vt locus sit paruo talento: (p. 83, 84.) in veteri, *Festum* deprimere, et reponere *trium millium denarium* in loco *trium*: in recenti, scripturam vulgatam, III. amplecti, et illum cum aliis in concordiam adducere: in veteri (p. 79.) ἑξάλιτρον aestimare VI. litris; in recenti, II. duntaxat: in veteri, (p. 79.) *esse*, *cur minus existimet*, Siculum Νῦμμον *aequari cum* sestertio *Romano*; in recenti, id probare, et ponere: in veteri, (p. 89.) *talentum esse posse ex aere*, *et aequari cum litra*; in recenti, *talentum esse nummum argenteum*, *qui valeat* LX. *litras*. Quod si pars ista vetus fuisset deleta, haec altera addita videri posset tanquam curae secundae scriptoris Censurae, eique concedi ius commune mutandi, re diligentius considerata, sententiam. Sed, quasi consilio factum esset, vt obstupesceret lector, constat, vt ante, vetus pars, et ei assuta recens, quasi optime cohaereant ambae. Vidimus supra, quemadmodum ea, quae in ipso libri contextu et margine

sunt, instar bifrontis *Iani* (vid. supr. p. 94.), contrarias partes spectent: sed hic non tantum, quae sunt in margine, repugnant aduersus libri contextum, sed ipse contextus (p. 89.) etiam, alia accessione, bellum quasi ciuile in semet gerit. Suspicetur fortasse lector, nimiam suisse cuiusdam adiutoris diligentiam, nec *Boyleum* fuisse commissurum, vt eodem ex ore pariter calidum et frigidum efflaret; sed auctor ei sum, ne quid temere statuat, sed meo exemplo (p. 230.) discat, quam infirma sint eiusmodi, a ratione ducta, argumenta, in rebus, quae spectant scriptorem Censurae. Verumtamen, si fuit talis adiutor, qui manum admouit operi, ei me obstrictum esse, profiteor: nam, etsi flagitia multa fecit, pro me tamen instituit defendere paruum talentum *Siculum*, et, quidquid ante de eo disputauerit *Boyleus*, euertere. Et, quo magis mihi persuadeam, contra *Boyleum* eum stare, hoc fit, quod videam, eum ludibrio plane illum habere. *Finge*, inquit, p. 89. *fuisse* Siculum *talentum tam paruum; tamen, cum talentum nude dicebatur; accipiendum erat de vulgari talento* LX. *minum, cuiusque earum diuisae in* C. *drachmas, et has in obolos.* Videtur hoc in tuto collocari *Boyleus*, et inter se conciliari pars recens et vetus; sed ex omni parte iocus in eum est, non alio forte consilio editus, nisi vt sonitus quidam inanis esset: nam hoc sonat: *Etsi talentum, in* Sicilia *vsitatum, tantum valebat dimidium coronati: tamen, quando mentio fiebat* talenti *in* Sicilia, *accipiendum erat de* CLXXX. *libris sterlingum.* Sed spes est fore, vt hic locus explanetur, *quum proxime* Boyleus *et* adiutor *semet visant:* tum autem ille viderit, vtrum adhuc contra ea, quae de pecunia *Sicula* disserui ego, resistere velit; an, vt promisit, *reiicere, si non resistat, non certas tantum Epistolas, sed totum earum volumen.*

XV.

DE MATERIA EPISTOLIS SVBIECTA.

Orditur *Boyleus* hanc partem Censurae ab inepta digressione et loco communi, de *inepta ostentatione scientiae (Pedantry)*; quod in alium locum reiiciam: ne, vt ille fecit, declinatione a proposito plane aliena, rerum ordinem interrumpam.

Primum, absurdum, in Epistolis, dicebam, esse, Himerenses *bellum denunciare voluisse* Catinensibus, *quod* Stesichori *haberent cineres, et a* Phalaride *auxilium petiisse, contra ipsius,* Stesichori, *in simili re, consilium.* Contra, scriptor Censurae, astute magis, quam candide, id, quod caput rei est, dissimulat silentio (p. 100.). *Quid*, inquit, *inest aut absurdum*

aut non veri simile, in illis, Himerenses *tam cupidos fuisse obtinendi cineres* Stesichori, Catinenses *autem eos retinendi?* Quod ego, Epistolas sequens *bellum* dicebam, et *euersionem ciuitatis*, et auxilium a crudelissimo tyranno imploratum, *cupiditatem* vocat scriptor Censurae; nec verbum vllum addit, *de bello denunciando.* Sed narrat, *idem accidisse postea, cum in* Macedoniam *legatos mitterent* Athenienses, *vt ossa recuperarent* Euripidis, *nec tamen conditio acciperetur.* An hoc *idem*, quod, in Epistolis, factum esse dicitur? Tantum abest, vt *idem* sit, vt haud facile aptius exemplum eligas, ad fidem Epistolarum infringendam. Nam, vt *Athenienses* repulsam tulerunt, cum peterent ossa *Euripidis*, nec tamen propterea bellum indixerunt, nec quidquam fecerunt hostiliter; ita *Himerenses* tam leui de causa neutiquam bellum suscepissent, inprimis contra ciuitatem potentem, cuius iidem conditores, qui suae, essent, cum vtraque colonia collocata esset a *Chalcidicis Euboeis.* Dein, p. 100, ex *Pausania*, refert, Athenienses *nobile monumentum posuisse* Euripidi: sed nec *Pausanias*, nec *Thomas Magister*, qui, vt opinor, soli eius meminerunt, de *nobilitate* loquuntur; sed alter vocat simpliciter (*Pausan.* p. 2.) Μνῆμα Εὐριπίδȣ κενὸν, alter (*Thom. M.* Vit. Eurip. p. 100.) Κενοτάφιον, sine vllo indicio nobilitatis. Porro, auctore *Plutarcho*, refert, Orchomenios *omnibus modis conatos fuisse*, Hesiodi *ossa ad se transferre, sed* Locris, *qui ea haberent, persuadere non potuisse, vt ea concederent.* Hic iterum plus dicentem auctorem suum facit, quam in eius verbis est: sed, etiamsi res ita, vt ille vult, se vere haberet, valeret, vt pleraque eius argumenta, contra ipsum. Nam, vt id causam belli non habuerunt *Orchomenii*, licet ipso oraculo moniti, vt *Hesiodi* ossa quaererent, sic *Himerenses, Stesichori* causa, non temere tantis se periculis obiecissent.

Reprehenderam, quod auctor Epistolarum *templum Stesichoro* dicauerit; quod scriptor Censurae defendit, argumento ducto ex *variis templis, quae habuit* Homerus Smyrnae, *et in aliis locis: quod*, inquit, *ignorauit* Bentleius, *tametsi haud incognitum est ipsis etiam tironibus.* Argumento sane hoc est, id scire posse *tirones*, quia scit scriptor Censurae. Sed est, quod etiam ille *nescire plane* videatur, inter causam *Homeri* et illam *Stesichori* nullam plane intercedere similitudinem. Quando enim, obsecro, templa consecrata *Homero* sunt? Diu fuit ante, quam epitaphio honoratus est. *Sepultus est*, inquit *Herodotus*, in Vit. Homeri, *in insula* Io, καὶ ὕστερον πολλῷ χρόνῳ, *et* LONGO *post* TEMPORE, *cum carmina eius celebria sunt facta, epitaphium in eum factum est.* De templo autem, *Smyrnae*, cu-

ius meminere *Strabo* (p. 646.), *Cicero*, alii, non poteſt id eſſe antiquius ipſa ciuitate, et ea condita fuit ab *Antigono* et *Lyſimacho*, ſexcentis, aut ſeptingentis, a poeta annis, poſtquam priſca ciuitas quadringentos annos vaſtata et deſerta iacuiſſet. Dein, templum, *Alexandriae* a *Ptolemaeo Philopatore* ei erectum, illo *Smyrnae*, recentius fuit: et marmor, in quo *Homeri conſecratio* inſculpta eſt, cum amplo commentario diuulgata a doctiſſimo *Cupero*, iure cenſeri poteſt, vtroque poſterius eſſe. Quid ergo exempla templorum *Homeri* iuuant ſcriptorem Cenſurae? Fuerunt omnia CCC. circiter annis, *Phalaride* et *Steſichoro*, recentiora; et, ſi qui fuit mos poſterioribus his temporibus, num inde concludet; eum quoque ſuperioribus fuiſſe? An famam *Steſichori* cum *Homeri* gloria comparare volet? an finget, *Steſichoro* mox eum honorem fuiſſe habitum; qui non obtigit *Homero*, niſi poſtquam libri eius ſexcentos annos conſtitiſſent, quando in veterum heroum numerum relatus eſt? Adeo hac excuſatione non defenditur ſophiſta, vt etiam magis teneatur. Nam, cum poſt tempora *Ptolemaei* vigeret, et auditionem aliquam accepiſſet de templis *Homeri*, *Alexandriae* et *Smyrnae*, facile venire in cogitationem ſimilium, exſtruendorum *Steſichoro*, potuit: non potuit verus *Phalaris*, cuius temporibus ne ipſi quidem *Homero* templum fuit erectum.

Sed quae iſta moroſitas ſcriptoris Cenſurae eſt, cum nolit, me dicere, vt alii fecerunt, Himerae *poſtea nomen fuiſſe* Thermas (p. 101. 102.)? Quia ſcilicet *Diodorus* et *Cicero* dicunt, non fuiſſe ſitas in eadem agri parte. Attamen ipſe *Diodorus*, p. 280. ciues, qui ſe *Thermis* collocaſſent, *Himerenſes* nominat: cumque ſtatuas, quae antea fuerunt *Himerae*, iis dat *Scipio*, et *Cicero*, cum iſtud factum *Scipionis* commemorat, tantum non declarant, ſe pro eadem illas ciuitate habuiſſe. Idcirco ambo nomina iungit *Polybius*, p. 24. Θερμῶν τῶν Ἱμεραίων· et ſic *Ptolemaeus*, Θερμαὶ Ἵμεραι πόλις, vbi reponit *Cluuerius* Ἱμεραῖαι; et, in inſcriptione, apud *Gruterum*, p. 433. *COL. AVG. HIMERAEORVM THERMIT.* Et, niſi dicere licet, *Himerae* nomen fuiſſe *Thermas*, quia non fuerunt in eadem parte agri; nec dicere licet, quod vnusquisque dixit, *Naxo* nomen fuiſſe *Taurominium*, nec *Sybari Thurios*; imo vero, nec *Smyrnae* nomen fuiſſe *Smyrnam*, nec *Magneſiae Magneſiam*: nam noua oppida, ita nominata, tam fuerunt ab antiquis illis remota, quam ab *Himera Thermae*.

Dixeram, *ſecum met pugnare* Epiſtolas; quod quinquageſima prima *Phalaridis* vxorem veneno interemtam faciat *Aſtypalaeae*, breui poſt fugam mariti, ſed epiſtola LXIX. multis poſt annis, quando in tyrannide *Agrigentinorum* ſenex fuit factus *Phalaris*;

viuentem in *Creta* eam facit. Ad haec *Boyleus*, p. 102. 193. *Plane abhorrere a ratione, quod fingam, Epiſtolas ſcriptas fuiſſe eodem ordine, quo nunc illae ſint; nam, ſi ab eo recedas, nihil ineſſe in duabus his Epiſtolis, quod non cobaereat.* Iam autem quaero, quo nomine is appellandus ſit, qui tam aperte falſa dicit, in cauſa luce clariore? Num fingebam, Epiſtolas eo ordine ſcriptas fuiſſe, quo nunc ſunt editae? Non plane dixeram, cap. IV. epiſtolam LXXX. poſſe ſcriptam eſſe ante LXXXIV. imo ante viceſimam, atque ipſam primam etiam? Nonne apparet vnicuique, qui vel modice ſapiat, me *pugnae* huius cauſam non repetere ab ordine Epiſtolarum, ſed a diſcrimine locorum et temporum? Iam ipſius verbis ex eo quaeram, *An voluptas, quae ex falſa et mentita hac fictione percipitur*, quae ipſo digna, nec mea eſt, *aequari poteſt cum ignominioſa illius admonitione?*

Sed dicit, *Alia quatuor eſſe a me ficta*; (p. 103.) *quorum nullum ſit fundamentum in Epiſtolis, aut vlla parte hiſtoriae.* Quid aiat, aut neget, Scriptor Cenſurae, mea nihil refert: ſed alii dicant, an non ſingula, a me dicta, ex ipſis Epiſtolis elici poſſint. Ep. IV. (XXXV.) et XLIX. (CXXIX.) Phalaris *aufugit* Aſtypalaea; ep. LI. (XXIV.) *eius vxor, cum ſequi eum vult, veneno interficitur a* Pythone, *qui ambiit ſecundas huius nuptias.* Rurſus, ep. LXIX. (CV.) *eius vxor viuit in* Creta, *cum diu* Agrigentinorum *tyrannidem obtinuiſſet* Phalaris. Haec omnia plane leguntur, in Epiſtolis. Iam, ſi non *Cretae* oppidum erat *Aſtypalaea*, ſed inſula e numero *Sporadum*, vt iam demonſtraui contra *Phalaridis* editores; tum, ſi veneno interfecta erat *Aſtypalaeas*, non poterat deinceps viuere in *Creta*. Et, ſi veneno ſublata de medio erat, quia maritum ſequi volebat, quod longe poſt illius fugam accidiſſe, probabile non eſt; adhuc viuere non poterat, cum ille conſenuerat in *Sicilia*. Fateor equidem, haec duo adhuc mihi videri *repugnantia*. Sed diſſentire mecum *Boyleus*, in hoc, poteſt, quid ſit, in quod quadret iſtud nomen. Nam eius Cenſura repugnat adverſus ipſius indicem in *Phalarin*; quaeque in margine libri habet, non vno in loco contraria ſunt illis, in contextu; tamen, *repugnantia* inter ſe eſſe, animaduertiſſe, non videtur: nec enim indicem ſuum in *Phalarin* correxit; quae autem in margine ſunt, ea contextui adiunxit, quaſi ex omne parte conſentirent.

Praeterea excipiebam, contra Epiſtolas, abſurdum ſophiſtae inſtitutum, quum *Nicoclem* inducat, orantem *Phalarin*, vt carmen pro ſe petat a *Steſichoro*. Sed ſcriptor Cenſurae *teſtatur* (p. 104.) *ſe nihil in eo videre abſurdi et alieni poſſe.* Quoniam

haec de iudicio, non de facto, controuersia est, haud equidem miror, quod, *Boyleum* et memet, intelligam, in opiniones tam diuersas abire. Vbi autem semel istum res exitum habuerit, frustra de ea disputabis, sed iudicium lectoris faciendum est, qui sensum et intelligentiam habeat. Perstringam tantum ea, quibus haec nititur argumentatio. *Phalarin*, dicit, p. 104. *repulsam tulisse, cum secundum tentaret* Stesichorum, *rogatus ab vno e primis* Siculorum. Sed apparet ex ipsa epistola LXV. (XXII.) noluisse secundum tentare; vt vir iste *primarius* repulsam tulerit a *Phalaride*, non *Phalaris* a *Stesichoro*. Ne quidem librum suum familiarem cognitum habuisse *Boyleus* videtur; si tamen ego, qui istum despicio, nec, qui legatur, dignum esse, censeo, tantum, quantum hoc est, flagitium in eo commisissem; integras duas paginas impleuisset, de vitio declamitans, effutiuissetque *iocos* suos *scurriles*, de argumento tam digno.

Sed *animaduertit* (p. 104.), *alta me de* Phalaride *sentire*, cum dicam, *ingenium eius non fuisse occupatum in talibus rebus, quales* Stesichori *carmina essent*. Non erant *alta*, quae sentiebam de magnitudine ditionis eius, sed dira de eius crudelitate et barbarie, quo animum inducebam, in eiusmodi rebus ingenium eius non fuisse occupatum. Potuisset igitur *Boyleus*, supersedere ea descriptione, qua, hic, de *Phalaridis* potestate diminuit. Dixeris, aegerrime eum fecisse, quod depresserit *Siculum* suum *principem:* sed magis ab aduersario metuebat, quam vt fidelitatis sui recordaretur. Sed videamus, quemadmodum instituat. *Regulus tantum erat*, inquit, *vnius ciuitatis, in* Sicilia. Equidem animaduerto, superesse adhuc aliquid pristinae aduersus eum reuerentiae; nam adhuc *principem* facit, licet modo *regulus* sit. Sed quae ista iniquitas est, vt vnicum tantum oppidum ei concedat, *Agrigentum*, idque dimidia parte ciuium priuatum? Quid igitur *Suidae* faciet, qui *totius* Siciliae *tyrannum* eum facit (v. Φάλ. τυραννήσας Σικελίας ὅλης)? quid *Diogeniano*, qui dicit, *eum subiecisse sibi oppidum et agrum* Leontinorum (Παροιμιῶν, II. 50. Καταπολεμήσας τοὺς Λεοντίνους)? quid *Polyaeno*, qui, l. V. I. Sicanos facit ab eo *deuictos, et captam* Ouessam (*vel potius* Inessam), *caput imperii?* quid *Diodoro*, qui, p. 741. tradit, duo ei castella fuisse, "Ἔκνομον λόφον, et Φαλάριον, in finibus *Geloorum*, vnius diei itinere ab *Agrigento?* quid denique ipsis Epistolis, vbi, ep. LXXXV. (XXXVIII.) fingitur vicisse *Leontinos*, et *Taurominitanos Zanclaeosque*, illorum socios? Si haec omnia in summam addet *Boyleus*, agnoscet fortasse, principem suum *millies millibus minimum ciuium* imperasse; licet *Agrigentum* ciuitas tam populosa

non esset, quam eam facit *Laertius.* Quid fuit igitur, quod tam abiecte de eo sentiret *Boyleus*, vt *regulum* faceret *vnius oppidi tantum*, quum auctores tam probati plura alia sub eius imperium ditionemque subiungant? Nonne, vt saepius dixi, fatale quodammodo huic iuueni est errare, adeo, vt siue pro *Phalaride*, siue contra eum, disputet, in vtramque partem semper labatur?

Porro dicit (p. 105.), *fuisse tyrannos, qui aliquot millies millena ciuium ditione tenerent, qui ipsimet carminibus operam darent. Nonne* Bentleius *vidit.* inquit, *fragmenta Epistolarum* Augusti, *ad* Horatium, *poetam hortantis, vt scriberet?* Nunquam sane factum aliquod magis apto in loco commemoratum est. Iam ex animo ei ignosco, quidquid in me dixerit, quum videam, quanto cum iudicio et delectu titulos assignet. *Phalarin, Siculum principem, Augustum, tyrannum* habet. Aptior fuisset, vt opinor, *Dionysii, Syracusiorum* tyranni, comparatio; nam tanti poetas et carmina faciebat, vt non tantum multos poetas circa se haberet, sed ipse tragoedias faceret. Tametsi hoc ipsum, aut quoduis aliud huius generis fuisset plane alienum: nam, vt supra dicebam, non erat amplitudo *Phalaridis*, sed barbaries et ignorantia (cum illiteratus publicanus esset ante, quam tyrannidem occuparet), quo fiebat, vt tam absurdum videretur, eum egisse cum *Stesichoro*, de carminibus.

Sed, *Donis*, inquit, p. 105. 106. obtinere velle carmen a *Stesichoro*, *alienum* fuisset: nam *inter primos* Siculorum *numerabatur.* Hoc nouum in historia est, quod quo magis persuadeat, curat, vt faciat planum. Imo duobus magnis argumentis; primo, *quia*, *vt* Suidas *narrat*, *illius frater* Helianax Νομοθέτης, *legislator*, fuit. Sic est sane, si legislator fuit, consequitur, vt vnus fuerit e primoribus. Sed male cadit, quod legum ferendarum potestas non semper fuit penes eiusmodi viros principes, vt nunc est. *Optimi legislatores*, inquit *Aristoteles*, Polit. IV. 11. *fuerunt* MEDIOCRIS *conditionis ciues; nam talis* Solon, *vt ex carminibus eius apparet; et* Lycurgus, *nam non fuit rex; et* Charondas, et PLERIQVE *omnes.* Ipse *Aristoteles*, cuius adeo supra modum nobilitas celebrata non est (*Laert. Plutarch.* c. Colotem), leges fecit *Abderitis. Zaleucus,* vti dictum supra, pastor ouium fuit, et seruus. *Eudoxus* (*Laert. Plut.* ibid.), *Cnidius*, ciuibus suis leges tulit; sed idem tam pauper, vt a *Theomedonte*, medico, sustentaretur *Athenis*, et ab amicis acciperet viaticum, quum in *Aegyptum* cogitaret. *Thyriis* legislator fuit *Protagoras*, idem tamen primum baiulus (Φορμοφόρος, *Gellius*, v. 3.). Cur ergo, *Stesichorum*, oportet, fuisse e principibus *Siculorum*, quod habuerit fratrem, le-

gislatorem? Sequitur adhuc, vt apparet, scriptor Censurae antiquum suum ratiocinandi morem. Nam tuto in contrarium aliquis inde argumenta duxerit, fuisse illum mediocris tantum conditionis. Esto; sed non potuit (p. 106.) non *esse ibi vnus de primis; quoniam orationem habuit ad* Himerenses *in* Phalarin (*Aristot.* Rhet. II. 2.), *De equo, eiusque sessore, et ceruo.* Adeone hoc argumento est, eius *diuitias* et *amplitudinem* supra dona fuisse? Similem orationem ad plebem *Romanam* (*Liuius*, II.) habuit *Menenius Agrippa*, idem tamen copiis familiaribus tam exiguis fuit, vt funeri sumtus deesset. Est alia etiam oratio *Aesopi*, commemorata ab *Aristotele*, eodem in loco, vbi illa *Stesichori*: ac si *Aesopus*, seruus omnium rerum egens, orationem habere ad *Samios* potuit de re publica; cur *Stesichori* oratio ad *Himerenses* argumento est, eum *fuisse ex primoribus* Siciliae? Est in marmore *Arundel.* nota temporis, quo *Stesichorus* poeta *venit in* Graeciam; Εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο. Verbis autem ἀφικέσθαι εἰς Ἑλλάδα significatur, proficisci in *Graeciam* lucri causa, *vt reliqui poetae faciebant, qui carmina sua quaestui habebant.* Cum valde angusta res esset *Homero,* auctores ei nonnullos fuisse, tradit *Herodotus*, Vit. Homer. vt in *Graeciam* proficisceretur (εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀπικέσθαι); idque consilium cepit, sed mortuus est in *Io*, ante inceptum iter. Nec iniuria suspicari licet, pro amplitudine ea, quam somniat *Boyleus*, non aliam *Stesichoro* causam fuisse itineris in *Graeciam*, atque, ante eum, *Homero*, et, post, *Simonidi* et aliis.

Alio nomine Epistolas reprehenderam, *quod idem carmen et* Μέλος, *et* Ἐλεγεῖον, *ibi dicitur.* Opponit scriptor Censurae (p. 106. 107.), *Se, pro diuerso suo ingenio, in contrariam partem ratiocinaturum fuisse, et secundum Epistolas conclusurum. Primum*, inquit, *verba non confudisset* sophista. Sic est sane; haud scripsisset tales Epistolas *sophista* doctus, vt nec eas diuulgasset vir *ingenii:* sed fictus noster *Phalaris* sophista est ex eo genere, infra quorum ingenium nullum omnino flagitium sit. *At forte princeps*, inquit *Boyleus*, *se non obstringi, iudicauerit, omnibus iis legibus, quibus grammaticus.* Est haec secunda pars vrbanitatis eius erga *Elizabetham*, reginam (vid. supra, p. 120.): constituit, vt videtur, *principibus* quasi regiam dare praerogatiuam improprie loquendi. Sed principibus, quantum volet, assentetur *Boyleus*, id tantum nunc ago, vt eum, qua criticum, considerem. Accedam igitur ad proximam eius commentationem (p. 107.), Phalarin *dixisse* Ἐλεγεῖον, *cum illud a* Stesichoro *peteret, ac nesciuisse, quis futurus esset numerus; at, acceptum, cum*, Lyricum *esse*, *videret*, *vocasse* Μέλος. Quis neget, hoc subtiliter excogitatum esse? Sed vnum est, quod ob-

ſtet; cum *principis* defendit exiſtimationem, illam poetae perdit. Nam, ſi *elegia*, quae proprie dicitur, (vt, hac excuſatione, fuiſſe, fingitur) pacta erat et conſtituta cum *Steſichoro*, cur eius loco carmen *lyricum* faceret? Simile hoc fuiſſet illi pictoris, qui, quidquid etiam inſigne pingendum locaretur, ſiue leo, ſiue delphinus, ſemper roſam pingebat. Argumentatur *Boyleus*, p. 107. "Ἔλεγος et Ἐλεγεῖον *nomina magis vaga eſſe, quam putent grammatici; quia* Dio Chryſoſtomus *verſus heroicos, in* Sardanapali *ſepulcrum, dicat* Ἐλεγεῖον. Sed figura dictionis hic eſt, quam *ſecum pugnantis* dicas, obuia valde in ſcriptoris Cenſurae argumentationibus. Nam modo dicebat, p. 106. *Sophiſtam, de vſu vocis* Ἐλεγεῖον, *errare non poſſe, cuius diſtincta notio ante eum tam bene eſſet explicata a grammaticis:* nunc autem *Dionem Chryſoſtomum* producit *(ſophiſtam et declamatorem*, vt ille ait, p. 26. *omnium ineptiſſimum) ea vtentem, ut vaga magis, quam eſſe putent grammatici.* Sed vt mittam hoc; quod docet *de notione diſtincta, tam bene explicata a grammaticis*, non aliud id eſt, niſi *vagi eius et inconſtantis* ingenii, exemplum. Nam bene norant grammatici, Ἐλεγεῖον dici *epitaphium*, etiam ſine pentametro. Poterant id diſcere, inter alios, ex *Herodoto*, quum ſcribat, *incolas* Ii τὸ ἐλεγεῖον τόδε ἐπιγράψαι, *hanc elegiam inſcripſiſſe in ſepulcro* Homeri (vit. Hom.)

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν Ἡρώων κοσμήτορα δῖον Ὅμηρον.

Non potuit hoc ignorare *Suidas*, vnus ex iſtis grammaticis; nam (v. Ὅμηρος) hoc ipſum epitaphium citat, vocatque Ἐλεγεῖον. Res ſic ſeſe habet: Antiqui vniuerſe epitaphia ſua duobus verſibus, hexametro et pentametro, concludebant; vnde, progreſſu temporis, factum, vt epitaphium quoduis largum dici coeptum ſit Ἐλεγεῖον. *Veteres*, inquit ſcholiaſta in *Apollonium Rhod.* II. 784. ἐλεγείοις *vtebantur, pro inſcriptionibus, in ſepulcris:* Τοῖς ἐλεγείοις ἐν τοῖς ἐπιταφίοις ἐχρῶντο οἱ παλαιοί. Τὰ ἐλεγεῖα, inquit *Lycurgus*, p. 168. τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐν τοῖς μνημείοις. ſed quid inde commodi ad *Boyleum*, eiusque *Phalarin?* Ἐλεγεῖον, ex hexametris, aeque differt a *carmine lyrico*, ac ſi eſſet pentametris mixtum. Vt Ἐλεγεῖον et Μέλος idem carmen dici non poſſit, niſi praerogatiua ſoloeciſmi ea, quam dare *principibus Boyleus* vult.

Sed proximum exemplum forte melius erit, *nam luſcinia*, inquit, p. 107. 108. *in* Ariſtophanis AVIBVS, *dicitur* Ἐλέγους *cantare, et mox iſti* ἔλεγοι vocantur Μέλη. Eſt enimuero hoc vtrique, et admirationi, et demonſtrationi. Quantam vim ingenii habet ſcriptor Cenſurae? Quis vnquam, niſi is, in cogi-

tationem veniſſet lepidi huius, a luſcinia ſumti, argumenti? Concludamus breuiter ad morem dialecticorum. *Luſcinia cantat* Μέλη; *Luſcinia cantat* Ἐλέγους; *Ergo* Μέλη *ſunt, qui* Ἔλεγοι. Belle ſane, nec e triuio! Sed habet aliquid incommodi, quod, ſi luſcinia plures cantilenas cantare poteſt, illius concluſioni locus non eſt. Videtur ſerio hac argumentatione vſus eſſe *Boyleus;* quaſi vero, quum poeta variis, e re muſica translatis, nominibus cantum auis appellet, ex eo concludere liceat, omnia iſta nomina poſſe rem eandem ſignificare. At, eodem in loco, *Ariſtophanes* dicit, vpupam, auem, ſonum non admodum modulatum edentem, canere Μέλος (p. 376.):

Ὁ ὕποψ μελωδεῖν αὖ παρασκευάζεται.

Boyleus igitur, ad eandem rationem, concluſerit ſic: *Luſcinia cantat* Μέλος; *Vpupa cantat μέλος*; *Ergo Vpupa cantat, vt luſcinia.* Et ſic argumentando, merulae cantabunt, vt illae, nam earum modi quoque Μέλη ſunt (Antholog. I. 20.):

Κόσσυφοι ἀχεῦσιν ποικιλότραυλα μέλη·

atque ita etiam cicada (ibid. III. 24.):

Ξουθᾶν ἐκ πτερύγων ἁδὺ κρέκουσα μέλος.

Imo ipſae ranae coaxabunt, vt luſciniae (*Moſchus*, id. III.):

Ταῖς νύμφαισι δ' ἔδοξεν ἀεὶ τὸν Βάτραχον ᾄδειν.

Τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι, τὸ γὰρ Μέλος *οὐ καλὸν ᾄδει.*

Sed, quod magis etiam mirandum eſt, eadem luſcinia, apud *Ariſtophanem*, paulo poſt (p. 395.) cantare incipit *anapaeſtos.*

Ὕμων σύντροφ' ἀηδοῖ,

Ἄρχου τῶν ἀναπαίστων.

Vt, ex *Boylei* argumentandi ratione, et Μέλη et Ἔλεγοι et Ἀνάπαιστοι dici poſſint de eadem re. Ac, ſi modo quosdam *anapaeſtos* luſciniarum attuliſſet *Boyleus,* ad refutanda ea, quae de numero iſtius verſus diſſerui (vid. p. 73. cet.), maiori forte emolumento ei fuiſſent, quam illi ex *Aeſchylo* et *Seneca.*

Dixeram, me ſuſpicari, quidquid de amicitia, *Phalaris* et *Steſichorum* inter, habeant Epiſtolae, id falſum eſſe et mentitum; quia nec poeta ipſe, nec alius ſcriptor vllus, eius faciat mentionem; quamuis, ſi verum fuiſſet, multis eius commemorandi commodam habuiſſent occaſionem. De ſilentio autem *Luciani,* rationem reddit ſcriptor Cenſurae; quia, quantum ſufficiebat, dixerat *Pythagoram* nominando, et ſi nomen *Steſichori* fuiſſet additum, *aliquid affectati et parum naturalis habuiſſet compoſitio* (p. 109.). Subtiliſſimum vero aurium iudicium! dicet ille ad verbum, quando affectatae difficultatis erit oratio; velut olitor, qui ad punctum temporis definire poterat, quando melopepones ſui ſolis radiis eſſent cocti. *Quot ego, eorum etiam,* inquit *Phalaris* in *Lucian.* I. Phalar. p. 845.

qui insidias mihi struxerant, manifeste licet conuictos, seruaui, vt Acanthum *hunc, et* Timocratem, *et* Leagoram, *illius fratrem?* Iam autem, ex testimonio Epistolarum, *Stesichorus* etiam conuictus erat coniurationis; seruabat tamen eum tyrannus, sibique amicum adiungebat. At, puto, si reliquis tribus *Stesichorum* addidisset *Lucianus*, vnico isto nomine fuisset effectum, vt oratio haberet aliquid affectati et parum naturalis. Fac autem, *Luciano* ipsi tam subtilem sensum eius, quod affectatum sit, fuisse, quam quem *Boyleum* habere, apparet; atque adeo noluisse quatuor nomina coniungere, sed tria tantum; dicerem tamen, vnum ex istis tribus illum praetermissurum, et in eius locum fuisse *Stesichorum* collocaturum: nisi *Boyleus* demonstraverit, *Timocratem*, aut *Leagoram*, (nomina inaudita plane) aeque clarum fuisse, ac *Stesichorum*, eorumque exempla aeque digna memoria. At porro *Boyleus*, *Si silentium* Luciani *obstet consuetudini* Stesichori *cum* Phalaride, *obstare quoque illi* Abaridis: *quam tamen criticum nostrum antea* (Differt. p. 9.), *causa* Aristotelis *et* Iamblichi, *agnouisse*. Etiam id non dicat scriptor Censurae, tamen suspiceris, (p. 203.) *eum aliquando, in suo opere, non expergefactum esse*; nam, (p. 137.) *is, qui hoc scripsit, necesse est, alto somno fuerit sopitus; ceteroquin tam inepte effutire non potuisset*. Ne verbum quidem est eo in loco, ad quem in margine libri eius reiicitur lector, de *Phalaridis* amicitia cum *Abaride*. Qui autem *id agnoscere* poteram, *causa* Aristotelis, qui plane de eo silet; aut, si agnoscerem, *Iamblichi* causa, quid hoc ad *Lucianum?* Nam, teste *Iamblicho*, tyrannus interfectus est, *Abaridis* opera, simulatque inter eos exstitit consuetudo; quo igitur modo se, in concione *Delphica*, iactaret *Phalaris* de antiqua amicitia cum *Hyperboreo* illo? si credidisset *Lucianus*, quod narrat *Iamblichus*, tyrannidem *Phalaridi* ademtam fuisse a *Pythagora* et *Abaride*, simul atque ad eum venissent, commemoratio *Abaridis* aut *Pythagorae*, in oratione *Phalaridis* ad *Delphos*, fuisset absurda. Sed aptum *Stesichori* exemplum, si verae sunt Epistolae; nam duodecim annos amicitiam coluit cum tyranno, et ante ipsum mortuus est. Vt silentium *Luciani* de isto, argumento sit, cum nunquam vidisse Epistolas; sicut, contra, ex mentione de *Pythagora* apparet, nesciuisse ea, quae narrantur de tyrannide *Phalaridi* erepta.

In proximo loco (p. 109.), causam exponit *Boyleus*, cur de amicitia, *Stesichorum* et *Phalarin* inter, siluerit *Plato: quia* Plato *nihil habet, de consuetudine,* Pythagoram *inter et* Phalarin. Grauissima sane causa! *Plato* potuit silentio praetermittere *Stesichori* amicitiam cum *Phalaride*, et tamen potuit eam veram

credere: quia mentionem non facit alius amicitiae, quam aeque confictam, atque istam, esse, veri simillimum est. Quod simile est huius: In iis, quae de *Aesopo* tradidere veteres, nihil de deformitate eius est, et tamen eam credere potuerunt; quia nec *Xanthi* (*Planud.* V. Aesop.) *philosophi* cum ipsius *scholasticis* meminere. At Pythagorei *omnes in illo consentiunt*, *sectae suae auctorem consuetudinem cum* Phalaride *habuisse*; *eiusque rei sponsor* Bentleius *est*. Spopondi, *aequales fuisse:* et artificio, sibi familiari, id conuertit in *familiares* (vid. supr. p. 12.). Vnde autem resciuit, Pythagoreos *omnes consentire;* cum soli illius meminerint *Lucianus* et *Iamblichus;* et eorum neuter *Pythagoreus?* aut, si fingas, veram *Pythagoreorum* opinionem esse, quemadmodum eam narrat *Iamblichus*, (Vit. Pythag. p. 184.) Phalarin *iniurium in deos fuisse*, *despexisse philosophiam, ac* Pythagorae *caedem constituisse;* an hoc tam proprium et domesticum exemplum *Plotoni* fuisset, quam illud amicitiae, duodecim annos cultae cum *Stesichoro?* Qualis *decori iudex* Boyleus, quem *sensum* habet diligenter elaboratae orationis, qui *excusat Plotonem*, quod de *inimicitiis, Phalarin* inter et *Pythagoram* (sic enim res describitur ab iis, quos vult, *Pythagoreis*), siluerit inter *celebratas amicitias* virorum doctorum cum tyrannis?

De argumento, ex silentio *Pindari* ducto, *id* (p. 110. 111.) *refutare* non *vult:* quod, pro eo ac solet vulgo, factum vrbanius est. Attamen *fallaciae me admonet, qua sim in argumentando vsus:* Dixisse enim me, Pindarum *hortari* Hieronem, *vt poetas et viros literatos comiter tractet:* Sed, *nihil istiusmodi in ipsis versibus inesse*, *quidquid etiam de sententia comminiscatur scholiasta. Eodem adeo iure idem efficere* Bentleium *posse ex* Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Quid tali tam impudenti scriptori obiicias? qui tam perfricto ore negat id, quod, omnium oculis expositum, vnusquisque, verum esse, testari possit? Verba *Pindari*, locum, quem citaui, proxime antecedentia, haec sunt:

Καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς·

quae, accuratissime reddita, hanc vim habent: *Viris literatis et poetis*. Et, *eos vt comiter tractet*, *Hieronem* hortatur poeta versibus antecedentibus:

Εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων,
Εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰ ——
Εἰ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις·

i. e. *Perge beneuolo animo esse*, *et*, *si immortale nomen cupis*, *non desine liberalis esse:* Quum negasset, in *Pindari* verbis inesse id, quod manifesto inest; tandem negat, in *Epistolis* inesse id, quod inesse, aliquando ipse sciuit, si is fuit, qui

illas redderet *Latine. Non sequitur ex Epistolis*, inquit, p. 111. eximiam *quandam caritatem fuisse*, Stesichorum *inter et* Phalarin; *non apparet*, Stesichorum *eum amasse. Desiderabatur eius consuetudo, nec ille, quae eius prudentia erat, renuebat.* Dictum hoc satis audacter, sed vide, quam vere. Dicit tyrannus, *quamquam suo beneficio duodecim annos vixerit* Stesichorus, *se tamen illius debitorem adhuc esse, vnum enim omnium sibi persuasisse, vt mortem contemneret; ac*, Stesichori *causa, paratum esse ad certam euersionem.* vid. ep. CIII. (XCVII.) et LIV. (XCVI.). Tanta autem erat opinio de *Phalaridis* in illum studio, vt *Stesichori* operam implorarent *Taurominitani* in recuperanda a tyranno pecunia, pro captiuis expensa. ep. XXXI. (XCVIII.) Moritur *Stesichorus* ante, quam id facere potuit; sed negotium dat filiabus, vt, suo nomine, beneficium istud petant. Mox tyrannus cognita illius voluntate, reddere pecuniam; testatus, *non tantum hoc se facturum fuisse*, ἀλλ' εἰ καί τι καὶ τῶν ἀδυνάτων ἐστὶ μεῖζον, *sed si quod aliud esset, maius licet, quam quod fieri posset.* Apparet tamen ex epistola LXXXV. (XXXVIII.) summam, quam hac occasione remittit, centum talentum non minus fuisse, vel XVIII. millium librum sterlingum, longe maximam pecuniam, quae, in toto Epistolarum volumine, commemoratur, et sexies tantam, quantam, in epistola CXVIII. (LX.) sibimet mutuam sumit. Amplum profecto hoc testimonium est *eximiae caritatis*, a parte *Phalaridis;* et vnum sufficit, vt intelligas, *Stesichori* animum non omnino ab eo alienum fuisse; nec enimuero tam stultum *principem* suum *Siculum* faciet *Boyleus*, vt fingat, tam large effuseque donare, sine mutuae voluntatis testimoniis. Sed praeterea ipsae Epistolae aeque clara indicia amoris *Stesichori*, quam *Phalaridis*, habent. Nam sicut *Taurominitani Stesichorum* orabant, vt tyranni gratiam sibi conciliaret; sic, ep. LXV. (XXII.), *Pelopidas*, et, ep. LXXVIII. (XIX.) *Nicocles*, tyranni auxilium implorant, quo beneficia a *Stesichoro* obtineant, quae carmina erant. Atque argumentum, quo vtitur *Phalaris* ad poetam ad id incitandum, hoc est, vt publica, de sua amicitia, opinio confirmetur. Imo, et ibi, et in ep. CXLVI. (XVII.), *Stesichorum* narrat, veniam petiisse se carminibus celebrandi. Sed obtestatur tyrannus, ne faciat, Πρὸς ἑταιρείου Διὸς καὶ κοινῆς Ἑστίας, quae intimae amicitiae et necessitudinis significatio est. *Ac sufficere sibi*, dicit, *scriptum esse* ἐν αὐτῷ Στησιχόρῳ, *in ipso* Stesichoro. Haec autem an non testimonia sint amicitiae, tam a parte *Stesichori*, quam *Phalaridis*, iudicabit lector: ac tum cogitabit, quam inconstantes sint oculi scriptoris Censurae, quocum mihi res est; vt modo videat in libris, quae nunquam in iis fue-

runt, modo ne videat quidem res planiſſimas, non tantum in aliorum libris, ſed ſuo etiam ipſius.

XVI.

DE EPISTOLIS, VETERIBVS INCOGNITIS.

Scriptor Cenſurae, quaſi conſtituiſſet quodam modo compenſare antecedentes nugas, parum hic moleſtiae nobis exhibebit. Comparabit tantum mille annos, quibus in obſcuritate iacuerint *Phalaridis* Epiſtolae, cum quibusdam libris aliis, non fictis, quorum idem caſus fuit. (p. 113. 114.) *Velleius Paterculus*, inquit, non citatur, niſi demum *Priſciani* tempore, quingentis poſt annis, quam ſcripſit: dein de eo ſiletur vsque in tempora *Auentini*, nongentis a *Priſciano* annis. *Phaedrus* primum ab *Auieno* commoratur (quadringentis ab auctore annis), nec ab vllo poſtea, donec a *Pithoeo* editur. Latuit *Lactantius, de Mortibus Perſecutorum*, inde a tempore S. *Hieronymi*, quoad mille poſt annis diuulgaretur a *Baluzio*. Sed, de vltimo exemplo, errat *Boylus*: nam liber *Lactantii* citatur a *Freculpho*, ſaeculi IX. ſcriptore, et ab *Honorio Auguſtodunenſi*, XII. ſaeculo, vt ipſae *Lactantii* editiones eum docere potuiſſent. Sed, vt illud mittam; quid haec exempla ad cauſam *Phalaridis?* Agnitus liber *Paterculi*, intra quingentos annos, *Phaedri*, intra quadringentos, intra centum, *Lactantii*; et, ſi ab iſtis inde temporibus eorum facta mentio non eſt, eo factum eſt, quod, in occidente, iſto temporis interuallo, in tanta ignorantia et barbarie verſati ſunt homines, vt iſtiusmodi libri non legerentur; aut, ſi legerentur, eorum lectores non eſſent ipſi ſcriptores, vt notum facere poſteritati poſſent, ſe eos legiſſe. Vt horum trium ſcriptorum eadem, quae plerorumque reliquorum, ratio ſit: ſunt enim alii multi veterum libri, quos nunc habemus, et agnoſcimus veros, quorum, barbaris iſtis temporis, mentio a ſcriptoribus facta non ſit. Sed his omnibus contrariam fortunam ſubierunt Epiſtolae *Phalaridis:* proximis mille annis ab aetate tyranni longiſſima tempora definiuntur, quibus adhuc floruerunt, et forte florebunt vnquam, artes et diſciplinae: nec toto iſto tempore auditae hae Epiſtolae; ſed primum in notitiam venerunt, cum literarum lumen occideret, et hominum animis longiſſima nox offunderetur. Nulla earum mentio facta nec centum, nec quadringentis, nec quingentis poſt annis, quam eſſent primum datae, nec eae tum, obrutae obliuione, aliquot ſaecula iacuerunt (vt in exemplis, a *Boyleo* allatis, vſu venit), ſed nunquam apparuerunt primis mille annis, ex quo ſcriptae finguntur; et, cum

ſemel apparuerunt; ſemper in vſu manſerunt. Enim vero, ſingularis *cerebri* (p. 106.) ſit, oportet, is, qui, ſimilia haec eſſe, cogitat. Sed reſtat adhuc id, quo inprimis eorum differentia cernitur; nam, etſi barbari aeui ſcriptores, de *Paterculo, Phaedro* et *Lactantio*, ſilent; nihil tamen dicunt, ex quo cognoſcas, non fuiſſe tales libros. Si quod ab iis commiſſum fuit, quod, illis auctoribus, potuiſſet corrigi, tribuendum id eorum ignorantiae deſidiaeque eſt, cum nollent verum exquirere, nec ideo negari poteſt, fuiſſe tales auctores. Qui vero primis mille annis a *Phalaride* floruerunt ſcriptores, viri diligentiſſimi, et vniuerſa doctrina clariſſimi, verſatique in omni librorum genere, non potuiſſent non, quidam ſaltem, toto iſto tempore in *Epiſtolas* incidere, ſi liber exſtitiſſet; iidem tamen multa de *Phalaride* narrant, ex quibus apparet, nunquam eos vidiſſe *Epiſtolas*.

Vt, praeter loca, iam in medium allata a me, quaeſtio iis temporibus erat de tauro *Phalaridis:* nam *Timaeus*. celebris hiſtoricus, *Siculus*, qui ſcripſit circa Olymp. CXXVIII. quodcunque de tauro narratur, id totum confictum eſſe, dicit, quamuis tot ſcriptis fuerit celebratum hiſtoricorum ſimul, ac poetarum. *Τίμαιός φησι μήτε γεγονέναι τοιοῦτον* (*ταῦρον*) *ἐν τῇ προειρημένῃ πόλει* (*Ἀκράγαντι*), inquit *Polybius*, Excerpt. p. 58. et *Diodorus*, p. 210. *Τοῦτον τὸν ταῦρον ὁ Τίμαιος, ἐν ταῖς ἱστορίαις διαβεβαιωσάμενος μὴ γεγονέναι τὸ σύνολον.* Eſt hoc, vt opinor, magno argumento, tempore *Timaei*, qui *Siculus* fuit, patre *Andromacho*, duce et auctore conditi *Tauromenii*, et hiſtoriam ſcripſit *Athenis* (vid. *Plutarch.* de Exil.) Epiſtolas nec in *Sicilia*, vbi ſcriptae finguntur, nec *Athenis*, quo tanquam ad mercaturam bonarum artium vndique proficiſcebantur viri literati curioſique, fuiſſe cognitas. Nam, ſi de iis *Timaeo* conſtitiſſet, quomodo vſus fuiſſet, publicam de tauro opinionem in controuerſiam vocare, quum Epiſtolae, ſi verae eſſent, tam firmum et domeſticum eius rei teſtimonium praeberent? Eſto; at reſiſtunt aduerſus *Timaeum*, *Polybius* et *Diodorus*, ac, talem taurum fuiſſe, contendunt. Quid autem, obſecro, illi? Ipſasne tyranni Epiſtolas appellant? quae certiſſima omnium facillimaque conuincendi ratio, ſi tum exſtitiſſent tales Epiſtolae. Nihil ſane eorum; ſed, quo vno argumento nituntur, taurus aeneus, *Carthagine* repertus a Scipione, cum ianua a latere; quem propterea *Phalaridis* fuiſſe, opinio fuit, aſportatum *Carthaginem*, Olymp. XCIII. 3. in praeda *Agrigentina*. Sed iine, commemorare tyranni Epiſtolas, neglexiſſent, ſi vsquam eas repperiſſent? et tamen vnus eorum *Siculus*, reliqui duo peregrinatores, iique doctiſſimi. Nec igi-

tur *Polybii* tempore, CXX. a *Timaeo* annis, nec *Diodori*, CXX. a *Polybii* aetate annis, cognitae fuerunt Epiſtolae. Noui, ſcholiaſtam in *Pindarum*, *Timaei* narrationem alia plane via exhibere; nam, ad Pyth. I. tanquam auctore iſto hiſtorico, tradit, Agrigentinos Phalaridis *taurum in mare abieciſſe: quique* Agrigenti *eſſet*, *et ſuis temporibus eſſe* Phalaridis *perhiberetur*, *ſolum modo ſignum fuiſſe fluminis* Gelae. Vt, ex hoc teſtimonio, *Timaeus* non negauerit, fuiſſe tyranno taurum aeneum, ſed tantum reprehenderit errorem eorum, qui pro eo ſignum (*Aelian.* Var. Hiſt. II. 33.) fluuii ſumerent; nam fluuii ſaepe ταυρόμορφοι, in figuram bouis, formari ſolebant. Ac, ſi quis erit, qui ſcholiaſtam *Polybio* et *Diodoro* anteponat, non valebit aduerſus Epiſtolas hic *Timaei* locus. Sed, paucos fore, opinor, qui ita exiſtiment; aut, etiamſi omnes ſic cenſeant; tantum tamen *Polybii* et *Diodori* auctoritas contra Epiſtolas, pro ſua cuiusque aetate, adfert momenti, quantum eſſet, ſi iis, quae de *Timaeo* tradiderunt, crederetur. Cum enim planum ſit, nec ab vllo negari poſſit, vtrumque opinatum fuiſſe, *Timaeum* negaſſe, quae de *Phalaridis* tauro traderentur: tam certum eſt, eos in teſtimonium adhibituros fuiſſe Epiſtolas, ductos opinione illa, *Timaeum* iſta negaſſe, quam ſi is re vera negaſſet.

Aliud argumentum, quo plane demonſtrari poſſe videtur, Epiſtolas *Phalaridis* iſtis temporibus non extitiſſe, ducitur ex publica opinione, eum comediſſe filium ſuum. *Ariſtoteles* (Ethic. Nicom. VII. 5. Eudem. VI. 5.) inter exempla eorum, qui carnibus humanis veſcebantur, numerat τὸ περὶ Φάλαριν λεγόμενον, *id*, *quod de* Phalaride *dicitur*. Quod quid fuerit, non definit philoſophus; ſed forte diſci id poterit a *Clearcho*, eius diſcipulo, qui, in libro, *de Vitis*, Phalarin, dicit, *tyrannum*, *eo fuiſſe progreſſum crudelitatis immanitatisque*, *vt puerulos lactentes deuoraret* (Γαλαθηνὰ θοιvᾶσθαι βρέφη. *Athen.* p. 369.). Et ab eo forte ſumſit *Tatianus*, ſect. 54. quod narrat, Phalarin *infantes ab vberibus matris ſolitum fuiſſe edere* (Ὁ τοὺς ἐπιμαζιδίους θοινώμενος παῖδας.). Sed vix exiſtimari poteſt, id voluiſſe *Ariſtotelem*; quod dicit, eſſe gentes feras circa pontum *Euxinum*, qui pueris veſcantur; diſtinguit tamen inter *Phalaridis* et illarum immanitatem. Videtur mox ipſe ſuam ſententiam explanare, vbi ſcribit, Φάλαρις ἐπιθυμῶν παιδίου φαγεῖν, Phalaris *comedere puerum cupiens*: ſed *Andronicus Rhodius*, eius paraphraſtes (vt vulgo eſſe creditur), dicit, ipſum *Phalaridis* filium fuiſſe, quo illum veſcentem faciat *Ariſtoteles*: Ὁ Φάλαρις ἐποίησε φαγὼν τὸν ἑαυτοῦ παῖδα. atque ita *Aſpaſius*, ſcholiaſta, ad *Ariſtot.* p. 154. Ὁ Φάλαρις

λέγεται φαγεῖν τὸν ἑαυτοῦ παῖδα, Phalaris *dicitur comedisse filium suum.* Quantum satis est, nisi fallor, apparet ex his diversorum scriptorum testimoniis, peruagatam fuisse opinionem, *Phalarin* filium suum, cum esset infans, comedisse: ex quo vno effici poterit, vt, istis temporibus, tyranni Epistolae haud fuerint auditae. Nam quinque ibi sunt ad *Paurolam*, eius filium, duae ad *Erythiam*, vxorem eius, de filii educatione; ex quibus omnibus apparet, illum patrem indulgentissimum, filium tum virum factum, eumque *vnicum* illi fuisse: Ὡς πατὴρ ὑπὲρ ἑνὸς υἱοῦ φοβούμενος. vid. ep. XVIII. (1.). Quomodo igitur edere filium, cum esset infans, potuit, vt fert opinio ista? Aut quomodo fieri potuit, vt id constanti fama celebraretur, si ipsae patris epistolae ad euertendum id proferri potuerunt?

Dixeram, *Lucianum*, in vtroque Phalaride, vbi, tyrannum, fingit, taurum aeneum *Delphos* misisse, donum *Apollini*, ac *Delphis* persuadere voluisse, vt eum acciperent, varia habere, Epistolis contraria; quod argumento est, eum, aut nunquam de his audiuisse, aut, esse commenticias, credidisse. Opponit his *Boyleus* mea ipsius verba (p. 110.), Lucianum FINGERE *legatos a* Phalaride *missos* Delphos; *si ergo totum sit fictum, quomodo*, inquit, *serio inde concludere possumus?* Sed, si *Boyleus* ipse hic *serio* concludit, non magnam prodit ingenii vim. Nam totum a *Luciano fictum* esse potest, singulae tamen partes eius possunt, et debent, veritati consentaneae esse.

Ψευδοίμην ἄιοντος ἅκεν πεπίθοιεν ἀκουήν·

si mentiar, ea mentiar, inquit *Callimachus*, *quae probabilia videantur.* Sunt omnes Epistolae Heroidum ab ipso confictae *Ouidio*; attamen iis subiecta materia ex antiqua sumta historia: non loca, non tempora, miscet. Similiter *Luciani* Dialogi mortuorum non nisi conficti sunt; tamen curat, vt res et personam cuiusque accurate describat: non *Croesum Cynicum*, non regem *Diogenem*, facit. Similiter *Lucianus*, si has vidisset Epistolas, easque veras esse, credidisset; non *Phalarin Agrigentinum* vocasset, quem, illae, *Astypalaeensem* esse, declarant; non *Perillum Siculum*, quem illae *Atheniensem* inducunt: non commemorasset nomina tam obscura, vt *Acanthi*, *Timocratis*, *Leagorae*, pro exemplis clementiae in tyranno, cum, quae in ipsis Epistolis de *Stesichoro* leguntur, tantum huius argumentum dedissent.

Dicit porro *Boyleus*, ex *Luciani* cum Epistolis dissensione aut nihil effici, aut nimium (p. 115.): Lucianum *ne quidem vnquam oculis vsurpasse* Timaeum, *quamuis doctissimus fuerit, et saepe eius fecerit mentionem.* Nam, Agrigentinos, *referre*

Timaeum, *taurum in mare deiecisse*, Lucianum *vero*, Phalarin eum *misisse* Delphos. Vereor autem, ne is, qui *libros consuluit* scriptori Censurae, ei imposuerit: nam non memini, *Lucianum* vsquam scripta citare *Timaei*, nedum tam *saepe eius facere mentionem*, quam hic dicit *Boyleus*. Nominat quidem semel, in *Macrobiis*, *Vixisse eum annos* XCVI. Verum ab ipso id *Timaeo* accipere vix potuit, sed ex aliorum testimoniis. Nihilominus concedam *Boyleo*, *Lucianum* legisse *Timaeum:* nequeo tamen concedere illud, hoc meo argumento si omnino aliquid efficiatur, *effici*, Lucianum *nunquam oculis vsurpasse* Timaeum. Est ista conclusio ex eo genere, quo is, qui tantam curam in dialecticis consumsit, non temere fuerit vsus. Patet enim, *Lucianum*, si vidisset, probassetque Epistolas, neutiquam dissensurum fuisse cum illis de patria *Phalaridis:* nam omni exceptione maius testimonium dedissent Epistolae. Sed alia plane res *Timaei* est, qui historiam scripsit, CCXL. a morte *Phalaridis* annis. Potuit saepius eam legere *Lucianus*, nec tamen tantum ei habere fidei, quantum ipsius Epistolis *Phalaridis*. Imo planum est, potuisse eum legere haec ipsa, quae de *Phalaridis* tauro a *Timaeo* traduntur; et tamen de industria dixisse contra. Nam, in scriptis *Polybii* et *Diodori*, quos supra citaui, legere potuit, ipsum illum taurum *Carthagine* repertum, et *Agrigentinis*, iussu *Scipionis*, redditum esse; atque adeo cogitare, *Timaeum* in vtramque partem errasse; siue negauerit, vt duo isti historici tradunt, fuisse vnquam talem taurum, siue dixerit, vt scholiasta *Pindari*, taurum fuisse submersum aquis. Adeo etiam infirmum, aut nullum, *Boylei* argumentum est, vt, si a *Timaei* narratione recesserit *Lucianus*, eodem ille iure deserere ipsas Epistolas possit, quamuis eas, tanquam veras, spectauerit. Sed praeterea, nulla omnino, *Lucianum* inter et *Timaeum*, pugna est: vt ipsum fundamentum, quo nititur *Boylei* ratiocinatio, tam sit lubricum, quam, qua insistit, ratiocinandi via. Nam nihil dicit *Lucianus* aliud, quam illud, tyrannum taurum dono misisse *Delphos;* qui quum diutius deliberarent, acciperentne eum, nec ne, duas orationes fecit *Phalaridis* nomine, quibus, vt acciperent, iis persuaderet: sed, re vera eos accepisse, nihil est, vnde colligas. Imo suspiceris potius ex more *Luciani* aliorumque sophistarum, τὸν ἥττω λόγον, debiliorem ac minus probabilem partem, sibi ad disputandum sumentium, fuisse famam, taurum *Delphos* missum, sed reiectum ibi a sacerdotibus. Potest igitur remissus *Agrigentum* esse, ac deinceps siue in mare abiectus, vt *Timaeus*, siue *Carthaginem* allatus, vt *Polybius* et *Diodorus* testantur.

Proximo in loco, litem auctorem Epiftolarum inter et *Iamblichum*, de *Abaridis* cum *Siculo principe* confuetudine, componere tentat *Boyleus*. Collocaueram id in Differtatione mea inter ea, quae ab hiftoricis memoriae prodita de *Phalaride* funt: tametfi iam tum, a *Iamblicho* confictum, exiftimabam; fed tum eius excutiendi refellendique nec locus, nec occafio erat. Sed, in hac Refponfione, vbi, ea, quae oppofuit fcriptor Cenfurae, inquifitionem in omnes iftas partes neceffariam reddiderunt, libere declaraui, et, nifi fallor, plane veram demonftraui fententiam meam, Non effe fidem habendam ifti de *Abaride* narrationi. vid. fupr. p. 24.

Sed, vt ad proximum locum tranfeam, vbi contendit, *Heraclidem* cum Epiftolis confentire. Arripuit, quam dedi, anfam, Ὀρφανίαν *Phalaridis* accipi poffe dictam *refpectu patris mortui tantum*, non *vtriusque parentis*. Sed tum corrigere debuit, quam fecerat, interpretationem *Phalaridis*; nam ibi reddiderat, ep. XLIX. (CXXIX.) *A prima infantia* PARENTIBVS *fuiffe orbatum*. Sed forte, vt dicit, *nullius talis epiftolae, in fua editione* Phalaridis, *meminit*: et fane, cum tot contraria et repugnantia contra iftum librum fint, omnino oblitus effe videtur, fe vnquam eum edidiffe. Tametfi fuerunt, quibus dubium effet, iftudne a prauitate, an bonitate, memoriae eius fit repetendum. Sed nolo id difputare: quae nunc agitur, quaeftio haec eft, *An ex Epiftolis colligi poffit*, Phalaridis *matrem non fuiffe ipfum fecutam* Agrigentum. Caufae autem, cur, non fecutam arbitror, hae funt: Primum, fcribit tyrannus, *a prima infantia fe fuiffe orbum*, quo verifimile fit, matrem eius tum mortuam fuiffe: dein, in diuerfis Epiftolis, narrat, fe debuiffe vxorem fuam et vnicum filium relinquere: quo plane indicatur, matrem quoque, fi vixiffet, vna relictam fuiffe. Praeterea, ne verbum quidem, in vniverfis Epiftolis, de vetula fcriptum, reperitur, quod *Phalaris*, pro fua *beneuolentia et affectu in fuos* (vid. Index *Phalar.*), aegre praetermiffurum fuiffe, confitebitur *Boyleus*; in epiftolis ad filium, nulla mentio facta eft de adolefcentuli erga auiam pietate, nec huius erga illum amore: fic in Epiftolis ad vxorem, altum filentium eft de focrus in nurum beneuolentia. Vix autem exiftimandum eft, in Epiftolis familiaribus, quales hae funt, nec in publicum fcriptis vfum, matrem plane praetermiffum iri, cum ille ad filium et vxorem fcriberet. In libro XIV. Epiftolarum, quas ad fuos fcripfit *Tullius*, fingulis paginis *Terentiam*, eius vxorem habemus, *Tulliam* filiam, filium *Ciceronem*, omnes, qui tum viuebant: et, fi vixiffet tum eius pater, aut mater, haud dubie nulla temere epiftola ab eo fcri-

pta fuiſſet, ſine aliquo teſtimonio ſuae erga eos pietatis. Niſi igitur aegre feret *Boyleus*, quod *ſenatoris Romani* Epiſtolas cum illis *principis ſui Siculi* componimus, earum comparatio docebit, *Phalaridis* matrem fuiſſe mortuam ante datas has Epiſtolas; atque adeo iis contraria ſentire *Heraclidem*, cum ſcribat, matrem concrematam fuiſſe in tauro, quando filio erepta tyrannis fuerit.

Duo adhuc excipit *Boyleus*, de quibus nunc breuiter agendum. Negat, p. 117. *in ſuo exemplari* Heraclidis *legi*, Phalarin *concrematum fuiſſe in ſuo tauro:* Sed hoc iam refutatum a me eſt (ſupra p. 103.), nec opus eſt plura addi. Tum dicit, *ſuum exemplar* Phalaridis *eiusmodi epiſtolam non habere*, *ex qua cognoſcas, tyrannum ſolum aufugiſſe* Aſtypalaea, *ſed ſi ſit talis in MS. regio, tum ſe relaturum his, quum praefectus bibliothecae ea fuerit humanitate, vt ſibi, iſtum inſpicere, permiſerit.* Verum, niſi fallor, abunde id ex ipſius *Boylei* editione cognoſcas, vt modo demonſtraui. Nulla autem epiſtola in MS. regio eſt, quae non in editis exemplis reperiatur: contra ea ſunt, quae ibi deſiderentur. Et, ſi libuerit *Boyleo*, experimentum *humanitatis* meae facere, ſiue iſtum manuſcriptum velit inſpicere, ſiue quacunque alia in re, quae in poteſtate ſit mea; poterit tum dicere, qualis ſim ego, propria experientia edoctus, non eorum teſtimoniis, qui obtrectatione mei nominis gratiam eius aucupantur, licet non magis, quam ipſe, me cognitum habeant.

Iui nunc per omnia, quae, in Diſſertatione, de *Phalaridis* Epiſtolis, a me diſputatis oppoſuit *Boyleus*, et vt, ſaltem in exitu, aliquam ab eo gratiam ineam, viam ei monſtrabo, qua rem expediat, et probabilem reddat rationem eius, quod tyranni Epiſtolae, primis mille annis circiter ab iſtius morte, latuerint. Apparet ex epiſtola XXXIV. (CXXXV.) Eum conſpirationis aduerſus ſe ſuſpicione ſuſpenſum eſſe ac ſolicitum coepiſſe; veri itaque ſimile eſt, prouiſurum fuiſſe iis rebus, quae ipſi eſſent cariſſimae. Cumque ſecundum epiſtolas reliqua monumenta omnia fragilia ſunt et caduca, non potuit non ſpeciatim praecauere his *Epiſtolis*, illis ingenii, eruditionis, ſuarumque virtutum monumentis, quibus de innocentia ſua contra popularis inuidiae obtrectationem conſtare poſteritati poſſet. Condiderit igitur has ſuas tam pretioſas res in arca cedrina, cupreſſeaue, pice et bitumine, ne haec corrumperetur, circumlita; eamque defoderit in terram in ciſta marmorea, ibique abdita mille latuerit annos, quoad tandem forte fortuna effoderetur: licet dudum vetuſtas rationem et modum, quo ſit inuenta, obliuione obruerit. Exſtat illuſtre exemplum,

huius *Siculi* nostri *principis* simile, illud *Numae*, principis *Romani.* Iusserat *Numa* (*Liuius*, l. XL. *Plinius*, XIII. 13. *Plut.* Num. *Lactant.* 1. 22.) libros aliquos sollicite in arca lapidea poni, et clam secum in sepulcrum condi: accidit autem, vt ii inuenirentur, A. V. C. DLXXII. cum annos CCCCXC. fuissent sepulti. Huius rei testes idonei sunt *Cassius Hemina*, *Lucius Piso*, *Valerius Antias*, *Romani* historici antiquissimi, magni nominis omnes. Non exstant quidem *Numae* libri, nam iussu senatus cremati sunt, quia iis comprehensa fuerunt quaedam, quae dissoluendarum religionum essent. Attamen tres eius rei auctores, valde probandi, sunt; et, si tempus, quo libri hi sub terra fuerunt, tot annorum spatio definitum non est, quot *Phalaridis* Epistolae sepultae iacuerunt, cogitandum est, quod, auctoribus historicis, supra commemoratis, scribit *Liuius*, l. XL. *libros fuisse non integros modo*, *sed recentissima specie.* Quod si igitur quingentos circiter annos, integri manserunt, perinde ac si recentes essent libri, saltem legi adhuc possent, vt opinor, si alteros quingentos annos latuissent. Iam, vt verbis vtar *Boylei*, p. 100, *in hac opinione* de *Phalaride*, suas Epistolas defodiente, *quid insit aut absurdi*, *aut parum naturalis?* quod re vera factum *Romae* est, id in *Sicilia* quoque factum esse, iure opinari licet. Quin porro, vt prudenter scribit, (p. 89.), *Hoc*, *quod fingimus*, *omnino* FIERI NON POSSE, *ante demonstrandum est*, *quam firmum aliquod argumentum duci potest* e silentio veterum omnium *ad probandum*, *commenticias esse Epistolas.* Ac si semel in istum locum rem perduxerit, eo velut propugnaculo tectus, tam diu *Phalarin* suum defendere poterit, quam diu aduersus *Graecos* restiterunt *Troiani.*

Imo, quo aequiore in me animo discedat *Boyleus*, amplius aliquid cum eo communicabo, doceboque, quemadmodum tela quaecunque, in Epistolas iacta, declinari possint, si modo illud vnum fingat: Fuisse eas defossas. Nam vt maximorum quorumque heroum vitas comitata sunt ea, quae, aut prodigiis similia, aut incredibilia videantur: sic quique libri, quibus rara ea fortuna obtigit, vt aliquot saecula sepulti manserint, vim aliquam priuam et quasi notam habuerunt, quae in vulgaribus libris inueniri nequit. Vt erant *Numae* libri, duo *Latini* (*Plin.*), et duo *Graeci*; tametsi erant VII. *Latini* (*Liuius*) et septem *Graeci;* imo erant XII. *Latini* (*Plut.*) et XII. *Graeci.* Esse autem eadem duo, septem et duodecim, minime vulgare est, sed peculiare et proprium libris sepultis. Dein libri isti *Graeci Numae* praecepta continebant philosophiae *Pythagoricae* (*Plin. Liu.*): tametsi constat, *Pythagoram*, istius

conditorem disciplinae, IV. vel. V. aetatibus posteriorem *Numa* fuisse. Adhaec libri *Numae* ex *papyro Aegyptia* erant, cuius in scribendo vsus non fuit, nisi diu post mortem *Numae*. Sed si ex papyro esse *Aegyptia* libri *Numae* potuerunt, ac disciplinam continere sapientiae *Pythagoricae*, tot, ante chartam factam, aut natum *Pythagoram*, aetatibus; mirandumne est, Epistolas *Phalaridis*, quas nunc, vt *Numae* libros, sepultas fuisse, fingimus, habuisse nomina diuersorum oppidorum, aliarumque rerum: quae nec condita nec nominata fuerunt, nisi longe post mortem tyranni? Sic monumenta *Hetrusca*, a *Curtio Inghiramio* effossa, in *Italia*, postquam aliquot millena annorum sepulta iacuerant, ex charta vulgari erant, qualis nunc in vsu est, ex pannis lineis facta, valde recentis inuentionis; et, quo magis mirandum est, habebat quaeque scheda notam institoris, qui tum aut viuebat, aut recens functus fato erat, quum monumenta ista reperiebantur. Habent igitur hoc sibi priuum libri sepulti, vt sint quasi fatidici, et de rebus futuris, tanquam praesentibus, loquantur: quae vna ratio probabilis reddi potest temporum praeposterorum, quae in *Epistolis* notantur. Tum autem de *Attica* dialecto, qua ibi vsus est *Phalaris*; praeter, id quod suggessit *Boyleus*, de *conuersione dialecti*, est, quo saluas illas praestes. Nam *liber S. Iacobi*, ipsius manu apostoli scriptus, et in *Hispania* sepultus inde in saeculum XV. quaedam continebat, *Hispanica*, vt nunc est, dialecto expressa, quae tempore apostoli nondum nata erat. Quod si ergo libri, in *Hispania* sepulti, iis conscripti dialectis esse possunt, quae nusquam in vsu fuerunt, nisi aliquot demum post saeculis; cur non, in *Sicilia* sepultae Epistolae esse conscriptae potuerunt recenti dialecto *Attica*, nata licet, et in consuetudinem introducta illa, aliquot ab auctoris morte saeculis. Repetit quidem *Bern. Aldrete*, vir doctus (*Varias Antiguedades de Espanna, Africa, y otras Provincias*), causas recentis dialecti *Hispanicae*, in scriptis apostoli, ab oraculo tanquam illius animo diuinitus incluso; ex quo praesentiebat, quando sepulta sua scripta effoderentur: atque adeo ea vtebatur lingua, quae tum esset in vsu. Sed opus non fuisset instinctu aliquo apostolico, si modo considerasset ille, esse eam omnium omnino librorum sepultorum naturam, vt auctores anticipent ea, quae posteris futura sunt saeculis; sic *Numa*, sic *Inghiramii* heroes *Hetrusci*, sic *Siculus princeps*, fecerunt.

XVII.

Cum primum ab amico meo, viro doctissimo, rogatus, animum ad scribendam, de *Phalaride*, dissertationem applica-

rem; Epiſtolas legi, quaeque interea obſeruaui, loca ſcribendi materiam mihi praebuerunt. Cum vero ab eo tempore eas denuo legendi neceſſitatem mihi adferret Cenſura *Boylei*, tria quatuorue loca, quae tum oculos meos fugiſſent, animaduerti, quae aeque certa fraudis indicia ſunt, atque vllum eorum, quae adhuc ſunt a me in medium allata.

Ep. III. (CXVII.) ΠΡΟΝΟΙΑΝ dicit ſophiſta, quum vult *dei prouidentiam:* Εἰς τὴν τȣ͂ δαιμονίȣ πρόνοιαν ἀναΦέρων τὰ περὶ ἐμȣ͂. et, ep. CIV. (XL.) *Catinenſibus* minatur, *ſe nunquam non hoſtem ipſis fore*, Ἕως ἂν ἡ διοικȣ͂σα πρόνοια τὴν αὐτὴν ἁρμονίαν τȣ͂ ΚΟΣΜΟΥ Φυλάττῃ, *quoad prouidentia eundem ordinem ſeruet mundi; Eos profanas habuiſſe flammas* Aetnae; *ſiquidem ignis iſtius montis, vt reliqua naturae elementa, particeps diuinitatis ſit;* Εἴγε θείας τύχης, ὥσπερ τὰ λοιπὰ τῆς Φυσεως ΣΤΟΙΧΕΙΑ, καὶ τὸ κατὰ τὴν Αἴτνην πῦρ μεμοίραται. Habemus tria non minus verba, ΠΡΟΝΟΙΑ, ΣΤΟΙΧΕΙΑ, ΚΟΣΜΟΣ, nunquam in iſtam partem accepta veri tempore *Phalaridis.* Nam, in Plat. *Laertius* docet, auctore *Fauorino*, libr. VIII. Παντοδαπῆς Ἱςορίας, Platonem *primum, in philoſophia*, ςοιχεῖον, *elementum, dixiſſe, ac* προνοίαν *prouidentiam dei nominaſſe:* Πρῶτος ἐν ΦιλοσοΦίᾳ ὠνόμασε ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ καὶ Διαλεκτικὴν, καὶ θεȣ͂ ΠΡΟΝΟΙΑΝ. Vt πρόνοια ante *Platonis* tempus non ſonuerit prouidentiam diuinam, nec vox diuinitati fuerit aſſignata vnquam; ſed tantum valuerit prudentiam humanam. Ita ςοιχεῖον nihil aliud fuiſſe videtur, atque literarum elementum, donec primus *Plato* eo nomine appellauerit elementa corporum naturalium. Τὰ μὲν πρῶτα, inquit, in Sophiſta, *Plato*, οἱαπερεὶ ΣΤΟΙΧΕΙΑ, ἐξ ὧν ἡμεῖς τε συγκείμεθα καὶ τἄλλα, *Prima elementa quaſi, ex quibus et homines, et omnia conſtant.* et, in Timaeo, Τὸν δὲ τὸν κόσμον, ζῶον ἔμψυχον ἔννȣν τε, τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τȣ͂ θεȣ͂ γενέσθαι ΠΡΟΝΟΙΑΝ, *Mundum, quum ſit animal, mente praeditum, re vera factum dei prouidentia.* Ad quod, *Proclus*, in comment. in *Plat.* Tim. p. 126. Ὅτι δεῖ μεμνῆσθαι, inquit, καὶ ὧν ὁ χερονεὺς εἶπε περὶ τῆς Προνοίας ὀνόματος, ὡς Πλάτωνος ἔτω περὶ τὴν θειαν κελεύσαντος. Pro χερονεὺς ſcribendum eſt Χαιρωνεὺς, i. e. *Plutarchus*, *Chaeronenſis:* poſteriorem autem partem ſententiae ſic corrigas: ὡς Πλάτωνος ἔτω πρώτȣ θείαν καλέσαντος: *Cogitandum eſt, quod* Plutarchus *de nomine* Πρόνοια *dicit*, Platonem *primum fuiſſe, qui ſic diuinam prouidentiam vocaret.* Vix dubitandum eſt, quin vera ſit haec emendatio: quamquam nunc non recordor, ſcripſeritne hoc *Plutarchus* in aliquo libro eorum, qui nunc ſuperſunt. Quum igitur ex ſcriptoris tam grauis teſti-

monio appareat, quis primus in hunc locum transtulerit verba, *πρόνοια* et *ϛοιχεῖον;* iure statuimus, Epistolas esse commenticias, quoniam *Platonem* imitantur, tametsi fingantur scriptae integro ante *Platonem* saeculo.

Quum autem de nomine *πρόνοια* hic ago, praetermittere silentio nolo *Hieroclis*, Stoici, sententiam; quam, referente *A. Gellio*, IX, 5. *Taurus*, *Platonicus*, passim in ore habebat, quando mentio fiebat *Epicuri*: Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα· οὐκ ἔϛιν πορνεῖα, οὐδὲν πόρνης δόγμα· quod, cum manifesto vitio commaculatum sit, a *Pearsono*, excellentissimo viro, in Prolegom. ad *Hieroclem*, p. 14. hunc in modum emandatur: Ἡδονὴ τέλος· πόρνης δόγμα. οὐκ ἔϛι πρόνοια οὐδέν· πόρνης δόγμα. i. e. *Voluptas summum bonum: meretricis placitum. Providentia nihil est: meretricis placitum.* Iam, ad summam, vera emendatio est; nam ingeniose ab eo πορνεῖα et πρόνοια mutatum est, a quo tota pendet sententia. Sed duri aliquid inest in verbis, vt ea construxit vir excellentissimus, Οὐκ ἔϛι πρόνοια οὐδέν· nam auctor, si vsus fuisset οὐδέν, dixisset, Πρόνοια οὐδέν ἐϛι. Praeterquam quod responsio eadem, Πόρνης δόγμα, bis repetita, sententiam quodam modo eneruat, et prope indignam facit, qua toties vteretur *Taurus;* nec verum est, omnes meretrices negare prouidentiam diuinam. Non dubito, veram scripturam hanc esse: Ἡδονὴ τέλος· πόρνης δόγμα· Οὐκ ἔϛι πρόνοια· οὐδὲ πόρνης δόγμα. i. e. *Voluptas, finis: meretricis placitum. Non est prouidentia: ne quidem meretricis placitum.*

In loco, iam citato, ex *Epistolis*, erat ἁρμονία τοῦ ΚΟΣΜΟΥ, HARMONIA, *et ordinatio* MVNDI. Sed supra, p. 195. satis demonstratum est a me, quatuor aut quinque auctorum testimoniis, *Pythagoram* primum fuisse, qui vniuersum appellauerit Κόσμον· Ac, per fore paucos, opinor, qui, quum a me disputata, de aetatibus *Phalaridis* et *Pythagorae*, perpenderint, tyrannum discipulum fuisse philosophi, credant. Vox igitur ΚΟΣΜΟΣ indicio quoque est artificii sophistici; nec solum κόσμος, sed etiam ΑΡΜΟΝΙΑ: nam hoc quoque *Pythagoricum* verbum est; fuitque istius sectae placitum (*Laert.* in Pythag.) Καθ' ΑΡΜΟΝΙΑΝ συνεϛάναι τὰ ὅλα, *vniuersum consistere* HARMONIA, quae hic, a sophista subiecta verbo, notio est.

XVIII.

Orationem, *de Corona* habuit *Demosthenes*, *Aristophonte* magistratu, Olymp. CXII. 3. Nouimus hoc ex *Dionysio Halicarnassensi*, nobili critico: sed locus, vbi hoc tradit, (de

Demosth. p. 124.) eget emendatione: Ὁ περὶ τȣ̃ Στεφάνȣ λόγος, ἐπ' Ἀριςοφῶντος ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ὄκτω δὲ μετὰ τὴν Φιλίππȣ τελευτήν. In margine quarundam editionum in loco ἐνιαυτὸν est ἐνιαυτῷ: sed totus locus sic scribendus est: ἐπ' Ἀριςοφῶντος ἄρχοντος, ή. (i. e. ὀγδόῳ) μὲν ἐνιαυτῷ μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ἕκτῳ δὲ μετὰ τὴν Φιλίππȣ τελευτήν· i. e. *Oratio de Corona facta est*, Aristophonte *magistratu*, *octauo a pugna ad* Chaeroneam *anno*, *sexto a morte* Philippi. Numeros cum historia conuenire hic, e *Diodoro* et ipso *Dionysio*, in Vit. Dinarchi, apparet. In ista oratione recitauit orator epithaphium (de Corona, p. 187.) publica auctoritate factum, in eos, qui in bello contra *Philippum* ceciderant; cuius duo versus vltimi hi sunt:

Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐςὶ θεῶν, καὶ πάντα κατορθȣ̃ν·
Ἐν βιοτῇ μοῖραν δ' ἔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Nusquam offendere, atque omnes virtutum numeros implere, tantum deorum est. Haec epitaphii pars celebris valde facta est consequentibus saeculis, et saepius inculcata: ita *Themistius*, Orat. III. Ἐπεὶ δὲ τὸ μηδὲν ἁμαρτάνειν ἔξω τῆς φύσεως κεῖται ἀνθρωπίνης, κ. τ. λ. i. e. *Nusquam offendere supra humanam naturam est: nec enim tales esse, opinor, homines, quales Stoici describunt, et sapientes vocant; quodque in publico sepulcro* Athenis *inscriptum epigramma est, verius loqui videtur: nam, nusquam offendere, solum deorum facit*: Καὶ γὰρ τοῖς θεοῖς μόνοις τὸ πάντα κατορθȣ̃ν ἀπονέμει. Citatur etiam apud *Suidam*, V. Συγγνώμονα: Ὀρθῶς γὰρ εἴρηται τὸ μὲν μηδὲν ἁμαρτεῖν θεȣ̃ ἐςὶ καὶ πάντα κατορθȣ̃ν· ἄνθρωπος δὲ ἐκ ἂν εἴποι ἐπ' ἐδενὶ, ὅτι μὴ πείσεται τόδε τι: *Recte dicitur, nusquam offendere, et omnes virtutum numeros implere dei est Nec enim homo dixerit vnquam, hoc illudue sibi non euenturum.* Eo quoque respicere *Iustinianus* videtur, quum, Cod. lib. I. Tit. 17. leg. II. §. 14. *Omnium habere memoriam*, inquit, *et penitus in nullo peccare diuinitatis magis, quam mortalitatis, est; quod et a maioribus dictum est.* Sed, quod maxime omnium mirandum est, inducitur tyrannus cum ipsa hac sententia in ore, τὸ μηδὲν ἁμαρτάνειν εἰκότως ἴσως καὶ δικαίως θεȣ̃ νομίζεται, ep CXXIX. (LXXXII.) *Nusquam offendere, recte forte, et iure, dei esse censetur.* Tametsi *offensio* tyranni vltima, eaque fatalis ad eius interitum, CC. amplius annis fuit ante scriptum istud epitaphium.

XIX.

Nemo temere inuenitur vnquam tam liberalis et profusus, quam sophista: vbi vix decem solidos impendit alius, ille dat

quinque sexue millia librum sterlingum. Primum munus, quo scriptor Epistolarum *Euripidis* donat poetam, quadraginta (*Eurip.* ep. V.) non minus talentum fuit, quae summa est septem millium ducentum librum *Anglicarum*. Sed maior longe ficti nostri *Phalaridis* liberalitas est; donat enim *Polycletum*, medicum, qui periculoso conflictantem morbo curauerat, *quatuor phialis ex auro purissimo, crateribus argenteis duobus antiqui operis, decem paribus poculorum* Thericleorum, *viginti pueris intactis, et quinquaginta M. drachmum* Atticarum, *praeter salarium annuum, quantum ducibus ordinum et nauium praefectis dari soleat.* Credi hoc poterit facile, si cogitabimus, eum, qui expendat, sophistam esse: nam, vt, in scena, debita soluere lupinis solent actores, sic verbis sophista. Sed, si verum *Phalarin*, verumque medicum istius aetatis, consideramus; totum, quodcunque est, a ratione abhorret, tam respectu dantis, quam accipientis.

Primum a conditione istorum temporum alienum illud est, tyrannum tantam copiam auri habuisse, vt *quatuor phialas ex isto metallo daret:* quod forte supra, quam omnino possedit. Traditum accepimus, istis temporibus *auri magnam penuriam fuisse in* Graecia: Σπάνιος ὄντως τὸ παλαιὸν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὁ χρυσὸς καὶ πάνυ, verba sunt *Athenaei*, p. 231; qui addit, primum aurum apparuisse apud *Graecos*, quum a *Phocensibus* compilaretur templum *Delphicum*, quod accidit Olymp. CVI. 3. post autem, ab *Alexandro* deuicta *Asia*, abundantia sua plane enituisse. Sed, tempore *Phalaridis*, vix vllum aurum reperiebatur in tota *Graecia*, vt apparet ex hoc: (*Athen.* p. 232.) *Lacedaemonii*, quum, oraculo moniti, faciem vellent inaurare *Apollinis*, nec aurum in *Graecia* reperiretur, legatos miserunt, consultum oraculum, a quo istud emerent; responsumque est, ad *Croesum Lydiae* regem proficiscerentur, ab eoque mercarentur, quod etiam factum. Narrat hoc *Athenaeus*, duos antiquissimos et fide dignissimos historicos, *Theopompum*, *Isocratis* discipulum, et *Phaniam*, discipulum *Aristotelis*, secutus. Atqui, *Croesum*, nouimus, iisdem, quibus *Phalarin*, temporibus vixisse; vt tempore tyranni tantum auri non esset in *Graecia* (si ab eo discedas, quod in templis erat consecratum), quantum sufficeret ad faciem statuae inaurandam: tamen plus largitur tyrannus, in vnica epistola, quam quo inaurari tota statua, a capite ad calcem, potuisset. Quin etiam, quando templum *Delphicum* spoliabatur, aut post, tanta auri penuria in *Graecia* erat, vt (*Athen.* p. 155. et 231. *Plin.* XXXIII. 3. *Eustath.* Il. p. 815.) *Macedonum* rex, cum Φιάλιον χρυσοῦν, paruam phialam auream, haberet, quinquaginta

drachmam non amplius pondo, seu selibrae, tam sollicite eam seruaret, vt, quum dormitum iret, puluino subderet. *Siculum* tamen principem, videmus, adeo abundasse eo, ducentis ante annis, vt suppeteret ipsi, ad quatuor aureas phialas, φιάλας τέσσαρας, eiusdem formae, ampliores tamen omnes, in donum amico. Sed opponent fortasse *Phalaridis* admiratores, potuisse *Siciliam* auro abundare, licet alibi, in *Graecia*, eius penuria esset. Sed obstat aliud factum. Nam iidem, *Theopompus* et *Phanias*, porro narrant; (*Athen.* p. 232.) *Hieronem Syracusiorum* regem, qui LXX. amplius annis post vltima *Phalaridis* tempora regnare coepit, quum *tripodem* et *victoriam* ex auro puro, ἀπέφθου χρυσοῦ, consecrare *Apollini Delphico* vellet, diu frustra aurum in *Sicilia* quaesiuisse; propterea in *Graeciam* misisse legatos; quos vix tandem *Corinthi*, apud *Architelem*, inuenisse, qui, longo tempore paullatim coëmendo, non paruos eius thesauros haberet. Sed est, quod mirere, *Hieronem* debuisse extra *Siciliam* mittere, qui aurum conquirerent, *Phalarin* autem tam longe ante eius tempus, medicum etiam suum donasse vasis aureis, ἀπέφθου χρυσοῦ, eiusdem puritatis, ac desiderabat *Hiero.* Testantur quidem iidem auctores (*Athen.* p. 231.), anno vno alteroue ante *Hieronis* regnum, eius fratrem, *Gelonem*, *tripodem* et *victoriam* consecrasse *Apollini.* Sed de *Gelonis* dono iam supra p. 258. dictum: vnde apparet, aurum, quod haberet tum *Gelo*, fuisse ex praeda *Carthaginiensium*; vt tempore *Phalaridis* id in *Sicilia* non fuerit: nec diu ibi mansit. Nam a *Charthaginiensibus* id allatum, est Olymp. LXXV. 1. et ante, quam *Hiero* regnare desineret, Olymp. LXXVIII. 2. nullum amplius ibi inueniri potuit.

Dein, si eum cogitabimus, qui munus hoc amplum accepit, *Polycletum*, medicum; praemium maius videbitur, quam pro conditione hominis. Mos fuit, antiquis istis temporibus, medicos conducendi toti ciuitati, iisque pensionem annuam soluendi ex aerario publico (*Strab.* p. 181. *Aristoph.* et schol. p. 301.): imo (*Diodor.* p. 80.) legislatores fuerunt, qui earum rerum rationem legibus definirent. Quantum solueretur vulgo in annum, discas ex *Herodoto*, III p. 131. qui, *Democedem*, narrat, *Crotoniatem*, qui omnes, sua aetate (i. e. paucis post *Phalaridis* mortem annis), medicos nobilitate artis antecelleret, ab *Aeginetis* conductum fuisse talento; proximo autem anno, centum minis, ab *Atheniensibus;* anno denique consequente, a *Polycrate*, *Samio*, duobus talentis. Quae autem conuenientia hoc inter et amplissimum donum *Siculi principis?* vbi, praeter vasa aurea et argentea, praeter viginti pueros,

praeter pensionem annuam, quanta soluerctur praefecto classis, ipsa, quae repraesentatur, summa quinquaginta millium drachmum *Atticarum* talentis VIII. maior est; plus adeo, quam toto quadriennio accipiebat *Democedes*: tametsi diuitiis et potentia *Phalarin* tantum antecellebat *Polycrates*, quantum obscurum hunc *Polycletum* antecelluisse arte sua, fingi *Democedes* potest. Quod si componamus medicos eos, qui non publice conducebantur, sed priuatim, vt nunc fieri solet, medicinam faciebant; maius etiam discrimen apparebit. Quae enim vulgo dabatur medico, merces, istis temporibus et post, valde parua erat; vt apparet ex notissimis *Cratetis*, philosophi, versibus, vbi hominis, ista aetate diuitis, tabulas repraesentet (*Laert.* in Cratete):

Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν,
Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ καπνόν,
Πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

i. e. *Scribe coquo* XXX. *libras sterlingum*, *medico bessem*, *assentatori nongentas libras sterlingum*, *consiliario fumum*, *meretrici centum octoginta libras*, *philosopho trientem*. Verum quidem est, eundem *Democedem*, cum postca, in *Persia*, *Darii* pedem curaret, magna auri copia donatum fuisse ab vxoribus regis: sed diuitias aulae *Persicae* cum illis *Agrigentinae* componere, id re vera est, quod falsus *Phalaris* dicit, *elephantem* Indicum *cum culice comparare*.

XX.

Tatianus, in oratione, *aduersus Gentes*, init. quosdam enumerat rerum inuentores; et inter alia, auctore *Hellanico* historico, tradit, Atossam, Persarum *reginam*, *primam epistolas scripsisse*: Ἐπιςολὰς συντάσσειν ἐξεῦρεν ἡ Περσῶν ποτε ἡγησαμένη γυνή, καθάπερ φησὶν Ἑλλάνικος, Ἄτοσσα δὲ ὄνομα αὐτῇ ἦ. Idem, eodem auctore, tradit *Clemens Alexandrinus*, Strom. I. p. 132. Πρώτην Ἐπιςολὰς συντάξαι Ἄτοσσαν, τὴν Περσῶν βασιλεύσασαν φησιν Ἑλλάνικος. Atqui, vna alteraue aetate *Phalaride* posteriorem fuisse *Atossam*, non vno modo apparet. Erat (*Herod.*) soror et vxor *Cambysis*, qui regnare coepit Olymp. LXII. 4. Postea *Dario* (*Herod.*) matrimonio iungebatur, ac viuebat, cum is moriebatur, Olymp. LXXIII. 4. Imo adhuc superstes erat, quando ab expeditione in *Graeciam* redibat *Xerxes*, Olymp. LXXV. 1. vt apparet ex Persis *Aeschyli*. Quo genere mortis interierit illa, narratur ab *Aspasio*, ad *Aristot.* Ethic. p. 124. Xerxem, *in furorum actum*, *matrem suam mactasse et comedisse*: Ξέρξης, ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς μανεὶς ἔφαγε τὴν ἑαυτῦ μητέρα κρεουργήσας. Fac autem, hoc fa-

ctum esse eodem, quo rediret ille, anno; fuerit tamen LXX. annos *Phaloridi* superstes *Atossa;* tametsi, vixisse illum, fingamus, in Olymp. LVII. 3. Atque, ex testimonio *Hippostroti*, et scholiastae in *Pindar.* (vid. supr. p. 15, 16.) duabus aetatibus *Phalaride* posterior fuit haec:

Phalaris.	1. *Telemachus.*	
	2. *Emmenides.*	
	3. *Aenesidamus.*	1. *Atossa.*
Regnauit	4. *Theron.*	2. *Xerxes.* Regnauit
Olymp. LXXIII. 1.		Olymp. LXXIII. 4.

Patet igitur, si prima Epistolarum inuentrix fuerit *Atossa*, has *Pholaridis*, qui tanto tempore illam antecessit, non posse non esse commenticias. Re vera autem illam inuenisse Epistolarum scribendarum rationem, per quam idoneo auctore, nouimus. Vixit enim iisdem, quibus *Atosso*, temporibus *Hellanicus*, (*Gellius*, XV. 23.) cum annos haberet LXV. initio belli *Peloponnesiaci*. Vt natus sit Olymp. LXXI. 2. annumque aetatis egerit decimum sextum, tempore expeditionis *Xerxis*. Sed, praeter *Hellanici* testimonium, narrat *Clemens*, libro supra citato, se ista, de variis rerum inuentoribus, sumsisse a *Scamone*, *Theophrosto*, *Cydippo*, *Aristophane*, *Aristodemo*, *Aristotele*, *Philostephono*, *Strotone*, e libris eorum, de rerum inuentoribus, Περὶ Εὑρημάτων. Vt, aut omnes, aut quosdam saltem eorum, censendum sit, commemorasse istam *Atossae* inuentionem. Et, vt opinor, duplici hoc contra *Phalarin* argumento est; cum *Atossam* inuenisse primum Epistolas, tum Epistolas *Pholaridis* istorum temporibus scriptorum haud auditas fuisse.

Dicunt *Tatianus* et *Clemens* Ἐπιστολὰς συντάσσειν: siue autem generatim pro *scribere* accipis συντάσσειν, siue pro *comprehendere volumine, et edere*, vtrumuis sufficit ad demonstrandum, *Pholoridis* Epistolas falsas esse. Sed opposuerit aliquis, *Epistolas* in vsu fuisse aliquot saeculis ante *Pholarin*, imo ipsa tempora *Troiana;* quemadmodum apparet ex *Apollodoro*, p. 81. *Zenobio*, p. 50. aliis; qui tradunt, *Bellerophontem* Ἐπιστολὰς, *Epistolas*, a *Paeto* ad *Iobotem* pertulisse: quomodo ergo *Atossa* dici inuentrix Epistolarum potest? Sed cogitandum est, auctores istos non proprie ibi, sed conuenienter moribus suorum temporum, loqui. Nam *Homerus*, a quo omnes acceperunt, non *Epistolam* sed Πίνακα πτυκτὸν dicit, Il. Z. 169.

Πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ,
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Est autem πίναξ πτυκτὸς idem, quod δέλτος, et Latinum *tabellae, pugillares, codicilli;* folia arborum, cera illita, in

quibus ſcribebatur ſtilo. Ita locum hunc *Homeri* interpretatur *Plinius*, XIII. 2 *Pugillarium vſum fuiſſe etiam ante tempora Troiana, inuenimus apud Homerum.* Et nominatim dicit, ibid. c. 13. quae *Bellerophontes* perferret, non *Epiſtolas* ſed *codicillos* fuiſſe: *Homerus, Bellerophonti codicillos datos, non Epiſtolas, prodidit.* Planum autem eſt, hos *codicillos* neutiquam potuiſſe in volumen redigi Epiſtolarum, vt erant *Phalaridis;* nam inſeruiebant tantum vnicae epiſtolae ſcribendae, qua perlecta et eraſa, ceraque denuo liquefacta, codicilli remittebantur cum reſponſione in eadem cera, in qua ſcripta prior epiſtola fuerat. Lepidum eſt, quod narrat *Plinius*, quum poſtrema haec ſcribit: Licinium Mucianum *prodidiſſe, cum praeſideret* Lyciae, *legiſſe ſe* Sarpedonis, Troiae *ſcriptam, in quodam templo, epiſtolae chartam.* Quod ſi verum eſt, vehementer errant *Hellanicus*, quique eum ſequuntur, quum *Atoſſam* inuentricem faciunt Epiſtolarum, tot ſaeculis poſt. *Sed miror*, inquit, *hanc Sarpedonis ſcriptam epiſtolae chartam: ſiquidem etiamnum* Homero *condente, tanto a* Sarpedone *tempore, ea pars* Aegypti, *in qua ſola naſcitur charta, nonniſi mare fuit, poſtea adaggerata* Nilo. *Aut ſi* Sarpedonis *tempore charta in vſu erat, cur* Homerus *dixit, in ipſa illa* Lycia Bellerophonti *codicillos datos, non epiſtolas?* Sic diligentiſſimus ille naturae inueſtigator refutauit fictam *Sarpedonis* epiſtolam; tametſi in eius argumentatione quaedam fallacia ineſt: nec enim *Bellerophonti* in *Lycia* data epiſtola; Sed *Argis* in *Peloponneſo*, vt in *Lyciam* perferretur. Verumtamen ſine inutili iſta fallacia etiam ſatis refutauit *Mucianum*; qui, magnae prouinciae praeſes licet fuerit, magnique dux exercitus, ac ter conſul ſub *Claudio* et *Veſpaſiano*, tum etiam vir doctus et diligens, mirum in modum deceptus eſt ficta *Sarpedonis* epiſtola; notabili exemplo, non tantum non titulo *Honorati*, ſed ne ampliſſimis quidem honoribus longiſſimoque rerum vſu effici poſſe, vt ſemper a fraudibus et dolis tutus ſis.

EPISTOLA
AD CLAR. V.
IOANNEM MILLIVM.

S. T. P.

Memini equidem, Milli doctiſſime, cum abhinc dies compluſculos deambularemus vna, ſtrenueque de literulis noſtris ſermones caederemus; ibi forte fortuna de Ioanne Antiochenſi mentionem fuiſſe iniectam: cumque me deſiderium cepiſſet librum adhuc muſteum videndi, priusquam in lucem publicam, te curante, exiret; ea me lege id abs te impetrauiſſe, vt ſi qua in tam deprauato ſcriptore emendationem noſtram accipere poſſent, ea in ſchedulas coniecta ad te mitterem. Duram profecto conditionem, quamque adeo multis de cauſis nollem acceptam. Nam vt omittam, quod ex illo fere tempore a meliori librorum et chartularum mearum parte, et (quod acerbius mihi accidit) a iucundiſſima tua conſuetudine longe diſiunctus ſim; quodque ſemel duntaxat Malelam properans percurrerim, nec vt ſecundas, quas ſapientiores eſſe aiunt, curas et cogitationes adhiberem, vllo adhuc pacto potuerim animum inducere: vt illa, inquam, atque alia praeteream; pudet hercle, vt verum fatear, pigetque bonas horas, quae haud paulo melius collocare poſſent, in tam ingrato, et ignobili labore conſumere. Sed quid faciam? data eſt fides: promiſſa flagitantur. Video, quod mihi egomet intriui, exedendum eſſe. Liceat modo ſi quando in hac ἀναγκοφαγίᾳ faſtidium mihi ſuborietur, aliunde petere quod fluentem nauſeam coerceat. Dabitur itaque poteſtas et venia euagandi identidem longiuscule; dummodo ne plane ἔξω τῶν ἐλαιῶν, neque leuibus de cauſis. Hoc autem ſcias velim in primis; non mihi conſilium eſſe de Ioanne iſto qui cuiaſue fuerit, quando vixerit, aut a quibus laudatus ſit, omnino verbum facere: cum diu ſit quod omnem iſtam controuerſiam ſuſcepit amiciſſimus noſter Hodius. Quippe aliud eſt, inquam, Scriptionis huius inſtitutum: quae vereor equidem vt ſatis ex voto et feliciter mihi vertat. Ita ſane praeſagit animus, ita in ipſo limine conſpicio, quod etiam fortiſſimo terrorem incutiat. Siquidem recte narrat Malelas pag. 90. edixiſſe nimirum atque interminatum eſſe Orphea, ne quisquam mortalium palam fecerit τὰ Ερικεπεῶ. ᾧ, ait, ὄνομα ὁ αὐτὸς Ορφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας ἐξεῖπε,

Μήτινα Φάναι τὰ Ερικεπεῶ, ὅσπερ ἑρμηνεύεται τῇ κοινῇ γλώσσῃ, Βελὴ, Φῶς, Ζωοδοτὴρ. Ego vero cum haud sim nescius, quam acerbos olim vindices deos hominesque habuerit, qui μυστήρια ἐξορχήσασθαι, et Eleusinae Matris occulta proferre ausus sit; qui sciam, an non ipse similem in me noxam admittam, si Mysterium hoc Orphicum sacro hactenus silentio celatum euulgauero? Neque adeo clam me est, o Milli suauissime, quam audax impulsu tuo in me meosque facinus consciscam:

Sed tua me virtus tamen, et sperata voluptas
Suauis amicitiae quoduis discrimen adire
Suadet, et inducit dias in luminis oras

horribile illud arcanum protrahere. Bono vero animo eris, capitique et aetati meae parces metuere; vbi μορμολυκείῳ isto detracto, putidisque illis μήτινα Φάναι τὰ Ερικεπεῶ in malam rem ablegatis aliquo, veterem illuc et veram lectionem quasi postliminio reduxero. Ea haec est: Οὗ (θεοῦ) ὄνομα ὁ αὐτὸς Ορφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας ἐξεῖπε Μῆτιν, Φάνητα, Ηρικεπαῖον. Orpheus, ait, per oraculum edoctus est Dei nomina Μῆτιν esse et Φάνητα et Ηρικεπαῖον, quae communi sermone interpretata hanc habent vim et sententiam, βουλὴ, Φῶς, Ζωοδοτὴρ.

Porro hisce nominibus Deum Orphicum vocari non desunt mihi locupletes certissimique sane auctores. Damascius περὶ τῶν πρώτων ἀρχῶν MS. in Bibliotheca Coll. Corporis Christi Oxonii p. 155. Ἐν μὲν τοίνυν ταῖς Φερομέναις ταύταις ῥαψωδίαις Ορφικαῖς ἡ θεολογία δή τις ἐστιν ἡ περὶ τὸν νοητὸν (διάκοσμον) ἣν καὶ οἱ Φιλόσοφοι διερμηνεύουσιν, ἀντὶ μὲν τῆς μιᾶς ἀρχῆς τὸν χρόνον τίθεντες, ἀντὶ γὰρ ταῖν δυοῖν Αἰθέρα καὶ χάος, ἀντὶ δὲ τοῦ ὄντος ἁπλῶς τὸ Ωὸν ἀπολογιζόμενοι καὶ τριάδα ταύτην πρώτην ποιοῦντες· εἰς γὰρ τὴν δευτέραν τελεῖν ἤτοι τὸ κυούμενον καὶ τὸ κύον Ωὸν τὸν θεὸν, ἢ τὸν ἀργῆτα χιτῶνα ἢ τὴν ΝεΦέλην, ὅτι ἐκ τούτων ἐκθρώσκει ὁ ΦΑΝΗΣ. ἄλλοτε γὰρ ἄλλα περὶ τοῦ μέσου ΦιλοσοΦοῦσι, τοῦτο μὲν ὁποῖον ἂν ᾖ ὡς τὸν νοῦν, ὡς γὰρ πατέρα καὶ δύναμιν ἄλλα τινὰ προσεπινοοῦντες οὐδὲν τῷ ΟρΦεῖ προσήκοντα· τὴν δὲ τρίτην τὸν ΜΗΤΙΝ τὸν ΗΡΙΚΕΠΑΙΟΝ ὡς δύναμιν, τὸν ΦΑΝΗΤΑ αὐτὸν ὡς πατέρα. Idem ibidem p. 106. ὅθεν πηγὴν μὲν πηγῶν αὐτὸ (τὸ Ἓν) Χαλδαίων παῖδες ἀνευΦημοῦσιν. ΟρΦεὺς, γὰρ μικτῇ σπέρμα Φέροντα θεῶν, Φοίνικες δὲ αἰῶνα κοσμικὸν, ὡς πάντα ἐν ἑαυτῷ συνηρηκότα. Locus corruptus. Lego: ΟρΦεὺς γὰρ ΜΗΤΙΝ σπέρμα Φέροντα θεῶν — Et pag. 125. Οὐχὶ γὰρ καὶ ΟρΦεὺς ἀπὸ τοῦ Ωοῦ παράγει. καὶ τῆς ΝεΦέλης ῥαγείσης (hac modo occasione co

gita, an in loco superiore pro ἀργῆτα reponi placeat τὸν ἐκχέντα χιτῶνα ἢ νεφέλην) τὸν πολυτίμητον Φάνητα, πρόοδον· καὶ ἐκεῖνος ἐν τῷ νῷ ὑποστησάμενος, ἢ ῥητέον πρὸς ταῦτα, et quae sequuntur. Lege et distingue: τὸν πολυτίμητον ΦΑΝΗΤΑ, πρόοδον καὶ ἐκεῖνος etc. Et praeterea p. 124.

Ενθεν ἀποθρώσκει γένεσις πολυπιδάκου ὕλης, καὶ ὅσα τοιαῦτα περὶ τῆς τάξεως ἐκείνης οἱ Θεοὶ χρησμῳδοῦσιν· ἀλλὰ καὶ Ορφεὺς τὸν πολυτίμητον τοῦτον θεὸν ἀνευφήσαιμι τὸν σπέρμα φέροντα θεῶν κ' αὐτὸν ἠρικεπαῖον, καὶ ἐξ αὐτοῦ ποιεῖ προϊοῦσαν ἅπασαν τὴν τῶν θεῶν γενεάν. Enim vero non leuiter mendis aspersa est haec ῥῆσις, quam ita constitues: καὶ Ορφεὺς τὸν πολυτίμητον τοῦτον θεὸν ἀνεφημεῖ·

ΜΗΤΙΝ σπέρμα φέροντα θεῶν κλυτὸν ΗΡΙΚΕΠΑΙΟΝ.

Pagina denique 164. τοῖον ἀπέστιλβε χρόνος ἀθανάτοιο ΦΑΝΗΤΟΣ, vbi legendum χροός, vt quidem extat apud Proclum.

Θαύμαζον καθορῶντες ἐν αἰθέρι φέγγος ἄελπτον
Τοῖον ἀπέστιλβε χροὸς ἀθανάτοιο Φάνητος.

Idem Proclus in Parmenidem MS. haec habet: ὁ μὲν γὰρ Ορφεὺς μετὰ τὴν κατάποσιν τοῦ ΦΑΝΗΤΟΣ ἐν τῷ Διῒ τὰ πάντα γεγονέναι φησίν. ἐπειδὴ πρότερον μὲν καὶ ἡνωμένως ἐν ἐκείνῳ, δευτέρως δὲ καὶ διακεκριμένως ἐν τῷ δημιουργῷ τὰ πάντα ἀνεφάνη τὰ τῶν ἐγκοσμημάτων αἴτια. et in Alcibiadem priorem MS. sic scribit: Καί μοι δοκεῖ καὶ ὁ Πλάτων εὑρὼν παρ' Ορφεῖ τὸν αὐτὸν τοῦτον καὶ Ερωτα καὶ Δαίμονα μέγαν ἀποκαλούμενον, ἀγαπ[illegible]αι καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ Ερωτος τὸν τοιοῦτον ὕμνον· περὶ μὲν γὰρ νοητοῦ νοῦ λέγων ὁ Θεολόγος

Ἁβρος Ερως καὶ ΜΗΤΙΣ ἀτάσθαλος —

Καὶ πάλιν·

Οἷσιν ἐπεμβεβαὼς Δαίμων μέγας αἰὲν ἐπ' ἴχνη
περὶ δὲ τοῦ νοεροῦ νοῦ καὶ ἀμεθέκτου,
Καὶ ΜΗΤΙΣ πρῶτος γενέτωρ καὶ Ερως πολυτερπής·
καὶ πάλιν.
Εν κράτος, εἷς Δαίμων γένετο μέγας, ἀρχὸς ἁπάντων.

Multa prudens et sciens praetereo, quae ex Athenagora, Macrobio, Orphicis hymnis, tum autem praecipue e Proclo in Platonis Timaeum adferre possem: ne forte qui me minus norunt, Pauli Leopardi scrinia me compilare existiment. Inde petere possunt, vel a Theodoro Cantero, qui plura de his rebus scire desiderent. Nam quid ego censeam de illorum sententia, qui significationem mendosi verbi Ερικεπεὼ ex anilibus Cabbalistarum nugis conantur exsculpere? Sed nolo aliquid inclementer dicere. Non nostrum est κειμένοις ἐπεμβαίνειν. Veniam etiam libenter dedero, si minus ea perspexerint, quae a multis saeculis homines latuerunt, caligine et

tenebris circumfusa. Nam vt concedam haec, quomodo a me emendata sunt; ita a Ioanne fuisse concepta, quod equidem haud facile crediderim: Suidae tamen et Cedreni temporibus deprauatum hunc esse Malelae locum illud argumento est, quod hi interpretamenta duntaxat ex nostro afferant, de verbis Orphei ἄδε γρῦ. Illud autem mihi videor satis certo scire, non Te expectare, vt vim verbi Ηρικεπαῖος et naturam explicem: Tune vt ineptas plerumque et cassas Etymologias consectari me velis? Dabitur iusiurandum, ne ab Orpheo quidem ipso hoc fieri potuisse, Scire potius aueo, vnde illa vulgaria, Διόνυσος, ΗΦαιςος, Ποσειδῶν. Διόνυσος, ait Orpheus apud Macrobium, ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι originem ducit:

Πρῶτος δ' εἰς Φάος ἦλθε, Διώνυσος δ' ἐπεκλήθη,
Οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον.

Ride, et ad hoc exemplum crede alia fuisse dicturum. Nec quidem de significatione τοῦ Ηρικεπαίου belle conuenit scriptoribus. Secundum Malelam, Suidam, et Cedrenum est Ζωοδοτήρ. Nosti hos tres, quam ad vnum redeant denique. At Nonno in συναγωγῇ ἱσοριῶν, Phanes est Ζωοδοτήρ. Ericepaeus aliam vim habet nescio quam. λέγουσι δὲ αὐτὸν τὸν Φάνητα ἔΦορον εἶναι τὸν Ζωογόνου δυνάμεως, ὁμοίως καὶ τὸν Ηρικεπαῖον λέγουσι ἑτέρας ἔΦορον εἶναι δυνάμεως. Quamobrem, si sapiam, non operam perdam in Etymologia hac inquirenda: magis ex vsu fuerit, in quibus primum institi vestigiis pergere; et si qua restent Orphica apud Malelam, quae correctione opus habeant, pro virili restituere. Sic igitur refingo locum quem habes p. 89.

Ω ἄνα, λητοῦς υἱ' ἑκατηβόλε Φοῖβε κραταιὲ,
Πανδερκὲς, θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων,
Ηέλιε, χρυσέαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσιν,
Δωδεκάτην, δὴ τήνδε παρὰ σεο ἔκλυον ὀμΦὴν
Σεῦ Φαμένου, σὲ δὲ γ' αὐτὸν, ἑκηβόλε, μάρτυρα θείην.

Tertio autem versui simillimus et maxime geminus eiusdem scriptoris est alius in Hymno ad Protogonum:

Πρωτογόνον καλέω διΦυῆ μέγαν αἰθερόπλαγκτον,
Ωογενῆ, χρυσέαισιν ἀγαλλόμενον πτερύγεσσιν.

Ad vir bonus Ioannes, atque item Cedrenus, ne in librarios culpam hanc transferas, τὴν πτέρυγα arbitrabantur esse generis virilis. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!

Multo vero grauius affectus est locus p. 92. ita poëtae verba non modo cum interpretamentis Malelae confusa sunt atque commixta; sed et insuper mendis obsita et cooperta. Illa quidem certe μὴ διὰ μηδὲν veritus est Cedrenus describere, quippe quae nullo prorsus modo intellexerit. At memini vidisse

Excerpta quaedam manu Patricii Iunii ex Chronico quodam penes Cl. Seldenum manuſcripto: vbi inter alia eiusdem farinae haec Orphica habebantur, corrupta ea quidem et mutila: nihilominus in quibus extarent veſtigia verae lectionis: Siquidem ibi ſcriptum erat *μη διὰ μὰ μηδὲν*. Proinde de hoc loco mihi nulla dubitatio eſt, quin in verſiculos reponi debeat ad hoc exemplum:

> Θῆρές τ' οἰωνοί τε βροτῶν τ' ἀλιτήρια φῦλα
> Ἄχθεα γῆς, εἴδωλα τετυγμένα, μηδαμὰ μηδὲν
> Εἰδότες, οὔτε κακοῖο προσερχομένοιο νοῆσαι
> Φράδμονες, οὔτ' ἄποθεν μάλ' ἀποστρέψαι κακότητος
> Οὔτ' ἀγαθοῦ παρεόντος ἐπιστρέψαι τε καὶ ἔρξαι
> Ἴδριες, ἀλλὰ μάτην ἀδαήμονες, ἀπρονόητοι.

Ad hunc Orphicorum numerum non dubito adſcribere quae extant pag 30. etſi ea Mercurio Triſmegiſto attribuant Malelas, Suidas, Cedrenus, Auctor Chronici Paſchalis, et de quo poſtmodum plura MS. Barroccianus. Scilicet ab auctoribus multo plus idoneis, S. Iuſtino in Paraenetica ad Graecos, et S. Cyrillo aduerſus Iulianum ad Orphea *ἐν τοῖς ὅρκοις* referuntur: vbi etiam veram huius Λέξεως ſcripturam offendes. Malelas enim cum ſuo grege antiquam adeo hic conſuetudinem obtinent, vt nihil ſentiant. Proxime autem ad Ioannis verba accedes, ſi ita legeris:

> Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
> Ὁρκίζω σ' αὐδὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρῶτον,
> Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑῇ στηρίξατο βουλῇ.

Ficta illa et commentitia oracula quae habes p. 42. 79. et 172. adeo miſere ac foede accepta ſunt, ita verba poëtica in quotidianum ſermonem immutata, vt vix inuenias diſiecti membra poetae. Quamobrem in iis recolligendis redintegrandisque fruſtra operam conterere non libet; praeſertim cum Ioannes ipſe ſatis apperte fateatur, ſe quae *διὰ στίχων* ſcripta fuerant, *εἰς τὴν κοινὴν διάλεκτον* immutaſſe. Verum, vt beem aliquos iam optabili nuncio, eſt liber Oxonii annos abhinc puto DC. calamo exaratus; in quo non pauca extant Oracula Malelanis his germaniſſima: quae ſi omnia hic in lucem proferam, quando bella occaſio eſt, ſane (quod in Graecorum prouerbio eſt) patella videatur operculum inueniſſe. Spero etiam me gratiae aliquantulum initurum ab hominibus illis perelegantis iudicii; qui Oracula quae vulgo feruntur Sibyllina tanquam ab anu fatidica Noachi filia fuſa venerantur. Adeſte igitur Overe *σιβυλλιῶντες*, lotisque manibus ſacra haec tangite.

Χρησμοὶ καὶ Θεολογίαι Ἑλλήνων Φιλοσόφων.

I.

Ερμȣ̃ μεγίςȣ περὶ Παντοκράτορος,

Ακοιμήτου πυρὸς ὄμματι γρήγορε, δρόμον αἰθέρος ζωογονῶν ἡλίου θέρμην κρατύνων, λαίλαπι μεθιςῶν νέφη, τοὔνομα μὴ χωρῶν ἐν κόσμῳ, ἄφθιτον ἀέναον πανεπίσκοπον ὄμμα. πατέρα τῶν ὅλων θεὸν ὄντα μόνον, ἀπ᾽ οὐδενὸς ἔχοντα ἀρχὴν ἔγνωκα. ἕνα μετά σε ὄντα μόνον ἐκ σοῦ γεραίρω υἱὸν, ὃν ῥώμῃ ἀποῤῥήτῳ καὶ ὀξυτέρᾳ φωνῇ ἴδιον εὐθὺς ἀφθόνως καὶ ἀπαθῶς ἀπογενήτως λόγον ἐγέννησεν (lege ἐγέννησας) θεὸν ὄντα, τὴν οὐσίαν ἐκ τῆς οὐσίας, ὅς σου τοῦ πατρὸς τὴν εἰκόνα καὶ (leg. κατὰ) πᾶν ὁμοίαν φέρει, ὥςε ἐκεῖνος ἐν σοὶ, σὺ δὲ ἐν ἐκείνῳ, κάλλος ἔσοπτρον· ἀλληλεύφραντον πρόσωπον. (leg. ἀλληλευφράντων προσώπων.)

II.

Τȣ̃ αὐτȣ̃ περὶ Τριάδος,

Ην φῶς νοερὸν ἐκ φωτὸς, vt apud Malelam habentur p. 29.

III.

Τȣ̃ αὐτȣ̃ Προσευχή.

Ορκίζω σε, Ουρανὲ, θεοῦ μεγάλου etc. Vide Mal. p. 30.

IV.

Αριςοτέλȣς.

Ακάματος φύσις θεοῦ, γενέσεως οὐκ ἔχουσα ἀρχὴν, ἐξ αὐτῆς δ᾽ ὁ πανσθενὴς οὐσίωται λόγος.

V.

Σόλωνος Αθηναίȣ.

Οὐκ ἐφικτόν μοί ἐςὶ ταῦτα πρὸς ἀμυήτους εἰπεῖν, οὔτε δὲ φανερῶς παραθέσθαι· πλὴν τοῦ νοεῖν ἀκούεται (leg. τῷ νοεῖν ἀκούετε) ὅτι οὗτός ἐςιν ὁ κατ᾽ οὐρανὸν μεγάλου φλογὸς ὑπερβάλλων, ὃν τρέμουσιν οὐρανοὶ γαῖά τε καὶ θάλαττα, αὐτοπάτωρ, ἀπάτωρ, τρισόλβιος. Confer haec cum Malelanis p. 79.

VI.

Θȣκυδίδȣ.

Το ἓν τρία καὶ τὰ τρία ἓν, ἄσαρκον προσωπικόν, γῆ τέτοκε τὸν οὐρανοῦ γενήτορα.

VII.

Χίλωνος.

Γόνος ἐκ γόνου κατελθὼν γόνιμον ὕδωρ ἐποίησε. τὸ ὑπέρτατον τῶν ὅλων αἴτιον ἐπινοεῖται οὐ Φωτὶ καὶ πνεύματι, ἀλλ᾽ ὡς πάντων θεὸς καὶ κύριος καὶ πατήρ.

VIII.

Πλουτάρχου.

Ο παλαιὸς νέος, καὶ ὁ νέος ἀρχαῖος, ὁ πατὴρ γονος, ὁ γόνος πατήρ.

IX.

Αντιόχου Κολοφῶνος περὶ Τριάδος.

Ην νοῦς εἷς πάντων νοερώτερος εἰ δὲ γε ἔστιν
Τοῦ ἄπο παγγενέτης νοερὸς λόγος ἄφθιτος αἰεὶ
Ὑιὸς ἀπαυγασμὸς νοεροῦ πατρὸς, εἷς ἅμα πατρὶ,
Εν μὲν ἐπωνυμίῃ· εἰ δέ γε ἔστιν ὡς ἀπὸ πατρὸς
Εἷς δὲ πέλων σὺν πατρὶ καὶ ἐξ ἑνὸς εἷς, μία τάξις
Πατρὸς . . . . . . ὁμοιούσιος ἄφθιτος αἰεὶ
Πνεύματι σὺν πρώτῳ ἁγίῳ καὶ σπέρματος ἀρχή.

Vno verbo, ne nescias, te monitum velim in libro MS. sic legi: τοῦ ἀποπαγγενέτης νοερώτερος λόγος ἄφθιτος υἱὸς ἀπαύγασμα. Sed nihil erat facilius, quam in versus, concinnare. Quiuis etiam emendare possit Κολοφωνίου vel ἐκ Κολοφῶνος. Illud fortasse plusculum habet difficultatis, quisnam sit ille Antiochus coniectura essequi. Et profecto nimis velim extaret Nicandri Colophonii liber περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν· mirum enim, ni ex animi sententia hoc negotium conficeremus. Nunc vero quandoquidem iste liber, vt alia omnia καλὰ, vel flammis, vel humore, vel inertibus tineis consumtus est; eum optimum vatem arbitremur, qui illud in re tam ancipiti protulerit, quod sit verisimillimum. Opportune autem venit in mentem Xenophani illi Colophonio filium fuisse nomine Antiochum, quem res Siculas et Italicas scripsisse multi commemorant. Verum accidit per incommode, quod is etsi patre natus Colophonio, tamen nescio qui Syracusius vocetur. Alius proinde quatiendus est funis. Placetne vt pro Antiocho reponatur Antiphanes? Athenaeus L. 7. Μνημονεύει αὐτοῦ Αντιφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐν τῇ Θηβαΐδι λέγων οὕτως·

Η ὕκκην, ἢ ἵππον, ἢ ὃν κίχλην καλέουσιν.

Sed mihi crede, nusquam fuit gentium Antiphanes ille Colophonius: Quippe, quod a doctissimo Casaubono non anim-

aduerſum eſſe demiror, pro commentitio iſto Antiphane reponendus eſt Antimachus notiſſimus autor Thebaidos et Lydes, vti memorant ipſe Athenaeus alibi, Etymologicon, Heſychius, Suidas, Quintilianus, aliique bene multi. Huic autem Antimacho vix equidem dubito quin putidos hos verſus affingere voluerint. Quo quidem conſilio nihil inconſultius eſſe potuit aut dementius. Proclus in Commentario Timaei diſtinguens poeticam ἔνθουν ἀπὸ τῆς τεχνικῆς, illius exemplum τοὺς χρησμοὺς, huius τὸ Ἀντιμάχειον ponit. Adeo vt Antimachum χρησμῳδοῦντα fingere, ſit prorſus ἄνω ποταμῶν. Totus erat Antimachus in arte et opera: nihil habuit ἐξ ἐνθουσιασμοῦ, nihil ex afflatu furoris, et coeleſti illo mentis inſtinctu, ſine quo nullum poema ſani coloris, nedum Oracula naſci poſſint.

X.

Ἐρώτησις Ἰάσονος Βασιλέως τῶν Ἀργοναυτῶν εἰς τὸ Πύθιον τοῦ Ἀπόλλωνος.

Προφήτευσον ἡμῖν, Προφῆτα Τιτὰν et quae ſequuntur: vt habet Malelas p. 94.

XI.

Πλάτωνος.

Γενετὸς οὐδεὶς ἱκανὸς γνώμης ἀφανοῦς ἰδεῖν αἰσθητήριον Φύσις γὰρ μόνου θεοῦ ὡς αἰτίου τοῦ παντὸς γυμνὴν ψυχὴν δυναμένου (leg. δυναμένη) ἰδεῖν· εἷς γὰρ αἴτιος τοῦ παντὸς, εἷς καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀλλ' οἷος (leg. ἄλλος) ὁ εἷς, καὶ ποτε οὗτος ὁ εἷς οὐκ ἐν χρόνῳ, ἀΐδιος γὰρ ὁ εἷς καὶ συναΐδιος.

XII.

Τοῦ αὐτοῦ περὶ Χριστοῦ.

Ὀψέ ποτέ τις ἐπὶ τὴν πολυσχεδῆ ταύτην ἐλάσει γῆν, καὶ δίχα σφάλματος σὰρξ γενήσεται, ἀκαμάτοις θεότητος ὅροις ἀνιάτων παθῶν λύσει φθορὰν, καὶ τοῦτο φθόνος γενήσεται ἐξ ἀπίστου λαοῦ καὶ πρὸς ὕψος κρεμασθήσεται ὡς θανάτοι καταδίκως (leg. θανάτῳ καταδικὸς) πάντα πράσας (leg. πράξας vel δράσας) πείσεται.

XIII.

Χρησμὸς τοῦ Ἀπόλλωνος δοθεὶς ἐν Δελφοῖς περὶ Χριστοῦ.

Εἷς με βιάζεται οὐράνιον φῶς, καὶ ὁ παθὼν θεός ἐστιν, καὶ οὐ θεότης ἔπαθεν αὐτή, ἄμφω γὰρ βροτόσωμος καὶ ἄβροτος αὐτὸς θεὸς ἤδη καὶ ἀνὴρ, πάντα φέρων παρὰ πατρὸς ἔχων τε τῆς μητρὸς ἅπαντα. Πατρὸς μὲν ἔχων Ζώων

ἀλκει, μητρὸς δὲ θνητῆς ϛαυρὸν τάφον, ὕβριν ἀνήτου καὶ ἀπὸ βλεφάρων ποτεχευᾶ τὰ δάκρυα θερμὰ ὁ πέντε χιλιάδας ἐκ πέντε πυρῶν κορέσαι (leg. σας) τὸ γὰρ θέλεν ἄβροτος ἄλκει. Χριϛὸς ὁ ἐμὸς θεός ἐϛιν ἐν ξύλῳ τανυσθῇ ὅς (leg. τανυσθεὶς) θανεν· ὃς ἐκ ταφῆς εἰς πολλῶν ὄλκων.

Miris modis haec perturbata sunt; magnam tamen partem in versus suos nullo negotio redigi possunt in hunc modum:

Εἴς με βιάζεται οὐράνιον Φῶς — —
Καὶ ὁ παθὼν θεός ἐϛι, καὶ οὐ θεότης πάθεν αὐτή.
Αμφω γὰρ βροτόσωμος ἔην ἠδ' ἄβροτος αὐτὸς — —
— — θεὸς ἠδὲ καὶ ἀνήρ,
Πάντα φέρων παρὰ πατρὸς, ἔχων τῆς μητρὸς ἅπαντα
Ἐκ πατρὸς μὲν ἔχων ζωὴν ἄλκει — —
Μητρὸς δὲ θνητῆς ϛαυρὸν, τάφον, ὕβριν, ἀνίην.
Τοῦ καὶ ἀπὸ βλεφάρων ποτεχεύατο δάκρυα θερμά.

XIV.

Αϛάνȣ περὶ τȣ̃ς Θεοτόκȣ.

Τιμήσωμεν τὴν Μαριὰμ, ὡς καλῶς κρύψασαν τὸ μυϛήριον.

Sine dubio loco Αϛάνου emendandum est Οϛάνου. Ostanes magus et Zoroastres etiam indoctis cognitissimi. Theodoro Meliteniotae Praefatione in Astronomiam non Ostanes dicitur, sed Οτάνης. Quae fortasse vera scriptura est: nam et apud Herodotum non vnus est Otanes Persa: et vero Magus ille natione fuit Chaldaeus. Theodori locum describam, quod ibi plurimorum Magorum nomina videas, quos alibi frustra quaesiveris. Ἐν οἷς (Χαλδαίοις) ἄλλοι τε πλεῖϛοι γεγόνασιν ἀξιόλογοι ἄνδρες καὶ μάλιϛα Ζωροάϛρης καὶ μετ' ἐκεῖνον Οτάνης. ὅ τε Κιδηνᾶς, καὶ Ναβουριανὸς καὶ σὺν αὐτοῖς ὁ Σουδῖνος, ἀλλὰ καὶ Σέλευκος ἀπὸ Σελευκίας Χαλδαῖος καὶ οὗτός ἐϛιν.

XV.

Θȣ̃λις ὁ Αἰγυπτίων Βασιλεὺς ἐπαρθεὶς τοῖς κατορθώμασιν ἠρώτησεν εἰς τὸ μαντεῖον τȣ̃ Εὐριπίδȣ περὶ αὐτȣ̃ ἔτως.

Φράσον μοι Πυρισθενὲς etc.
vt Malelas p. 26.

Hominem sane festiuum, qui Euripidem χρησμολογοῦντα nobis exhibuit. Quidni autem, inquies? cuius ex μαντείῳ hoc editum est,

Μάντις δ' ἄριϛος ὅϛις εἰκάζει καλῶς,

Oraculum quidem, quo nihil verius ac sapientius; quale nunquam aut Bacis fudit, aut Comicus iste Glanis, aut Pythia quae tripode ex Phoebi lauroque profata est. Sed extra io-

cum: sine controuersia corrigendum est τοῦ Σαράπιδος; cui Canobi templa dicata sunt; etiam Alexandriae et Memphi. Narrat Strabo miris quosdam laudibus efferre τὰς ἀρετὰς τῶν τοῦ Σαράπιδος ἐν Κανώβῳ λογίων. Haec scripseram; cum sero animaduerti apud Suidam in voce Θοῦλις ita legi αὐτολεξεὶ, vti prius ex coniectura emendaueram.

Dubitantem me et quo proxime me vertam circumspectantem ad se vocat Sophocles, indignis sane modis a Ioanne acceptus p. 47. Ὁ γὰρ σοφώτατος Σοφοκλῆς δρᾶμα ἐξέθετο καὶ ποιητικῶς· εἶπεν ὅτι ὁ Τειρεσίας τὴν Παλλάδα εἶδε λουομένην καὶ γυνὴ ἐγένετο. Ego vero quouis pignore contenderim nihil vsquam de fabella ista profectum a Sophocle, quanquam ab aliis passim memoretur. Cum enim omnes fere titulos Sophoclaeorum dramatum beneficio Grammaticorum veterum habeamus, nullum est vbi Tiresiae persona locum habere possit, praeterquam vna Trilogia, Oedipus Tyrannus, Antigone, et Oedipus in Colone: Sic enim sentio: siue Tetralogiam malis, accedo; vt fabula satyrica, sicut omnes omnium praeter Cyclopem Euripidis, periisse videatur. Quanquam enim affirmet Suidas, ὅτι ὁ Σοφοκλῆς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν· scimus tamen ex Didascaliis non ex omni parte verum hoc esse. Vide modo Aristophanem Grammaticum in Argumento Medeae Euripidis, Atqui haud commemini fabellam istam de Tiresia in trinis illis narrari, neque ibi reperiri posse arbitror. Prima haec est erga Sophoclem contumelia. Deinceps Ὅθεν ἐξέθετο Σοφοκλῆς ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι ταῦτα ἀληθείας εἶναι. Εἷς ἐστιν ὁ θεὸς ὃς τὸν οὐρανὸν etc. O hominis stuporem, et ἰδιωτείαν meram! Apud auctorem, vnde haec habuit Antiochensis, sine dubio scriptum erat ad hoc exemplum: Καθὼς ὁ Σοφοκλῆς εἶπεν ἐν ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν θεός. Homo stolidus interpunctatione falsa iugulauit versum, misereque disperdidit. Nimirum ab ἀληθείαισι distinctionem posuit, cum oratio εἶπε sustineri debuerit. Sed efficiam vt hosthac hi versiculi sano saltem pede possint incedere. Sic igitur emendo:

Ἐν ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν θεός,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας·
Θνητοί τε πολλὸν καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παρὰ ψυχήν,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λιθῶν ἢ χαλκείων
Ἢ χρυσοτεύκτων ἢ 'λεφαντίνων τύπους.
Θυσίας τε τούτοις καὶ κενὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Ita fere leguntur apud Iustinum, Clementem, Eusebium, Theodoritum, et partim Athenagoram; adeo vt demirer interpretem Chilmeadum, hominem sane pereruditum, in luce tam clara minus solito perspexisse. Sed non te celabo, quod pace sanctorum virorum dictum velim, vehementer me suspicari non esse haec a Sophocle. Id adeo cur in animum inducam, si me interroges; dico, permirum mihi praeter alia videri, tam illustrem locum Ecclesiasticis solis incurrisse in oculos, aliorum omnium aciem effugisse. Qui factum, vti dormitaret hic Plutarchi diligentia? Qui Porphyrium praeterire potuit περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων tam insigne testimonium aduersus τῶν θυσιῶν τὰς παρανόμους σφαγὰς, vt ad hunc locum ait Theodoritus? Vbi tu, Stobaee, cessasti, literarum obliuio? tu, qui tot forulos Bibliothecarum excussisti, Sophoclis autem et Euripidis monumenta studiose praeter caetera lectitasti. Adeone paucos e Patribus, quid Patres autem dico? vnumne aliquem tenebrionem, qui supposita persona librum ediderit (vt et olim et hodie nonnullorum opinio est, neque adeo iniuria) caeteris omnibus perspicaciorem, et diligentiorem fuisse? Clemens enim aperte et ingenue fatetur Hecataei se fidem secutum, apud ipsum Sophoclem omnino non legisse. Ο μὲν Σοφοκλῆς, ait, Strom. V. ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος ἐν τῷ κατ' Ἄβραμον καὶ τοὺς Αἰγυπτίους. Illud autem exploratum habeo tam a Iustino et Clemente Patres alios accepisse, quam Iustinum et Clementem commentitii eius Hecataei auctoritate tradidisse. Quem ad hominem demum, et quam nulla fide res redierit vides. Illene vt Sophocli versiculos aliquot vereretur affingere, qui illum ipsum, quo eos adduxit, librum ediderit simulata persona Hecataei? Ipsa praeterea oratio de se facit indicium. Non agnosco illud χαλκέων, et πολλὰ sumtum, vt aiunt, aduerbialiter, esse hominis Attici, aut in Tragoedia ferri posse. Qualis enim haec foret confusio dialectorum, et vt ait ille, sartago loquendi? Oportuit enim πολὺ et χαλκῶν. Χαλκέων quidem a χαλκεὺς Attice dixeris; minime gentium a χαλκοῦς, non magis mehercule quam ἀγαπάει vel Ἀριστοτέλεος. Χρύσια, ait Phrynichus, ἀργύρεα, κυάνεα, χάλκεα ταῦτα Ἰακὰ διαιρούμενα. Χρὴ οὖν λέγειν χρυσᾶ, ἀργυρᾶ, κυανᾶ τὸν Ἀττικίζοντα. Χρυσοῦς λεγε, τὸ γὰρ χρύσεος Ἰακὸν, ὡσαύτως καὶ ἀργυροῦς, χαλκοῦς, κυανοῦς, καὶ τὰ ὅμοια. Rogo denique, cui personae haec oratio conueniat? Quaue Sophocles fiducia die festo Ludorum (non alias enim in scena quam Panathenaeis ac trinis Liberalibus Tragoediae docebantur) illos ipsos dies festos et Ludos solennes in contemtionem adduceret? Istuccine se

impune laturum speraret? Nonne Aeschyli periculum cautiorem eum faceret, qui, quod in Sisypho opinor πετροκυλιστῇ, ad Cereris mysteria curiosius videretur alludere, nisi ad aram Bacchi confugisset, illico trucidatus esset in Scena: postea etiam in Areopago de capite suo causam dixit? Habes, amice, suspiciones nostras, tu, tuique similes rem cognoscite, et sententiam ferte; non βεκκεσέληνοι quidam, πολυμαθεῖς sine pectore et mente

ἀνέρες ὧν τὸ κέαρ
Παλῷ σέσακται καὶ δυσεκνίπτῳ τρυγός.

Praeclare vero actum est cum Sophocle, quod a χρονογράφῳ nostro non nisi semel ad falsum testimonium dicendum citatus sit: Euripides autem, qui Malelae erat paulo familiarior grauissimas istius consuetudinis poenas sustinuit; adeo quidem vt non minus incommodo hospite hoc Antiochensi, quam olim Promeri canibus vsus esse videatur. Non erit, opinor, ab instituto nostro alienum, si locus omnes accuratius aliquantum examinem, in quibus Euripidis fit mentio, et, quoad eius facere potero, fabularum titulos, quo singuli quique loci referuntur, ostendam. Dabitur fortasse occasio ex interioribus literis aspergendi aliquid. memores tamen erimus, vt spondeo, verbi veteris, quo admonemur:

Τῇ χειρὶ σπείρειν, μηδ' ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.

Quae igitur habes p. 39. Περὶ ἧς (Δανάης) ἐμυθολόγησεν Εὐριπίδης ὁ σοφώτατος ἐν τῇ συντάξει τοῦ αὐτοῦ δράματος, et quae sequuntur, e fabula Danae desumta sunt. Laudat hanc Pollux Lib. IV. cap. 16. Stobaeus autem non semel, vt et aliam Sophoclis similiter inscriptam. Harum alterutram, magis tamen Euripideam, latine conuertit Naeuius, cuius Danae Nonio Marcello citatur. Plutarchus Consolatoria ad Apollonium: Ο δὲ παραμυθούμενος τὴν Δανάην δυσπενθοῦσαν Δίκτυς φησι.

Δοκεῖς τὸν ᾅδην σῶν τι φροντίζειν γόων
Καὶ παῖδ' ἀνήσειν τὸν σὸν, εἰ θέλοις στένειν;
Παῦσαι βλέπουσα δ' εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ
Ῥάων γένοι' ἂν, εἰ λογίζεσθαι θέλοις
Οσοι τε δεσμοῖς ἐκμεμόχθηνται βροτῶν
Οσοι τε γηράσκουσιν ὀρφανοὶ τέκνων
Τούς τ' ἐκ μεγίστης ὀλβίας τυραννίδος,
Τὸ μηδὲν ὄντας· ταῦτά σε σκοπεῖν χρεών.

Errauit eruditissimus Grotius in Excerptis; cum in versu quarto reposuit, Ῥᾷον φέροις ἄν. Nihil enim magis vsu tritum, quam ῥάων εἶναι, melius habere, hilariore animo esse, conualescere. Etiam pueri hoc sciunt. Errauit, cum in versiculo

quinto emendare conatus eſt ἐμμεμόχθηνται. Non enim magis μοχθοῦμαι dixeris, cum μοχθῶ ſit verbum neutrum, quam πάσχομαι aut κάμνομαι· Sine dubio ſcriptum oportuit,

Οσοι τε δεσμοῖς ἐμμεμόχλευνται βροτῶν

vel

Οσοι τε δεσμοῖσι μεμόχλευνται βροτῶν.

Errauit denique, cum locum hunc ad hanc, de qua agimus, Danaem referendum putauit, qui omnino ex Euripidis Dictye accerſitus eſt: de quo conſule Stobaeum, et alios. Ariſtophanes, Grammaticus in argumento Medeae. Εδιδάχθη ἐπὶ Πυθιοδώρου ἄρχοντος κατὰ τὴν πζ Ολυμπιάδα. Πρῶτος Ευφορίων, δεύτερος ΣοΦοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτης, Θερισαί. Σάτυρος οὐ σώζεται. Scribe Δίκτυς, Θερισαὶ σάτυροι οὐ σώζονται· i. e. θερισαὶ δρᾶμα σατυρικόν. Ita loqui ſolent. Caue enim credas, τὸ σάτυροι eſſe partem inſcriptionis. Ita Sophoclis fabula ΚωΦοὶ σάτυροι. Scholiaſtes Nicandri ſimpliciter ΣοΦοκλῆς ἐν ΚωΦοῖς. Sic eiusdem Ιχνευταὶ σάτυροι, qnemaduiodum apud Pollucem eſt legendum pro Ιχνευταὶ Σατύρων. Athenaeus non appoſito fabulae diſcrimine: ΣοΦ. ἐν Ιχνευταῖς. Sic ΙοΦῶν ἐν Αὐλῳδοῖς σατύροις apud Clementem: ſic Aeſchylus ἐν Κήρυξι σατύροις apud Pollucem: ita enim emendo pro κήρυξι σατυρικοῖς. Photius in Lexico manu ſcripto Πυρσοκόρσου λέοντος, Αἰσχυλος ἐν Κήρυξι σατύροις. Ex quo reſtituendus Heſychii locus: Πυρσοκουρσολέοντος, πυῤῥοκεΦάλου, ξανθοτρίχου. lege, vt apud Photium. Cum autem nomen fabulae cuiuspiam ſit numero ſingulari; tunc σατυρικὴ dicunt et σατυρικός. Potuit autem Grotius erratum ſuum reſciſcere ex Fragmento illo Danaae, quod primus in lucem edidit de literis optime meritus Hieronymus Commelinus. Ibi dramatis perſonae ſunt Mercurius, Danae, Nutrix, Acriſius, Minerua, Nuncius, Chorus: Dictys autem minime comparet. In ἀποσπασματίῳ illo ſic vulgo legitur non longe a principio:

— κᾆτά πως κείνη ποτε
Ευνὴν κρυΦαίαν γνοῦσα καὶ μὴ γνοῦσα δὴ
Υποπετρον λέοντα τέξεται πατρί.

Cum metri ratio, tum res ipſa flagitat, vt ὑπόπτερον ſcribamus, non ὑπόπετρον. Quis non alatum Perſeum et in libris legit, et in pictis tabulis vidit? At interpres homo ſane feſtiuus ita conuertit: ſub ſaxo natum leonem. Nempe huic committas, ſiquid recte curatum velis. Et tamen is ipſe eſt ni fallor, qui bonam aetatis partem contriuit, vt Suidam foras extruderet mendis maculisque vſque quaque obſitum, vt aliquando fortaſſe oſtendemus.

Pag. 51. Διὰ τοῦτο δὲ ὁ Ευριπίδης τῶν Βακχῶν ἐξέθετο δρᾶμα, ὡς ἀπὸ Πενθέως εἰπὼν ταῦτα· Σεμέλη δὲ λοχευθεῖσα ἐκ βροτοῦ τινος, εἰς Ζῆνα φέρουσα τὴν ἁμαρτίαν λέγει. Bacchae Euripidis etiam nunc ſuperſunt. Illud autem mentitur Malelas, ὡς ἀπὸ Πενθέως, non Pentheus enim, verum Semelae ſorores Ἰνὼ, κ' Αὐτονοὰ, χ' ἁ μαλοπάρῃος Ἀγάυα contumelias has ei dixerunt. Bacchus in prologo.

Ἐπεὶ μ' ἀδελφαὶ μητρὸς ἃς ἥκις' ἐχρῆν
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον εἶναι τοῦ Διὸς,
Σεμέλην δὲ νυμφευθεῖσαν ἐκ θνητοῦ τινος
Εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους.

Pag. 53. Ὁ γὰρ σοφώτατος Ευριπίδης ποιητικῶς ἐξέθετο δρᾶμα, ὡς ὅτι ὁ Ζεὺς εἰς σάτυρον ἔφθειρε τὴν Ἀντιόπην. Cenſeo ſupplendum eſſe, εἰς σάτυρον τρεφθεὶς ἔφθειρε. Propter ſimilitudinem duorum verborum accidit, vt fieri ſolet, vt librarius vnum ommitteret. Porro fabula Antiopa memoratur ab Heſychio, Stobaeo, aliis. Photius Patriarcha in Lexico MS. Εὔκρας εὔκρατος εὐρυβροτοῖσιν, Εὔκρας οὐ γένοιτ' ἂν ἡδέως, ἐν Ἀντιόπῃ. Lege: Εὔκρας, εὔκρατος· Ευριπ. ἐν Ἀντιόπῃ· Βροτοῖσιν εὔκρας οὐ γένοιτ' ἂν ἡδέως. Suidas: εὐκραὴς, ἀντὶ τοῦ εὔκρατος. Scribe Εὐκρὰς, vti recte apud Etymologicon magnum. Antiopam latine docuit Pacuuius, de Graeco Euripidis conuerſam: citantibns Cariſio, Diomede, Seruio et Marcello. In quo admiror, ait Cicero de Finibus, cur in grauiſſimis rebus non delectet eos patrius ſermo, cum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expreſſas non inuiti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano eſt, qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuuii ſpernat aut reiiciat? qui ſe iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas oderit? Noſti illud Perſii:

Sunt quos Pacuuiusque et verrucoſa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Pag. 67. Ὁ γὰρ σοφώτατος Ευριπίδης ποιητικῶς ἐξέθετο δρᾶμα, περὶ τοῦ Οἰδίποδος καὶ τῆς Ἰοκάςης καὶ τῆς Σφιγγός. Oedipus et Iocaſta in Phoeniſſis ad partes vocantur: quin et ibidem de Sphinge mentio fit non ſemel. Potuit igitur Antiochenſis ad Phoeniſſas reſpicere, potuit ad fabulam Oedipum, quae laudatur ab Heſychio, a Stobaeo aliquoties, ab Erotiano.

Pag. 88. Καὶ μετὰ Αἰσχύλον ἐβασίλευσεν αὐτῶν, (τῶν Ἀθηναίων) Ακμαίων ἔτη δύο, περὶ οὗ Ευριπίδης ὁ σοφώτατος δρᾶμα ἐξέθετο· καὶ μετὰ Ακμαίοντα ἐβασίλευσαν αὐτῶν ἄλλοι ΙΗ'. Amabo te, Syriſce, ſerione haec an ioco? quae te enim laruae atque intemperiae agitabant, cum haec ſcriberes? ποῦ τοι φρένες ἐκπεπότανται; Ακμαίων et Ακμαίοντα

pro Αλκμαίων et Αλκμαίωνα? Muli ſunt illa, non hominis. Simile peccatum eſt, quod de Alcmaeone Athenienſi tragoediam factam exiſtimes. Siquidem ille eſt Alcmaeo Argiuus, Amphiarai filius, qui, quod Eriphylen matrem occidiſſet, furiis agitatus eſt. Inde ſcenae argumentum eſt accerſitum. Timocles Comicus:

Τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει
Ως ὠφελοῦσι πάντας· ὁ μὲν γὰρ ὢν πένης
Πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
Γενόμενον, ἤδη ἣν πενίαν ῥᾷον φέρει
Ο νοσῶν δὲ μανικῶς Αλκμαίων' ἐσκέψατο

Antiphanes.

— Μακάριόν ἐςιν ἡ τραγῳδία
Ποίημα κατὰ πάντ' — ἂν πάλιν
Είπῃ τις Αλκμαίωνα, καὶ τὰ παιδία
Πάντ' εὐθὺς εἴρηχ' ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
Τὴν μητέρα.

Cicero Academ. 2.

Quid! ipſe Alcmaeo tuus, qui negat cor ſibi cum oculis conſentire, nonne ibidem incitato furore; Vnde haec flamma oritur? et illa deinceps: „Incede, incede; adſunt, adſunt; me, me expetunt.“ Quid, cum virginis fidem implorat? „Fer mi auxilium; peſtem abige a me: flammiferam hanc vim, quae me excruciat. Caeruleo incinctae angui incedunt; Circumſtant cum ardentibus taedis.“ Sed piget profecto in re certiſſima teſtibus vſum eſſe non neceſſariis. Illud opinor auribus tuis, Milli, nouum accedet; integram huius dramatis inſcriptionem eſſe Αλκμαίων ὁ διὰ Ψωφίδος. Niſi fortaſſe geminum Alcmaeonem Euripides ediderit, aut iterum eundem, correctum ſcilicet et διεσκευασμένον. Quicquid eſt huius, ſolus adeo me docuit Heſychius noſter, et fortaſſe ſolum: alios, qui deprauata eius verba non poterant intelligere, non item. Αργαίνειν, λευκαίνειν. Εὐριπίδης Αλκμαίωνι, διὰ ψηφίδος ἀργαίνουσα, λευκαίνουσα, φοιτῶσα. Cenſeo corrigendum eſſe: Ευριπίδης Αλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, tum notam diſtinctionis ponendam Ἀργαίνουσα, λευκαίνουσα, φοιβῶσα. Παρὰ δὲ τὸ ἄργον, ait Euſtathias ad Odyſſeae ſecundum, καὶ ἀργάντες ταῦροι παρὰ Πινδάρῳ καὶ ἀργαίνειν τὸ λευκαίνειν παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Αλκμαίωνι, ſiue haec Euſtathius ab Heſychio, ſiue ab alio quopiam vterque tranſtulit, apparet hunc locum a multis iam ſaeculis fuiſſe deprauatum. Qui factum alioquin, vt Euſtathius tragoediae nomen mutilum protulerit, niſi quod in verbis ſequentibus cerneret οὐδὲν ὑγιές. Idem Heſychius: Ατενής. Ηκω δ' ἀτενὴς ἀπ' οἴκων·

Εὐριπίδης Αλκμαίωνι τῷ διὰ Ψοφίδος συντείνασα. Corrige ſodes in hunc modum: Εὐριπίδης Αλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφίδος, συντείνασα. Ατενὴς, ait eſt συντείνασα, feſtinans ſumma cum virium contentione. Cuius ſignificationis exempla quod haud temere reperiantur, propterea verbi ſedes a Grammaticis indicata eſt Αλκμαίων ὁ διὰ ψωφῖδος. Rationem porro huius inſcriptionis non diu neque fruſtra quaeſiuerit, qui in memoria habuerit Alcmaconem, quem antea contortorum anguium et ardentium taedarum verbera nuſquam conſiſtere paterentur, aliquando tandem ad ſanam mentem in Pſophide Arcadiae rediiſſe. Videatur in Arcadicis Pauſanias Apollodorus Lib. III. Αλκμαίωνα δὲ μετῆλθεν Ερινννὺς τοῦ μητρώου φόνου, καὶ μεμηνὼς πρῶτον μὲν εἰς Αρκαδίαν πρὸς Οικλέα παραγίνεται, ἐκεῖθεν δὲ πρὸς Ψωφίδα πρὸς Φηγέα. καθαρθεὶς δὲ ὑπ' αὐτοῦ Αρσινόην γαμεῖ τὴν τούτου θυγατέρα. Iam monui emendandum eſſe Ψωφῖδα ſyllaba ſecunda producta. Ouidius:

Vſque ſub Orchomenon, Pſophidaque, Cyllenenque

Percommode autem hic locus Apollodori in memoriam mihi alium redegit, in libro primo; qui viros doctos in errorem hactenus induxit: deinceps tamen, vti ſpero, non faciet. Τυδεὺς δὲ ὥς φησιν ὁ τὴν Αλκμαιονίδα γεγραφὼς κτείνας τοὺς Μέλανος παῖδας ἐπιβουλεύοντας Οἰνεῖ, Φηνέα etc. Quae ſic latine expreſſit interpres: Is qui Alcmaeonidem tragoediam ſcripſit. Hominem ſane liberalem, qui vocem illam Tragoediam benigne nobis de ſuo largitus eſt. Atqui, O bone, Αλκμαίων ea tragoedia, non Αλκμαιονὶς inſcribitur, vt Erotianus, Stobaeus, Priſcianus, aliique teſtantur. Sicuti autem Philoclis Tragici tetralogia de Pandione Πανδιονὶς, atque Aeſchyli de Oreſte Ορεςεία nominata eſt; Ita fieri poteſt vt Euripides tria dramata de Alcmaeone publicauerit, vna cum quarto Satyrico argumenti omnino alieni: quam integram tetralogiam Αλκμαιωνίδα vocarent. Sed oportet Epicharmi illud ſemper habeas in promtu.

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιςεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

Quicunque enim humaniores has Muſas colit, ſaepenumero ſolet vſu venire vt

Ισκη ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὅμοια.

Siquidem hae de Alcmaeonide ſuſpiciones; aegri ſunt ſomnia; cum is Scriptor, quicunque tandem fuerit, (neque enim de aetate, neque de patria viri, aut nomine quidquam habeo compertum) hiſtoricus ſit, non tragicus. Ο δὲ τὴν Αλκμαιωνίδα γράψας (verba ſunt Strabonis libro) Ικρίου τοῦ Πηνελόπης πατρὸς υἱοὺς γενέσθαι δύο Αλυζέα καὶ Λευκάδιον· δυνα-

ϛεῦσαι δ' ἐν Ἀκαρνανίᾳ τούτους μετὰ τοῦ πατρὸς. Et quidem Euripide vetustior. Scholiastes ad Orestem V. 1000. Ἀκολουθεῖν δοκεῖ ὁ Εὐριπίδης τῷ τὴν Ἀλκμαιωνίδα (ω scribe etiam apud Apollodorum, non ο.) πεποιηκότι, εἰς τὰ περὶ τὴν ἄρνα, ὡς καὶ Διονύσιος ὁ κυκλογράφος φησι. Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησιν τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι· ὁ δὲ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γράψας τὸν ποιμένα προσαγόντα τὸ ποιμνίον τῷ Ἀτρεῖ ἀνταποκαλεῖ. Quid tibi dicam deprauatum mihi videri verbum illud postremum? Χροῖ enim δῆλον, τὸ τοῦ Φερεκύδου, leg. Ἀνταῖον ἀποκαλεῖ vel Ἀντανδρον καλεῖ vel Ἀντιφον, vel simile quippiam; cum fine controuersia desit nomen Pastoris. Haec habui, Milli iucundissime, quae de Alcmaeone et Alcmaeonide ore, vt opinor, alio indicta dicerem: non enim placet eorum ratio, qui cum merae corniculae sint, emendicatis hinc inde plumis germanos pauones se pollicentur.

Pag. 104. Multa narrat Malelas de Proeto, Stheneboea et Bellerophonte, καθὼς, συνεγράψατο Εὐριπίδης ὁ τραγικὸς ποιητὴς πληρώσας τὸ δρᾶμα. Intellige de fabula Stheneboea, cuius mentio fit apud Athenaeum, Stobaeum, alios. Iulius Pollux Lib. 3. cap. 4. Εἴρηται δὲ ξεναπάτη παρ' Εὐριπίδῃ. Nomen tragoediae non commemorat; aliunde tamen scimus hanc esse de qua agimus, Stenoboeam. ξεναπάτας, ait Photius MS. ἰδίως ἐπὶ τῶν ..... ὅταν μὴ τοιοῦτοι πνέωσιν ἄνεμοι ἐν τοῖς πελάγεσιν, ὁποῖοι ἐν τοῖς λιμέσιν. Εὐριπίδης Σθενεβοίᾳ. Τίς ἄνδρα τινὰ ξεναπάταν. Scribe autem in Polluce ξεναπάτης. Apparet ita corrigendum esse, cum ex hoc loco Photii, tum ex Euripidis Medea, quae in extrema fabula sic Iasoni conuitium facit, Τίς δὲ κλύει σοῦ θεὸς ἢ δαίμων τοῦ ψευδόρκου καὶ ξειναπάτα; Aristophanes Vespis:

Εἴτις ὑμῶν, ὦ θεαταὶ, τὴν ἐμὴν ἰδὼν φύσιν
Εἶτα θαυμάζει μ' ὁρῶν μέσον διεσφηκωμένον
Ἥτις ἡμῶν ἡ 'πίνοια τῆς δε τῆς ἐγκεντρίδος
Ῥᾳδίως ἐγὼ διδάξω, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν

Sholiastes annotat ad versum nouissimum: ὁ ϛίχος ἐκ Σθενεβοίας Εὐριπίδου. Bene pol factum, quod nos docuerit, vnde tralatus sit hic ϛίχος, quod quidem alias nesciremus. Atque ea gratia non leue peccatum ei condonabitur. Enim vero non totus versus, vt ille existimauit, sed pars tantummodo posterior ex Euripide est. Nam in his rebus verba mihi dari haud facile patior, qui, vt scis, fragmenta omnium Poetarum Graecorum cum emendationibus et notis grande opus edere constitueram: nunc, vt aiunt, Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Plutarchus Συμποσιακῶν 1, 5.

Πῶς εἴρηται τὸ — Μουσικὴν δ' ἄρα
Ερως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Quem ego locum admiror, cum sine dubio deprauatus sit, nemini vnquam in suspicionem venisse. Ita exhibent, vt vulgo legitur, Erasmus, et Ios. Scaliger in Prouerbiis; ita Grotius in Excerptis. Spes tamen est, vt nunc iam dehinc tam turpe erratum ex libris et memoria hominum auferatur. Legent enim qui sapient, μουσικὸν non μουσικήν. Μουσικὸν διδάσκει, i. e. ποιητὴν ἀποδείκνυσι, poetam reddit: Quasi hoc senario Latine dixeris: Amor poetam vel facit, vel inuenit. Ars Musica et studium musicum est poetica. Terentius: *Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.* Ea autem sinificatio τοῦ διδάσκειν elegantior paulo est et rarior proptereaque fraudi fuit librariis: attamen non desunt exempla. Aristoph. Ranis:

Καὶ σὺ τί δὴ δράσας αὐτοὺς οὕτως ἀνδρείους ἐδίδαξας;

Sed et hic locus in vitio est, et legendum auctore MS. Oxoniensi:

Καὶ σὺ τί δράσας οὕτως αὐτοὺς γενναίους ἐξεδίδαξας.

Vulgata lectio cum propter alia minus placet tum ob hoc praecipue: quod τὸ τετραπόδιον siue IV. priorum pedum mensura non debet in dimidiatum verbum desinere. Idem Plutarchus: Περὶ τοῦ μὴ χρᾷν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν. Ο δ' Εὐριπίδης, εἰπών, ὡς διδάσκει ποιητὴν ἔρως, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, ἐνόησεν ὅτι et quae sequuntur. Nicias Medicus apud Schol. Theocriti Idyll. XI.

Ην ἄρ' ἀληθὲς τοῦτο Θεόκριτε, οἱ γὰρ ἔρωντες
Πολλάκι ποιητὰς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους.

Sed quo me cunque recipio, omnia conspicio mendis et maculis inquinata. Ecce enim et huic medico medicina adhibenda est. Scribendum est, inquam

— χαὶ γὰρ Ερωτες
Πολλάκι ποιητὰς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους.

P. 106. Περὶ δὲ τῆς Πασιφάης ἐξέθετο δρᾶμα Εὐριπίδης ὁ ποιητής. Inanem, mihi crede, operam sumserit, qui Euripidis Pasiphaen instituerit quaerere. Non temere dico atque equidem certe scio neminem ex scriptoribus vetustis hodie superesse, qui tale quidquam memoriae tradiderit. Hesychius tamen. Σαρδώ, ait, ἐν Πασιφάῃ τὸ σαρδόνιον ἢ σφραγὶς εἴρηται. quem si ad Euripideam fabulam respexisse quispiam existimet; caueat moneo, et existimationi suae insidias parari cogitet. Alcaei quidem comoedia Pasiphae inscripta est, vt scimus ex Didascalia Pluti Aristophanis: Εδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Αντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Αριστομένους δὲ Αδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Αδώνιδι,

Ἀλκαίου δὲ Πασιφάη. Sed Euripidis Pasiphaen nusquam cuiquam laudari reperies. Quid igitur fiet? Num nam Antiochensis, cum haec scriberet, memoriola vacillauit γεροντικῶς, an mendacio conatus est fallere? Vtrum libet sane fecerit, haud arbitrario vapulabit: atque adeo dudum est, quod homunculum video σκύτη βλέπειν. Verum hercle quanquam ad modum nupera est inter nos notitia, me tamen et precatorem habebit et defensorem paratum: cum et alias soleam esse in amicitiis fidelis. Dico igitur Euripidem tragoediam quidem de Pasiphae publicasse, minime tamen Pasiphaen inscripsisse, sed Cretenses. Nec tu mihi de Κρήσσαις hoc perperam intelligas, quae ex Athenaeo, Stobaeo, et aliunde satis in notitiam venerunt: sed de quibus hodie fortasse primum inaudiuisti, Κρησί· quandoquidem et Ioannis Meursii, qui de trium Tragicorum fabulis, accurate studioseque scripsit, diligentiam effugerunt. In Aristophanis Ranis his verbis compellat Euripidem Aeschylus:

Ω κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας
Γάμους δ' ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην.

Quo in loco haec annotat Scholiastes. Ἐν γὰρ τοῖς ΚΡΗΣΙΝ Ἴκαρον μονῳδοῦντα ἐποίησε· καὶ οἱ μὲν εἰς τὴν Ἰκάρου μονῳδίαν ἐν τοῖς ΚΡΗΣΙ, θρασύτερον γὰρ δοκεῖ τὸ πρόσωπον. Ἀπολλώνιος δὲ ὅτι δύναται καὶ εἰς τὴν Ἀερόπην τὴς ἐν τοῖς Κρήταις εἰρῆσθαι· ἣν εἰσήγαγε πορνεύουσαν. Οἶμαι δὲ διὰ τὰ ἐν τῷ Αἰόλῳ. Τιμαχίδας δὲ διὰ τὴν ἐν τοῖς ΚΡΗΣΙ μίξιν ΠΑΣΙΦΑΗΣ πρὸς τὸν ταῦρον. Absoluimus, opinor, Ioannem ab omni suspicione peccati, nunc et huic Sholiasti patrocinari oportet. Non enim deerunt qui peruulgata via quorundam, qui germanos se putant esse Aristarchos, extemplo pro verbo Κρησὶ contendent esse reponendum Κρήσσαις. Pedetentim tamen et aliquantisper oro, manum abstineant, dum Tribunos adeam qui intercedant tantae temeritati. Ecce iterum Scholiastes ad haec verba Aristophanis,

Ἀλλ' ὦ Κρῆτες Ἴδης τέκνα
Τὰ τόξα λαβόντες ἐπαμύνατε.

Ταῦτα, ait, παρὰ τὰ ἐκ ΚΡΗΤΩΝ Εὐριπίδου. Bina profecto sunt dramata Κρῆτες et Κρῆσσαι, argumento longe dissimili. Personae omnino aliae introducuntur, scenae ponuntur in locis disiunctissimis maximeque diuersis. Illic Icarum cernis et Pasiphaen: in Cressis Aeropen, Atrea, Thyestem. Hic Argis Peloponnesi, illic in Creta insula res aguntur. Aristophanes Vespis:

— τοῦτο δὲ
Ἅδης διακρινεῖ πρότερον ἢ 'γὼ πείσομαι.

vbi Scholiaſtes, Εν Κρήσσαις, ait Εὐριπίδου, ὁ Ατρεὺς πρὸς τὴν Αερόπην κρινεῖ ταῦτα. Vnde perſpicuum eſt, in ſuperiori loco corrigendum eſſe Αερόπην τὴν ἐν ταῖς Κρήσσαις. Porphyrius lib. 4. de abſtinentia. Μικροῦ με παρῆλθε καὶ τὸ Εὐριπίδειον παραθέσθαι, ὃς τοὺς ἐν Κρήτῃ τοῦ Διὸς προφήτας ἀπέχεσθαί φησι διὰ τούτων· λέγουσι δὲ οἱ κατὰ τὸν χρονὸν πρὸς τὸν Μίνω·

Φοινικογενοῦς παῖ τῆς Τυρίας
Τέκνον Εὐρώπης καὶ τοῦ μεγάλου
Ζηνὸς, ἀνάσσων
Κρήτης ἑκατομπτολιέθρου·
Ηκω ζαθέους ναοὺς προλιπὼν,
Οὓς αὐθιγενὴς τμηθεῖσα δρῦς
Στεγανοὺς παρέχει χαλύβῳ πελέκει,
Καὶ ταυροδέτρῳ κραθεῖ —
σ' ἀτρεκοῦς ἁρμοὺς κυπαρίσσου.

et quae ſequuntur.

Ita locum hunc emendare conatus eſt Grotius in Excerptis ex comoediis et tragoediis Graecis. Cuius auctoritatem Cantabrigienſes in nouiſſima Porphyrii Editione ſecuti ſunt. „Hoc fragmentum Euripidis (verba ſunt Grotii) ἐν Κλεισὶ extare dicit Erotion, vt quidem nunc legitur. At ex Creſſis eſſe facile intelligitur, quod verba ſunt chori ad Minoa.„ Sed erravit in re leui grauioribus, opinor ſtudiis intentus vir ſupra comparationem atque aemulationem noſtram longiſſime poſitus. Cum enim in Creſſis, vt iam docui, Atreus, et Aerope loquantur; ſcena autem ſine controuerſia ſit Argos: vix' aut nullo modo eſt, vt haec Porphyriana ex eodem dramate petita videantur. Quod ſi ſint, demiror equidem cur in Creta Minos cum his ſacerdotibus ſermonem inſtituat. Quae enim hae praeſtigiae? quibusnam machinis haec ἄνω et κάτω? Eademne in fabula tam alienae hiſtoriae? duplex ne ſcena et geminus chorus? Modo Cretam ſpectemus, modo, regiam Atrei? modo chorus virilis, Myſtae, inquam, Idaei Iouis, modo grex foeminarum ad partes veniant? Inde enim fabula Κρῆσσαι nomen accepit, quod in ea ſit chorus mulierum Cretenſium, videlicet quae Aeropem e Creta comitatae ſunt. Similem ab cauſam Φοίνισσαι, Τρωάδες, Τραχίνιαι, aliae bene multae ſuis vocabulis nominantur. Nec tamen, quod Chorus ſit Cretenſium, idcirco neceſſe eſt, vt in Creta ſcena ſit poſita: quando et in Phoeniſſis res Thebis aguntur; chorum tamen conſtituunt mulieres Tyriae: Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν Ακροθίνια Λοξίᾳ Φοινίσσας ἀπὸ νάσου. Sed quid tergiuerſamur; Scimus Aeropen Catrei fuiſſe filiam, Minois neptem:

et quo tempore res hae transfactae sunt, iam diu liberos suscepisse. Siquidem Agamemnonem et Menelaum patri fuisse conscios commemorant, cum coenam illam feralem Thyestae apponeret. Non ergo de Minoe proauo longa dubitatio est, quin e numero viuorum pridem ante excesserit. Imo vero a filiabus Cocali trucidatus est, si Eusebio fides, prius circiter triennio; sed secundum exactissimam rationem Gulielmii Lloidii Episcopi Asaphensis,

Ανδρὸς, ὃν οὔτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις

ante annis solidis quatuor et viginti, quam Atreus regnum capesseret. Quamobrem haud facile patior, vt corrupta illa verba Erotiani Εὐριπίδης ἐν κλεισὶ magis magisque a Grotio deprauentur: Sed, quod ad vulgatam lectionem proxime accedit, auctor esse ausim, vt posthac ἐν ΚΡΗΣΙ corrigatur. Ita totum erit simplex et vnum, omnia sibi constabunt, belleque conuenient: Minos, chorus Mystarum, Pasiphae, Icarus. Non opus erit κλώθειν τὰ ἀσύγκλωσα. Restat, vt de loci huius Porphyriani miris quidem modis mendosi lectione accurate quantum in nobis est, et exquisite disputemus:

Ηκω ζαθέους ναοὺς προλιπὼν
Οὓς αὐθιγενὴς τμηθεῖσα a δρῦς
Στεγανοὺς παρέχει χαλύβῳ πελέκει
Καὶ b ταυροδέτρῳ κραθεῖ —
Σ' c ἀτρεκοῦς ἁρμοὺς κυπαρίσσου.

a Erotianus δοκοὺς, vetus editio Porphyrii δορός.
b Porph. ταυροδέτῳ κρηθεισ' Erot. τορολέτῳ κολληθεὶς
c. Porph. Ατρεκεῖς· Erot. ἀτρεκεῖς ἁρμὰς.

Quae ita vestit Cl. Grotius:

Sacra aduenio templa relinquens
Quas prisca domos dedit indigena
Quercus Calyba secta bipenni
Taurique sibi glutine iungens
De vera tigna cupressu.

Haud ita facere debet qui interpretis munere fungitur Nolim eum in caeteris scriptis eodem modo indiligentem. Vnde enim ἁρμοὶ sunt: tigna? quid ista sibi vult: vera cupressus? Cur spreta est vulgata Porphyrii lectio ἀτρεκεῖς? Cur Erotiani autoritas repudiata, qui locum hunc ideo citauit, vt ostenderet ἀτρεκεῖς ἁρμάς non significare ἀληθεῖς veras, sed ἀκριβεῖς, arctas nempe et exactas compages. Eius verba sunt haec: Καὶ Εὐριπίδης ἐν κλεισί (leg. Κρησί) Φησιν, Ηκω ζαθέους etc. κολληθεὶς ἀτρεκεῖς ἁρμάς. οὐκ εἶπεν ἀληθεῖς ἁρμὰς, ἀλλ' ἀκριβεῖς. Sic corrigendum esse facile videbit, cui ad manum est Erotianus. vulgo enim perperam, ἀλλ' ἀτρε-

κεὶς. Apageſis autem barbarum illud et ſoloecum ταυροδέτρῳ, quo verbo nullus vnquam ſcriptor eſt vſus, aut per analogiam vti poterit. Quin etiam et verſui conſultum oportuit. Quis enim, qui non negligenter in his literis verſatus eſt, illud omnino probare poſſit χαὶ ταυροδέτρῳ κραθεὶ — dimetrum ſcilicet brachy catalectum, vt proxime ante paroemiacum veniat. Affirmo tibi neminem vnum Tragicum Comicumque in eo loco hoc metrum adhibere; multo etiam minus, quod Erotiani ſcriptura conſtituit χαὶ ταυροδέτῳ κολληθεὶς. Quid quod ne in latinis quidem legitimi ſunt numeri? In ſecundo verſu: quas priſca domos dedit indigena tribrachys eſt loco anapaeſti vel cuiuscunque pedis quatuor temporum. Quod vitium commune eſt Grotio cum Ioſ. Scaligero, Flor. Chriſtiano, aliisque, opinor omnibus qui ſaeculo hoc et ſuperiore vel Tragoedias Graecas latine verterunt, vel ipſi ſcripſerunt nouas: quibus ſolenne eſt anapaeſtos ſuos paſſim, vbi nulla clauſula eſt neque interpunctum, tribrachi vel trochaeo vel cretico terminare; vel etiam vocali, aut litera M. finire, verſu proximo ab alia vocali vel H. incipiente. Scilicet etiam hic vt alibi poſtremam in verſu ſyllabam communem eſſe arbitrantur. Nae iſti, ſi olim ſtante re Graeca et Romana ſuas fabulas edidiſſent, ſibil[illegible]λωγμοῖς e ſkena exploſi fuiſſent. Non enim Graecis ea licentia permiſſa

Nec data Romanis venia eſt indigna poetis.

Fas erat duntaxat verſum illum, qui paroemiacus dicitur, trochaeo claudere. Eo vſque non aliter continuari debebant anapaeſti vel pares anapaeſto pedes, ac ſi vnicus eſſet verſus. Quin et Seneca Tragicus, vt ſcias eum de induſtria temperauiſſe, ſemel tantum atque iterum trochaeo anapaeſtos clauſit, nec niſi finita ſententia: qui ſcilicet paroemiaci locus eſſet, niſi is ſcriptor neſcio cur verſum illum repudiaſſet. Veteres tamen Latinos minime aſpernatos eſſe Paroemiacum, ſed et hic Graecorum veſtigiis inſtitiſſe ſcire dabitur ex iſtis reliquiis, iisque, ni fallor, ſolis. Attius Phinidis.

Simul et circum magna ſonantibus
Excita ſaxis ſaeua ſonando
Crepitu clangente cachinnant.

Locus eſt apud Nonium in Cachinnare. Sed nemo a me impetrabit, vt verba Attii ſana eſſe concedam. Quorſum enim pertinent: magna ſaeua, et: ſonantibus ſonando? Peccaturus ſum, vti ſpero, intra veniam, ſi parum proſpere medicinam experior. Ex ipſo fabulae nomine magna ſuſpicio eſt de Harpyiis verba fieri. Fallor itaque, an ſic legendum eſt?

Simul et circum ſtagna ſonantibus
Excita ſaxis ſaeua Celaeno
Crepitu clangente cachinnat.

Illud: clangente proprie et apte dictum eſt de Harpyiis Virgilius:

At ſubitae horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas.

Quin et ſtagna bene repoſui, approbante ibidem Virgilio:

Obſcaenas pelagi ferro foedare volucres.

Attius Telepho:

Iamiam ſtupido Theſſala ſomno
Pectora languentque ſenentque.

Id. Euryſace:

Super Oceani ſtagna alta patris
Terrarum anfracta reciſam.

Pacuuius Niptris:

— Operite, abſcedite; iamiam
Mittite: nam attrectatu et quaſſu
Saeuum amplificati' dolorem.

Attius Philocteta:

Heu quis ſalſis fluctibu' mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi?
Iamiam abſumor: conficit animum
Vis volneris, vlceris aeſtus.

Idem apud Cic. 2. Tuſcul. „Vnde ignis lucet mortalibus clam „diuiſus? eum doctus Prometheus clepſiſſe dolo poenasque „Ioui fato expendiſſe ſupremo.“ Qui locus ſic ad anapaeſtos ſuos eſt reducendus:

Vnde ignis cluet immortalibu'
Clam diuis vel catu' doctu' nimi doctu' Prometheus
Clepiſſe dolo, poenasque Ioui
Furti expendiſſe ſupremo.

Vt ad Porphyrium reuertar; illud vtique ſcire cupio, quo auctore vir Illuſtriſſ. ταυροδέτρῳ κραθεῖσα de conglutinatione acceperit. Nam κραθεῖσα, niſi omnia me fallunt, eſt permixta et temperata, non coniuncta et compacta: Ταυρόδετρον autem, vt principio dixi, plane barbarum. Quin et ταυρόδετος non alibi reperio; neque vero intelligo, qui commode dici poterit. Vt ἁλυσίδετος eſt ἁλύσεσι δεθεὶς, κηρόδετος, κηρῷ et ſi qua ſunt alia: Sic et ταυρόδετος fuerit ταύρῳ δεδεμένος, Tauro compactus, non glutino taurino. Nam quis obſecro ταῦρον vſurpauit ἀντὶ τῆς ταυροκόλλας? Demiror tamen vnde illa in Porphyrii et Erotiani codices irrepſerint. Haud ſane temere factum id videtur: itaque hae-

ret haec res; neque prompte expedire possum. Ne tamen ἀσύμβολος huc veniam, donec aliquid melius succurrit, censeo vt ταυροδέτῳ de medio auferatur: (cum sine eo plena sit sententia τῷ κολληθεῖσα ἅρμας, ex Homerico isto, vt videtur adumbrata:

Κολλητὰς δ' ἐπέθηκα θύρας πυκινῶς ἀραρυίας.

Atque hoc pacto βάσις ista ἀναπαιστικὴ, versus videlicet qui paroemiacum antecedit, monometrum erit acatalectum; vt profecto plerumque est, et in hoc ipso quidem loco plus semel.) Caetera autem porro sic legantur:

Ηκω ζαθέους ναοὺς προλιπὼν
Οἷς αὐθιγενὴς τμηθεῖσα δοκοὺς
Στεγανὰς παρέχει Χαλύβων πελέκει
Καὶ κολληθεῖς'
Ατρεκεῖς ἅρμας κυπάρισσος.
Adsum a sanctis templis, validas
Quibus indigena est sueta cupressus
Praebere trabes, caesa securi
Chalybum, atque arctas
Compages glutine vincta.

Alibi nimis occupatum habuit animum ὁ πάνυ, cum illud δρῦς comminisceretur. Cur enim quercus vocaretur αὐθιγενής? quid? non alibi tam frequens quam in Creta nascebatur? Ego vero, vt primum oculis verbum illud agnoui, continuo deprehendi κυπάρισσος a poeta scriptum esse non κυπαρίσσου. Cum enim illic meminerам esse vere αὐθιγενῆ, et Creticam propterea appellari a Plutarcho: Η Ισθμικὴν πίτυν ἢ Κρητικὴν κυπάρισσον· Sicut et Idaeam a Nicandro:

Σπέρματα βουπλεύρουτε καὶ Ιδαίης κυπαρίσσου.

et Virgilio:

Nec salici lotoque neque Idaeis cyparissis.

Plinius XVI, 33. de cupresso loquens; Huic, ait, Patria insula Creta cum Cato Tarentinam eam appellet, credo quod primum eo venerit: et in Aenaria succisa regerminet. Simili sane tralatione, quam Euripides Cretae indigenam vocat, ei patriam esse Cretam Plinius commemorat. Sed in eius verbis macula inest foedissima, quanquam haud valde δυσέκπλυτος. Quippe pro Earia non magna mutatione legendum est Tarra. Siquidem interpretatur haec Theophrasti lib. 2. Hist. c. 2. Κυπάριττος δὲ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις ἀπὸ σπέρματος, ἐν Κρήτῃ δὲ καὶ ἀπὸ στελέχους, οἷον καὶ ἀπὸ τῆς Κουρᾶς ἐν Τάῤῥα· παρὰ τούτοις γὰρ ἐστιν ἡ κουριζομένη κυπάριττος. Mihi quidem hoc certius est, quam illa quae apud Sagram. Sed quia difficulter hoc nonnullis atque aegre persuaderi vi-

deo, agedum ex Solino *πειθανάγκην* admoueamus *θετταλικὴν*, vt contra ſi quis ſentiat, mihi ſentiat. Eius verba ſunt c. XVII. „Mira ſoli Cretici indulgentia: arborarii prouentus abundantes: nam in huius tantum inſulae parte repullulant caeſae cupreſſi.„ Profecto aut Tarra in Plinio ſuo legit Solinus, aut Aenariam arbitratus eſt partem eſſe Cretae. Quamne antea cap. VII. in inſulis Italicis numerauit: Oris eſſe ferrei oportet, qui hoc dixerit. Quis autem credat cupreſſos in Aenaria ſponte naſci? Ecquisnam iſtuc memoriae prodidit? non magis mehercule quam Batti Silphion aut auriferas malos Heſperidum. Verum vt alterius progrediamur, etiam Solinum non ab omni parte ſanum eſſe exiſtimo. Valde enim ſuſpicor ita ſcriptum eſſe antiquitus: Nam in Tarra huius inſulae parte repullulant. Nec enim a vulgata lectione longe nimis abſcedo: nec probabilem cauſam reperire poſſum, cur abſtineret eam partem inſulae ſuo vocabulo nominare. Dicerem etiam ſi animus eſſet hariolari coniectura, ſimilitudinem verborum Catoni impoſuiſſe, cum cupreſſum Tarentinam appellaret. Siquidem vrbs Cretae *Τάῤῥα*, Tarentum autem *Τάρας*, vocatur. Lanam quidem et purpuram, mel, ſalem, oleam, ceram, porrum, pectunculos, oſtreas, nucem, caſtaneas, ficus Tarenrentinas animaduerti fuiſſe in pretio, cupreſſum Tarentinam cedo mihi vnum, qui ſupra caeteras laudauerit, praeter Catonem. Verum hoc obiter, et magis ioco dictum exiſtimo, quam quod in eo ſim ſententia. Iam quod Euripides iſtam arborem dicit firmiſſimas trabes templis praebuiſſe, firmat id adeo emendationem noſtram: cum cupreſſum omnes vno ore teſtentur *χρονιωτάτην* eſſe atque *ἀσαπεςάτην*· et quod caput eſt, egregie praeter caeteras in Deorum aedibus locum et honorem inueniſſe. Hermippus apud Athenaeum:

— *ἐκ δ᾽ Αἰγύπτου τὰ κρεμαςὰ*
Ιςία καὶ βύβλους, ἀπὸ δ᾽ αὖ Συρίας λιβάνωτον.
Η δὲ καλὴ Κρήτη κυπάρισσον τοῖσι θεοῖσι.

Theophraſtus Hiſt. ς. et ς. *Τούτων δὲ χρονιώτατα δοκεῖ τὰ κυπαρίττινα εἶναι. τὸ γοῦν ἐν Εφέσῳ, ἐξ ὧν αἱ θύραι τοῦ νεὼ τεθησαυρισμέναι, τάσσαρας ἔκειντο γενεάς. μόνα δὲ καὶ σιλβηδόνα δέχεται*· Fallor, au oratio haec *σολοικίζει*? Quo enim illud *τὸ* referri poſſit? lego: *τὰ γοῦν ἐν Εφέσω, ἐξ ὧν αἱ θύραι τοῦ νεὼ, τεθησαυρισμέναι τάσσαρας ἔκειντο γενεάς.* Dicit materiam iſtam cupreſſinam per 4 ſaecula ſiue CCCC annos, ex quo primum caeſa eſt, reconditam fuiſſe; priuſquam ad valuas Epheſini templi adhiberetur: et tamen incorruptam durauiſſe. Ea Theophraſti ſententia eſt. Profecto nihil hac emendatione certius et euidentius. Auſim equidem deierare

non aliter legiſſe Plinium; ſiquidem ad haec Theophraſtea reſpexit, cum Epheſiae dicat Dianae templum tota Aſia exſtruente quadringentis annis peractum eſſe; et valuas eſſe e cupreſſo, etiam quadringentis prope annis durare materiam omnem novae ſimilem. Scilicet tunc fere materia caedi ſolet, cum aedificii fundamenta iaciuntur: valuae autem tum demum fieri, cum caetera omnia perfecta ſunt atque abſoluta. Hac quidem argumentatione Plinius videtur vſus: rectene an perperam, nulla mihi quaeſtio eſt in praeſentia. Illud adeo admiror, eruditis viris, qui tantopere locum hunc exagitauerunt, nihil huius omnino ſuboluiſſe. Sed εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ. Porro etiam noſtra aetate, vt referunt qui ea loca viſerunt, tanta cupreſſorum vis eſt in Creta; vt domorum omnium trabes contignationesque atque adeo nauigia ex ea materia conſtruantur.

Pag. 109 Περὶ ἧς Φαίδρας ὁ σοφώτατος Εὐριπίδης μετὰ ταῦτα συνεγράψατο δρᾶμα ποιητικῶς. Sine controuerſia reſpexit Malelas ad Euripidis Hippolytum: prioremne an poſteriorem nec poſſumus reſciſcere, nec ſane multum refert. Scimus vtrumque ſaluum extitiſſe per diuerſa tempora Erotiani, Pollucis, et Stobaei: Quae Stobaeus ex Hippolyto citat, eorum ne dimidiam quidem partem hodie inuenias. Fruſtra ibidem quaeras, quae Erotianus affert et Pollux. Ariſtophanas Ranis:

Τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ πνεῖν δὲ δειπνεῖν καὶ τὸ καθεύδειν κώδιόν.

Ταῦτα, ait Scholiaſtes, ἐξ Ἱππολύτου δράματος. Age quaerat hoc, qui velit in inueſtigando operam perdere. Verum aut librarii peccatum eſt, aut auctoris ἁμάρτημα μνημονικόν. Aliunde enim cognoſcimus tralata eſſe ἐκ Πολυΐδου δράματος.

Τί δ' οἶδεν εἰ το ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν.

Hippolitus ſecundus qui hodie ſupereſt, Στεφανίας ſiue Στεφανηφόρος inſcribitur: prior Καλυπτόμενος. Pollux IX. c. 5. Εὐριπίδης ἐν Ἱππολύτῳ καλυπτομένῳ — πρὸς ἵππων αὐθὺς ὁρμήσας στάσιν. Nec tamen omnino diuerſae erant fabulae, ſicut Iphigenia in Aulide et in Tauris, Oedipus Tyrannus et in Colono, Prometheus Δεσμώτης et Λυόμενος. Vix, immo ne vix quidem hoc fieri poteſt, cum Drama poſterius rem omnem, vti geſta eſt, complectatur; ab eo tempore quo primum θέλατον priuigni amorem Phaedra conceperat, vſque ad Hippolyti mortem reperias. Quin mihi perſuaſiſſimum eſt eam ob cauſam Καλυπτόμενον eſſe inſcriptum; quod in extrema fabula ſis loquatur Hippolytus moribundus:

Κεκαρτέρηται τἀμ᾽ ὄλωλα γὰρ πάτερ,
Κρύψον δέ μου πρόσωπον, ὡς τάχος, πέπλοις.

Proinde in vtraque fabula comperiebantur hi verſiculi. Similiter et alteri ΣτεφανηΦόρου nomen eſt indictum, propter haec verba Hippolyti non longe a principio:

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν ϛέφανον ἐξ ἀκηράτου
Λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω.

Non igitur δρᾶμα nouum erat Hippolytus ΣτεΦανίας, ſed correctum duntaxat, atque interpolatum, διασκευὴ τοῦ προτέρου. Vetus Grammaticus Argumento Hippolyti. Εϛὶ δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ ΣτεΦανίας προσαγορευόμενος. ἐμΦαίνεται δὲ ὕϛερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι. Qui neſcit quid ſit διασκευὴ et διασκευασμένον δρᾶμα, conſulere poterit Caſaubonum ad Athenaeum: Eius ego ſcrinia non compilo; ſed Heſychii locum emendatum curabo, quem nec ille nec alius quiſquam intellexiſſe videtur. Λυδίζων, χορεύων διὰ τοὺς Λυδούς, οἳ σώζονται μὲν, διεσκευασμένοι δ᾽ εἰσίν. Ita lege locum, cuius haec eſt ſententia: Magnes veteris comoediae ſcriptor drama docuit Λυδούς, qui tunc ſuperfuerunt, quo tempore Grammaticus, qui primus haec dixit, in viuis fuit; ſed ſub incudem reuocati, nouaque lima perpoliti. Photius Patriarcha: Λυδιάζων, Λυδοὶ Μάγνητος τοῦ κωμικοῦ διεσκευάσθησαν. lege vt apud Heſychium: Λυδίζων. Caſtigandus autem Suidas, qui Λυδιάζων habet abſque interpretatione. Idem Heſychius: Ψηνίζων, τοὺς Ψῆνας λέγει τοὺς τοῦ μάγνητος. Scribe τοὺς Ψῆνας τοῦ Μάγνητος. Siquidem ille etiam fabulam Ψῆνας publicauit. Ariſtophanes Equitibus:

Ταῦτα μὲν εἰδὼς ἃ ᾽πάθε Μάγνης ἅμα ταῖς πολιαῖς κατιούσαις
Ὃς πλεῖϛα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔϛησε τρόπαια,
Πάσας δ᾽ ὑμῖν Φωνὰς ἱεὶς, καὶ ψάλλων καὶ πτερυγίζων,
Καὶ Λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις.

His verbis Magnetis fabulae Βαρβιτίδες ſiue Βαρβιτιϛαὶ, Ὄρνιθες, Λυδοὶ, Ψῆνες, et Βάτραχοι indicantur. Cogita autem, qui pax inter Heſychium Photiumque, et Anonymum περὶ κωμῳδίας conciliari poſſit: Hic enim omnia Magnetis ſcripta deperiiſſe dicit, οὐδὲν σώζεσθαι. Μάγνης Ἀθηναῖος ἀγωνισάμενος Ἀθήνησι νίκας ἔχεν ιά. τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σώζεται· τὰ δὲ ἐπιΦερόμενά ἐϛιν ἐννέα.

Non noſtrum inter eos tantas componere lites.

Pag. 148. Ὁ γὰρ σοΦὸς Εὐριπίδης δρᾶμα ἐξέθετο περὶ τοῦ Κύκλωπος, ὅτι τρεῖς εἶχεν ὀΦθαλμοὺς σημαίνων τοὺς ἀδελΦοὺς et quae deinceps ſequuntur. Os hominis! Hoccine vt

Euripides vel in somniis dixerit? Bene factum, quod etiam nunc Cyclops superfit. Quod si ita rem, prout narrat Ioannes, se habere comperias, non recuso quin, quod grauissimae poenae loco fore putes, per omne vitae tempus noctes diesque versandi mihi sint, et ediscendi adeo Annales hi Volusiani, Malelani volui dicere.

Pag. 210. Ὡς ὁ σοφὸς Ευριπίδης δρᾶμα τοῦ αὐτοῦ Μελεάγρου ἐξέθετο. Meleagri Fabulae mentionem faciunt Macrobius, Stobaeus, Scholiastes Pindari cum aliis. Latine conuertit Attius, Hesychius: Καθωσίωσε, κατέλυσε, κατεύθυσεν. Ευριπίδης Μελεάγρῳ. Lego: Καθωσίωσε, κατέθυσε. Vox altera non aliter quam litura sananda est. Nempe primo mendose scriptum est κατέλυσε· postea librarius aliquis paulo doctior vel lector quispiam studiosus, in libri margine vel medio fortassis inter versiculos spatio veram emendationem dederat κατέθυσε. Tandem euenit, vt vtrumque vocabulum coniuncte in versu contexteque scriberetur. Hac sane ratione cum in aliis scriptoribus, tum in Lexicographis praecipue non raro peccatum est. Quae quidem peccata cum haud cuiusuis sit odorari; profecto opus est, vt exemplis aliquot confirmemus sententiam nostram, ne temere quidquam et inconsulte loco mouisse videamur. Εζελεν, ἔβαλεν, ἔλαβεν. Eiiciendum est verbum posterius: ζέλλειν enim eidem Hesychio est βάλλειν. Ευηρότατον, εὔδιον, καλὴ γῆ. εὐήροτον, εὔγειον. Postrema ista ab emendatore quodam profecta sunt, qui prima vitiosa non inepte quidem correxerat. Totus itaque locus sic constituendus est. Εὐήροτον, εὔγειον, καλὴ γῆ. * Φυρτοῖσιν, εἰκαίοις, συμπεφυραμένοις. αἱ δὲ ἄλφιτα οἴνῳ δεδευμένα συμπεφυρμένοις. Tam scio verbum vltimum a correctore quodam esse, quam me viuere. Nulla dubitatio est, quin ita scripserit Hesychius. Φυρτοῖσιν, εἰκαίοις, συμπεφυρμένοις, οἱ δὲ ἄλφιτα οἴνῳ δεδευμένα. * Αντιδι. ἄν τινι ἐνέγμεθα, ἐναντιώμεθα. Cum vocabulum hoc veniat pone Αντιμίσθωτος, scire licet ex literarum serie sic auctorem scripsisse. Αντινι ενέγμεθα, ἐναντιώμεθα. Postea quidem, qui deprehendit erratum, supra emendauit ad hoc exemplum, scriptionis — ἀντιδι — compendium faciens. Scimus omnes ita fieri ἀντινι ενέγμεθα solere. Tandem autem ineptus quispiam librarius eam vtriusque vocis continuationem fecit, quam hodie videmus. Εκλύτρισιν, ἐκλύρισον, κάλυψον. Illud ἐκλύρισον ex eadem est officina correctorum. Scripsit Hesychius Εκλύτρισον, κάλυψον· vt ipse literarum ordo testimonio est. Media enim incedunt inter Ἔκλυτος et Εκλωπίζει. Hoc non intelligens pusillus quidam Criticus, (qui enim id intellexerit,

quod ne fando quidem vnquam auditum eſt?) emendare conatus eſt ἐνλύρισον a verbo λυρίζω. ὄνος mehercule πρὸς λύραν. Tantum enim τὸ ἐκλυρίζειν et τὸ καλύπτειν ſignificatione differunt.

Quantum Hypanis Veneto diſtat ab Eridano.

Alte profecto latet vlcus tetrum et κακοηθέςατον· quod niſi lancinata prius Heſychii exiſtimatione, negat ad ſanitatem perduci poſſe. Siquidem erubeſcendo prorſus errore poſuit Εκλύτρισον pro Ελύτρωσον· quod rectiſſime quidem interpreteris κάλυψον. Ipſe Heſychius: Ελύτροις, ΚΑΛΥΜΜΑΣΙ, σκεπάσμασιν. Ελυτρα κυρίως τὰ ἐνειλήματα ἢ ΚΑΛΥΜΜΑΤΑ. Ελυτρον, δέρμα, θήκη, λέπυρον, ἐνείλημα, ΚΑΛΥΜΜΑ, σκέπασμα. Inde ἐλυτρῶσθαι apud Hippocratem, et προσελυτροῦν apud Athenaeum, involucro tegere: ſimiliter ἐξελυτρωτρῶσαι, nudare, ex integumentis ſoluere. Heſych. Εξελύσας, ἐγύμνωσας. Satin' hoc certum et exploratum eſt, ὦ φίλη κεφαλὴ Milli ſuauiſſime? At enim vero exclamet hic aliquis: O iuuenem confidentem et temerarium! tune illum Heſychium, doctiſſimum Grammaticorum Heſychium, tantae inſcitiae affinem eſſe ſuſpicari auſis vt Εκλύτρισον ſcriberet, niſi verbum illud alicubi legiſſet, apud auctores forte quos longa dies et nimia vetuſtas ſubtraxerunt notitiae noſtrae? I iam et frontem nega de rebus periiſſe. Placide tamen amabo, O quisquis es: et reprime te tantiſper, dum alia nonnulla profero, quae te quoque ipſum velis nolis in ſententiam noſtram cogent transire. Dum enim ex antiquis Scholiaſtis, Grammaticis, Lexicis, quae non contexebantur κατὰ ςοιχεῖον, omni ex parte vocabula corradit, quibus hanc ſuam Συναγωγὴν locupletet et referciat: ſaepe vſu venit vt ab imperitis librariis, qui parum accurate ſcripſerant, vel a ſui ſimilibus Ονοματοθήκαις in errorem inductus ſit: quaeque nuſquam gentium vel lecta vel audita ſunt, lectoribus ſuis obtrudat. Illud ſis vide * Δελεδώνη, ὁ μυλαῖος ἰχθύς. Suo loco hoc leges in litera Δ. Ego vero nugas has eſſe meras tibi denuncio: ſcriptum enim oportuit Ελεδώνη, ὄσμυλος ἰχθύς. Piſcis eſt de polypodum genere; quem memorant Ariſtoteles, Athenaeus, alii. Idem Heſychius: Οσμύλια τῶν πολυπόδων αἱ ὄζαιναι λεγόμεναι, καὶ ἰχθύδια ποιὰ ἄττα εὐτελῆ. Οσμύλαι βολβιτῖναι θαλάσσιοι. Sic emendandi ſunt hi loci. Videor autem mihi videre, quid errationis anſam Heſychio dederit. Nimirum in auctore ſuo ſcriptum erat ἡ δ' ἐλεδώνη vel μιαρὰ δ' ἐλεδώνη vel ſimile quippiam: ille miſer, cum ſua aetate libri carerent ſignis accentus, δελεδώνην piſcem effinxit, qualem neque Nereus, neque Neptunus, nec ipſe pater Oceanus agnouerit. Ecce aliud huic geminum et germanum: * Θολ-

κάζει, χαλιναγωγεῖ. Nemo vt opinor inficias iuerit, quin ita scriptum fuerit, absque tamen notis accentus: Ιππους ϑ' ὁλκάζει, vel Νῆας ϑ' ὁλκάζει, Ipse Hesychius: Ολκάζει, ἕλκει, χαλιναγωγεῖ. Illud autem ϑολκάζει cedo quenquam mortalium qui legerit. * Ενδεκάτευσα, τήνδε κώπην ἐπαρξάμην. Recta serie hoc scriptum offendes, vt et alia quae deinceps a me proferentur: quod certo indicio est non a Librario, sed ab ipso Hesychio peccatum esse. Atqui ad hunc modum edidisse debuit: Εδεκάτευσα, τὴν δεκάτην ἐπραξάμην· * Διατεύονται, μερίζονται. et Διατεύοντο, ἐμερίζοντο. Ea similitudo est δ et δι in libris calamo notatis, vt haud facile sit dignoscere. Inde est quod mendosa ea posuerit pro Δατέονται et Δατέοντο. quae legas apud Homerum. * Σικυλλιᾶν, τὸ τοὺς κροσσοὺς ἀποσείεσθαι. Verbum hoc reperies inter Σίβολε et Σιβύνη. Ipse literarum ordo satis argumento est ab Hesychio positum esse Σίβυλλιᾶν. Idque errore manifesto pro Σιλλυβιᾶν. Hesychius Σίλλυβα, κροσσοί. οἱ δὲ τὰ ἀνθέμια καὶ κορονόσμια. Pollux VII, c. XIV. τοὺς δὲ θυσάνους καὶ σίλλυβα οἱ παλαιοὶ καλοῦσι ποιηταί. Sic locus iste legendus est ex codice MS. qui fuit If. Vossii. Θύσανοι autem cum Polluci tum Hesychio sunt κροσσοί. * Ερεθέντα ἐν ὕδασι ἀποπνιγέντα. Εραθεντι, ληφθέντι. Portentosi errores. Primo oportuit scriptum, Ερχθέντα. Ipse enim alibi: Ερχθέντα, ἐν ὕδασι ἀποπνιγέντα. Ita Photius Patriarcha in Lexico MS. Ita Suidas. Locus est in Φ Iliadis:

Νῦν δέ με λευγαλέῳ πότμῳ εἵμαρτο ἁλῶναι
Ερχθέντ' ἐν μεγάλῳ ποταμῷ, ὥς παῖδα συφορβὸν,
Ον ῥά τ' ἔναυλος ἀποέρσει χειμῶνι περῶντα.

Iterum, illud Εραθέντι librarii peccatum est pro Ερεθέντι. Constat hoc ex elementorum ordine. Qui quidem est error auctoris pro Αἰρεθέντι. Αι et Ε apud Graecos non differunt pronunciatione; de qua re postea plura dicemus. Ecce alia monstra: * Επαλογῆς, σπουδῆς, ἀνταποδόσεως. Quam turpiter autem hic se dedit! adeo quidem vt hominis me pudeat pigeatque. Siquidem Ανταποδόσεως est ἐπαλλαγεῖς, et Σπουδῆς est ἐπειγωλῆς· putidum autem suum ἐπαλογῆς. Ipse habeat secum seruetque sepulchro. * Αχινάων, τῶν ἀχιδάων, Hercules, tuam fidem! enimuero non ab omnibus portentis Graeciam liberasti. Erat hominis eruditi sic edidisse: Εχινάων, τῶν Εχινάδων. Verbi sedes in Homeri Boeotia est:

Οἱ δ' ἐκ Δουλιχίοιο Εχινάων ϑ' ἱεράων.

* Ηθέσει, ἀνθεῖ, ἀγνοεῖ, παρορᾷ. Adeste huc coniectores et interpretes portentorum. Negant vsquam quidquam monstrosius vidisse. Scilicet haec vera scriptura est, Αηθέσσει,

ἀηθεῖ. Etymologicon magnum. Αηθέσσειν, ἀγνοεῖν, ἀπείρως ἔχειν. Αηθεῖν, λανθάνειν, ἀνεπιστημονεῖν. Hesychius ipse: Αηθεῖν, μὴ ἠθεῖσθαι· μὴ νοεῖν lege ἀηθεῖν, μὴ εἰθίσθαι· Αήθεσκον, (lege ἀήθεσσον) ἀσυνήθεις ἦσαν. * Ελεντὺν, ἔλαιον·| Mira vero Grammatici eruditio. Poteras haud paulo melius; Ελεητὺν, ἔλεον; siquidem Homerici illius meminisses:

Οὐκ ὄπιδα Φρονέοντες ἐνὶ Φρεσὶν οὐδ᾽ ἐλεητύν.

* Ατρεμῆ, ὑγιεῖα. Pace quod tua dicatur, Hesychi, in his verbis οὐδὲν ὑγιές. Imposuit tibi depravatus aliquis codex: oportuit enim Αρτεμῆ, ὑγιᾶ. Te ipsum arbitrum capio, qui haec alibi: Αρτεμῆ, σῶον, ὑγιᾶ, σώφρονα. Αρτεμέα, ὑγεία, (lege ὑγιᾶ) ὑγιῆ. Αρτελὲς, (corrige Αρτεμὲς) ὑγιές. Necdum peccandi finis: Ecce enim de integro: * Αρτηνεστέραν, ὑγιεστέραν, ἐντιμοτέραν. Duplex erratum est, hoc librarii, illud auctoris. Apparet enim cum ex ordine, tum ex interpretatione, non aliter scripsisse Hesychium quam Αρτιμεστέραν· nempe vel scripturae mendum, vel minutae fugientesque literae, vel nimia festinatio in causa fuit, cur illud exhiberet pro Αρτεμεστέραν· Cum autem ἀρτιμεστέραν non multum absimile sit τῷ Τιμηεστέραν· ille secundam interpretationem liberalissimo donauit de suo, prout error errorem generare solet. * Ατισιλινοῖς, περὶ τὰ λινὰ ἐξαμμάτων δέσεσιν. Dic sodes, annon Aenigma tibi videntur haec? Equidem non sum Oedipus, ausim tamen pro certo polliceri, rectam scripturam esse Αψῖσι λίνου. Hesychius alibi: Αψῖσι λίνου, ἄμμασιν ἀπὸ τῆς συναφῆς. Homerus quinto Iliadis:

Μήπως ὡς ἀψῖσι λίνου ἀλόντε πανάγρου
Ανδράσι δυσμενέεσσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γένησθε.

Quid ego de istis dicam, quae pagella proxima mihi in oculos incurrunt? * Αριστῆραι, δοῦλαι. Deceptus est similitudine literarum Α et Δ. Siquidem oportuit Δριστῆραι. Ipse alio loco: Δρηστῆναι, Διάκονοι, θεράπαιναι. lege Δρηστῆραι. Verbo monendum est ι, ει, et η in Lexicis, praesertim apud hunc nostrum, promiscue vsurpari: vera enim analogia requirit, vt δρήστειραι scribamus. Locus est Odyss. Τ.

Τάων αἳ τοι δῶμα κάτα δρήστειραι ἔασιν.

Vide tamen, vt magnifice de se loquatur ad familiarem suum Eulogium. Οὐ γὰρ, ait, ὀκνήσω μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν, ὅτι τῶν Αριστάρχου καὶ Απίωνος καὶ Ηλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας, καὶ τὰ βιβλία προσθεὶς Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα, ταῦτα δ᾽ αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς κατὰ τὸν γραμματικὸν Ηρωδιανόν. Ego vero, qui Theo-

dosii MStam ἐπιτομὴν τοῦ Καθόλου Herodiani lectitaui, testificor parum huic promisso vel nullo modo satisfactum esse. * Αρήσθορεν, ἐπήδησεν. Vitiosius hoc quidem quam illud alterum Αρεσθορεν, ἐπήδησεν. Sed ex vtraque parte ostendit, non lautissimam doctrinae supellectilem sibi domi fuisse. Quae enim haec conglutinatio verborum, quae dissolui denuo diuelli que desiderant? Hom. Iliadis M'.

— ὁ δ' ἄρ' ἔσθορε Φαίδιμος Εκτωρ
Νύκτι θοῇ ἀτάλαντος ὑπώπια.

Αρενοβοσκὸς, προβατοβοσκός. Mirifice quidem, vt nihil supra. Atqui ἀρὴν ἀρῆνος, puto, dicitur, non ἀρένος· vnde πολύῤῥηνες, et οἷς ὑπόῤῥηνος Imo, quin Iambei principum fuerit apud Sophoclem Αρηνοβοσκὸς — ne dubitandum est quidem. Melius ipse alibi: Αρηνοβοσκὸς, προβατοβοσκός, ΣοΦοκλῆς Τυροῖ καὶ γράφεται δὲ ἐῤῥηνοβοσκὸς, διάτε τοῦ * ἔω καὶ τῶν βόρων. Verum hic quidem locus a librario pessime acceptus est: ipse auctor procul abest a noxa. Lege ΣοΦοκλῆς Τυροῖ β̄. γράφεται δὲ καὶ ἐῤῥηνοβοσκὸς διά τε τοῦ ε̄ καὶ τῶν β̄ ρ̄ῶν. Scribitur, ait, ἐῤῥηνοβοσκὸς per literam ε̄ et duplicem ρ̄. Etymologicum magnum: Εῤῥηνοβοσκὸς, ὁ προβατοβοσκὸς ἐν Τυροῖ β̄ ΣοΦοκλῆς. * Εμπήρους et Εμπηροι vitium Exemplari est pro Εμμήρους et Εμμηροι. Ipse alibi emendate: Εμμήρους, ἐν ὁμηρείᾳ ὄντας, παρὰ τοὺς ὁμήρους τοὺς ἐπὶ συμβάσει διδομένους. Totus autem locus ad hunc modum constituendus est: Εμμήρους, Δημήτριος ἐν Σικελίᾳ.

Λακεδαιμόνιοί θ' ἡμῶν τὰ τείχη κατέβαλον,
Καὶ τὰς τριήρεις ἔλαβον Εμμήρους, ὅπως
Μηκέτι θαλαττοκρατοῖντο Πελοποννήσιοι.

Demetrius iste Comicus fuit; et illa fabula inscripta est Sicilia. Quare perperam hactenus iudicarunt viri docti; qui scriptorem eum Historicum, orationem autem prosaicam esse censuerunt. Athenaeus Lib. 3. Δημήτριος ὁ κωμῳδοποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραΦομένῳ δράματι Σικελίᾳ. Etymologici auctor Σικελοὺς inscribit, non Σικελίαν· eum vide in Εμμήρους. * χωρονομεῖν, ὀργίζεσθαι. Oportet vt conniuentibus oculis haec legerit Hesychius. Ego quidem meis vix fidem habeo, cum ista lego. Procul dubio sic scriptum est a prima manu: χειρονομεῖν, ὀρχεῖσθαι. Ipse alibi: χειρονόμος, ὀρχηστής. Manuum iste motus cum certa lege et numero bonam partem saltationis olim constituebat. Plena sunt exemplorum omnia. Lucretius:

Quod ſupereſt, non eſt mirum ſimulachra moueri
Brachiaque in numerum iactare et caetera membra.

Et poſtea:

Quid porro, in numerum procedere quum ſimulachra
Cernimus in ſomnis, et mollia membra mouere,
Mollia mobiliter quum alternis brachia mittunt.

* Κάλυψιν .κάλυκα ἀντιςρόφως. Medium hoc verbum eſt inter Καλυδώνιον et Κάλυκας. Agnoſco manum et ingenium Correctoris, qui videlicet, cum in Heſychio ſuo legerat Κάλυψιν, κάλυκα, idque animaduerterat extra feriem, et praepoſtere poni, adſcripſerat in margine e regione loci, Αντιςρόφως; nempe vice verſa legi oportere Κάλυκα, κάλυψιν. Poſtea illud ἀντιςρόφως per inſcitiam librariorum inſinuauit ſe in verſum. Quis huius rei ante nos ſuſpicionem habuit? Quin et alibi poſt vocem Προσβάλλοιντο, quae et ipſa vitioſa eſt, haec leges; Προσελθὼν, προσβαλὼν ἐξ ἀντιςρόφως. Dele hoc nouiſſimum, quod nimirum ab emendatore eſt qui adnotauerat legendum eſſe e conuerſo: Προσβαλὼν Quo nihil verius dici potuiſſe cenſeo: ſed in altero, quicunque fuit, longiſſime a vero abfuit. Profecto plus toto coelo diſtant Κάλυξ et Κάλυψις. Ego vero pro explorato prorſus habeo ſic ſcriptum eſſe ab Heſychio; Κάλυζιν, κάλυκα· nempe deprauate loco Κάλυξιν· ζ pro ξ. quem errorem millies errauiſſe eum, ſi hic locus eſſet, nunc poſſem oſtendere. Quam recte autem Κάλυξιν interpretetur κάλυκα, melius eſt vt ipſum ad teſtimonium vocemus: Καλύξεις, ῥόδων καλύκια. Κάλυξις, κόσμος τις ἐκ ῥόδων.

Habeo alia ſexcenta, quae hac vice condonabitur. Verum hercle ſi vnquam vſus fuerit, vt noua Heſychii editio procuretur, qui, vt in pudendos errores crebro inciderit, vtiliſſimus nihilominus et pene neceſſarius eſt omnibus, qui ad veram eruditionem viam affectant:

Id tibi de plano poſſum promittere, Milli,

quinque plus minus millia mendorum me correcturum eſſe, quae aliorum εὐςοχίαν et laborioſam diligentiam hactenus eluſerunt. Vt illuc, vnde abii, redeam: multos vbique Lexicorum locos contaminauerunt Correctiones illae in librorum marginibus: quod ex illo tempore verbum mendoſum cum altero iunctim continuaretur in verſu; non, vti factum oportuit, litura tolleretur. Luculentum huius rei exemplum extat apud Iulium Pollucem lib. VII. cap. XXXIII. vbi inter varia nomina iactuum in ludo talario nominantur ἄρτια et ἁρματίαι, ἀντίτευχος et ἀντίτυπος, ἐπιφένων, et ἐπιφόρων. Sed ex hiſce binis non niſi ſingula quaeque a Polluce profecta ſunt, cae

tera qua dixi via insinuarunt se in orationem. Cui quidem sententiae non inuitus accedet, qui iam primum a me didicerit Iambicos esse trimetros ex Eubuli fabula Aleatoribus. Locus hoc exemplo constituendus est, O μέν τοι Μίδας καὶ τῶν μέσων βόλων ἦν. Καὶ ἄλλοι δὲ πολλοί εἰσιν, οὓς ὀνομάζει Εὔβουλος ἐν τοῖς Κυβευταῖς.

Κεντρωτὸς, ἱερὸς, ἅρμ' ὑπερβάλλον πόδας
Κήρηνος, εὐδαίμων, κυνῶτος, ἄρτια,
Λάκωνες, ἀντίτευχος, ἀργεῖος, δάκνων,
Τιμόκριτος, ἐκλείπων, πυχλίτης, ἐπίθετος,
Σφάλλων, ἀγύρτης, οἶστρος, ἀνακάμπτων, δορεὺς,
Λάμπων, κύκλωπες, ἐπιφέρων, σόλων, σίμων.

Horum autem versuum ignoratione tota via errauit Ioannes Meursius, qui eos omnes inter iactus medios recenset. Nempe non Eubuli esse verba sed Pollucis, et quia Midas esset τῶν μέσων βόλων, itidem et sequentes esse arbitratus est. Sed parum est dubitationis, quin boni fuerint Εὐδαίμων, et ἅρμ' ὑπερβάλλον πόδας, qui nimirum aliis iactibus tanto anteiret, quanto qui pedibus iter faceret, a curru vinceretur; πεζὸς, vt aiunt, ὁδεύων παρὰ Λύδιον ἅρμα. Δάκνων autem et σφάλλων et ἐκλείπων merito opinor suo pro infelicibus haberi possunt. Sed ad Antiochensem redeo: nam sero sensi longe longeque delinasse me a proposito,

Singula dum capti circumuectamur amore.

Pag. 172. Καθὼς ὁ σοφώτατος Εὐριπίδης ἐξέθετο δρᾶμα ποιητικῶς, ὧν μέρος ὀλίγον ἐστὶ ταῦτα. Multa quidem transcripsit Malelas ex Iphigenia in Tauris; quae ex vsu fuerit ad Euripidea exigere, quo de eius doctrina, et fide cognoscamus: si quis ilia tam dura habeat, vt eam molestiam deuorare possit. Mihi enim, qui iam lentus et fastidiosus esse coepi, dabis veniam; si plura reiiciens et aspernans, unumquidquid quod erit bellissimum carpsero. Velut illud p. 172. in Oraculo: Εἰ μὴ περάσας Πόντου κύματα Σκυθίης τε γαῖαν καταλάβοις, Αὐλίδος τε χώραν. et 173. κατέφθασεν ἐπὶ τὴν Αὐλίδα χώραν τῆς Σκυθίας. Male vero sit vobis quantum est Geographorum. Rogo eos, an Scythicam illam Aulidem silentio praetermissam oportuit? quid? an vltra Cimmeriorum fines latitabat, ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένη, adeo vt nemo vestrum vsque eo potuerit oculis contendere? Euge vero, ὦ Ιωαννίδιον. profecto aptus natus es ad omnia abdita et retrusa contemplanda: tam acri es acie et mentis et oculorum.

Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.

Geminam Iphigeniam etiam pueri sciunt Euripidem docuisse τὴν ἐν Ταύροις et τὴν ἐν Αὐλίδι. Ioannes, cum Tauros esse

Scythas ab aliquo didicisset, et iam Aulidem, quae Boeotiae oppidum est, regionem iis finitimam esse arbitratus est pag. 173. Τούτους δὲ ἑωρακότες βουκόλοι ἔδραμον πρὸς τὴν Ἰφιγένειαν λέγοντες αὐτῇ. Ἀγαμέμνονος καὶ Κλυταιμνήστρας Κόρη, ἥκασι δύο νεανίσκοι παρὰ τὴν κυανέαν· quae ex his Euripideis expressa sunt:

Βουκ. Ἀγαμέμνονος, παῖ, καὶ Κλυταιμνήστρας κόρη,
Ἄκουε καινῶν ἐξ ἐμοῦ κηρυγμάτων
Ἰφ. Τί δ' ἐστὶ τοῦ παρόντος ἐκπλῆσσον λόγου,
Βουκ. Ἥκουσιν εἰς γῆν Κυανεᾶν συμπληγάδων
Πλάτῃ φυγόντες δίπτυχοι νεανίαι.

Vides Antiochensem hunc ita ἐπαριστέρως accepisse sententiam Euripidis; tanquam si εἰς γῆν Κυανέαν coniunctim dixisset. Vos iterum appello de terra hac Cyanea; vos qui Geographiae magistros vos pollicemini. Quid autem mussitatis? nam Ioannem ea loca conuisisse Cedrenus affirmat, prorsus οἴκοθεν ὁ μάρτυς. Damno itaque stultitiam meam, qui Κυανεᾶν cum συμπληγάδων componebam hactenus. Atque hercle vero serio, neque enim video cur ii bubulci sermone Dorico vterentur. Quid, malum, an Siculos se esse somniabant, non Tauro-Scythas?

Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσιν

Atqui quantumuis essent Dorienses, si πλατειάσδοισαν suam dialecton extra chorum adhibuissent, rus continuo vel in vltimas terras mandati essent non sine infortunio. Sciunt id qui harum literarum gustum aliquem habent. Adde Orationem soloecam esse; vt quidem nunc habetur, sed certe, si pro sano locutus est, sic scripsit Euripides:

Ἥκουσιν εἰς γῆν, κυανέας συμπληγάδας
Πλάτῃ φυγόντες δίπτυχοι νεανίαι.

aut, si illud Κυανέαν antiquitatis causa seruare velis, quandoquidem qua vixit Malclas tempestate iam in libris inueterauerat; in hunc modum:

Ἥκουσιν εἰς γῆν, κυανέαν συμπληγάδων
Πέτραν φυγόντες δίπτυχοι νεανίαι.

velut postea loquitur, Κἀγώ σε σώσω κυανέας ἔξω πέτρας. Eleganter autem κυανέαν πέτραν συμπληγάδων, vt nihil supra. Sic Virgilius:

Quales Threicia cum flumina Thermodontis

et Lucretius:

Puluerulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.

et iterum:

Vt Babylonica Chaldaeum doctrina refutans

et tertium:

Impellant vt eam Magnesia flamina saxi

Sic legendi sunt duo loci nouissimi; in libris vulgatis minus emendati feruntur. P. 176. Τοῦ Πελοπείου γένους σήμαντρον ἔχει ἐλαίαν ἐν τῷ ὤμῳ. Iam hoc pro explorato habeo, ἐλαίαν ab hac pecude positam esse pro ἐλέφαντα. Cui enim fando auditum est, oleaginum humerum fuisse Pelopi?

Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos,
Hippodameque humeroque Pelops insignis eburno?
Ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε
Κλωθὼ ἐλέφαντι φαίδιμον
Ὦμον κεκαδμένον.

Alia multa sunt apud Malelam ex eadem fabula tralata, quae missa facio. cur enim me mancipium faciam Παραφρονοῦντος δεσπότου? Maioris fuerit et voluptatis et fructus cognoscere, quae summus poeta Ennius de priore Iphigenia conuertit. Iulius Rufinianus de figuris sententiarum et elocutionis: *Aganactesis indignatio, quae fit maxime pronunciatione. Ennius in Iphigenia: Menelaus me obiurgat, is meis rebus regimen restat.* Dormitauit hic vir summus Ger. Vossius. Nam, si vnam syllabam addideris, trochaicus erit catalecticus.

Menelaus me obiurgat: id meis rebus regimen restitat. quod genus versus commodissime inseruit τῇ ἀγανακτήσει. vt diu est quod ipse in Tragicis Graecis obseruaui; priusquam id de Scholiaste Hermogenis didicissem. Idem Rufinianus postea: *Syncrysis siue antithesis comparatio rerum atque personarum inter se contrariarum: vt, ego, plector, quod tu peccas: tu delinquis, ego arguor pro malefactis: Helena redeat, virgo pereat innocens: tua reconcilietur vxor, mea necetur filia.* Hunc etiam locum ad Ennii Iphigeniam refert Italorum doctissimus Hieronymus Columna: inuito tamen et repugnante Vossio, partim quia auctor non laudatur, partim quia non vincta sed pedestris oratio est; ad quod mirum, ait, non attendisse Columnam. Peccet Columna, et peccat quidem, in versibus: ego vero, cum certis signis hunc Ennii foetum cognoscam, non committam vt alium, quam quo natus est, parentem sibi inueniat. Versus enim sunt Trochaici, ex eadem puto scena petiti, qua superior est:

Vt ego plectar, quod tu peccas; tu delinquis, ego arguar
Pro malefactis? Helena redeat, virgo pereat innocens?
Tua reconcilietur vxor, mea necetur filia?

Non amplius quod sciam, Euripides a Malela citatur praeterquam p. 35. Ὁ ταῦρος ἐκ τῆς Εὐρώπης ἔχεν υἱὸν τὸν Μίνω, καθὼς καὶ Ευριπίδης ὁ Σοφώτατος ποιητικῶς συνεγρά-

ψατο· ὥς φησι, Ζεὺς μεταβληθεὶς εἰς ταῦρον τὴν Εὐρώπην ἥρπασεν. Haec quidem vnde accersita sint, non certo scio, nam credibile est eum in non vna tragoedia haec obiter attigisse; vt in Cretensibus fortassis, vbi Chorus ad Minoen: Φοινικογενοῦς, παῖ, τῆς Τυρίας τέκνον Εὐρώπης καὶ τοῦ μεγάλου Ζηνός. veri tamen simile est ex Euripidis Phryxo tralata esse. Eratosthenes in Καταστερισμοῖς. Ταῦρος λέγεται ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι διὰ τὸ Εὐρώπην ἀγαγεῖν ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους, ὡς Εὐριπίδης ἐν τῷ Φρίξῳ. Profecto qui Europam Tragoediam esse nolunt, narrant nobis insomnium ex eburnea porta.

Pag. 181. Ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς μετὰ τὴν ἅλωσιν Τροίας παρ' Ἕλλησιν ἐθαυμάζετο πρῶτος Θέμις ὀνόματι· ἐξεῦρε γὰρ οὗτος τραγικὰς μελῳδίας, καὶ ἐξέθετο πρῶτος δράματα, καὶ μετὰ τοῦτο Μίνως, καὶ μετὰ Μίνωα Αὐλέας τραγικοὺς χοροὺς δραμάτων συνεγράψατο. Vtinam, vero Malelae cum praecursore suo melius conueniret? nam Iubal, si ei credimus, diu ante Troiae excidium tragoedias factitauit. Verba, ne te ludere videar, sunt p. 3. ὁ δὲ Ἰουβὰλ κιθαρῳδίας καὶ τραγῳδίας τοῖς δαιμονικοῖς ἐπιτηδεύμασι προσεπενόησεν. Quid quod ad soccum haud minus idoneus erat, si interpretem audis, quam ad Cothurnum. Nam κιθαρῳδία Chilmeado est comoedia; qui, cum ad alios ingenii cultus etiam Musicae studium adiunxerit; cur adeo ab artificio suo recederet, miror: clementer tamen, propter alia merita, suaque quasi lyra est increpandus. Vix equidem crediderim in Bibliotheca vestra Oxonii, quantacunque est, Iubaliana Dramata reperiri. Scilicet ea omnia perierunt olim;

Quando ex diluuio magno exiuere rapaces
Per terras amnes, atque oppida cooperuere.

Quarum fabularum vna cum ipsis etiam memoria occidisset; absque illo Hamartolo fuisset, qui omnia omnino meminit, Quae fuerunt, et quae nullo sunt tempore nata. Habeo tamen, quo desiderium meam et dolerem consoler; nam in mentem oportune venit fieri posse, vt locus iste vitiosus sit, et in hunc modum emendandus: Ὁ δὲ Ἰουβὰλ κιθαρῳδίας καὶ λυρῳδίας τοῖς ἁρμονικοῖς ἐπιτηδεύμασι προσεπενόησεν. Et profecto quam magis magisque cogito, nimirum acu rem tetigi; sin autem, nolim mihi quenquam posthac ne iurato quidem credere. Tandem igitur aliquando lite hac composita, quantulum est tamen quod profecimus, si Ioannes ipse pugnantia loquatur? Non enim iam ab Ilio capto primus mortalium Themis dramata fecit: siquidem ante istam memoriam Aegypti rex Pharao, vbi a negotiis et turbis requiescere volebat,

ſolitus eſt comoedias ſcriptitare. Verba ſunt Ioannis p. 76. τῶν δὲ Αἰγυπτίων ἐβασίλευσε Πετισσώνιος ὁ κωμωδὸς Φαραώ. Quid rides? Quaſi vero nouum nunc proferatur, Regem ad fabulas ſcribendas animum appuliſſe. Etiam Dionyſius Tyrannus poeta fuit tragicus, et Auguſti Aiax in ſpongiam incubuit. Quanquam, ſi emendate loqui velimus, κωμωδὸς non comicus eſt, ſed comoediae actor. Hiſtrioniam igitur fecit Pharao; Thraſonis, opinor, vel Pyrgolopolinicis partes agens; vt Nero poſtea Oedipodis vel Creontis. Verum haec ipſius Malelae ſtultitiam ſuperant; vt ea quae dixerit, non pro homine ſano loqui, ſed ad agnatos et gentiles deducendus eſſe videatur. Sine dubio vitium eſt exemplaris, quo tamen modo tollendum ſit, minus id poſſum coniectura aſſequi. Quid ſi legamus, Πετισσώνιος, ὁ τῷ Μωσεῖ Φαραώ. Petiſſonius, qui a Moſe Pharao vocatur? Si caput ſcaberem fortaſſe aliud melius poſſem exſculpere: Sed indignus eſt Ioannes, cuius cauſa commentari velim quidquam, niſi ſi quid ex facili naſcatur. Itaque vt ad Themin iſtum propius accedamus. Eadem cum Antiochenſi narrat, et in eodem doctus eſt ludo Scholiaſtes vetus neſcio quis apud Stanleium in vita Aeſchyli: Ἐν τοῖς χρόνοις Ὀρέςου ἐθαύμαζετο παρ' Ἕλλησι Θεόμις, ὃς πρῶτος ἐξεῦρε τραγωδικὰς μελωδίας, καὶ ἐξέθετο πρῶτος δράματα. Καὶ μετ' αὐτὸν Μίνως, καὶ μετὰ Μίνωα Αὐλέας χοροὺς τραγικοὺς συνεςήσατο. Haec habet doctiſſimus noſter Stanleius ex Bullengeri Theatro. Et tamen neuter de Themide, de Minoe vel Aulea, quod quam diligentiſſime factum oportuit, certiores nos facit. Concurrant iam omnes, quantum eſt βυβλιοτάφων, et capita inter ſe conferant: nunquam ſe expedient, neque quidquam de tergeminis hiſce tragicis reſciſcent. Narrat Clemens Στρωματίων primo τὸ ἡρῷον, τὸ ἑξάμετρον Θέμιν μίαν τῶν Τιτανίδων εὑρηκέναι. Minoem autem τοὺς νόμους· ſed quod ad praeſens negotium attinet, vacuum a ſe lectorem et hiantem dimittit. Quid enim νόμοι Minois ad nomos muſicos? Τί πρὸς τὸν Διόνυσον; neque Heroes in Tragoediis heroos Hexametros dicebant. Itaque quantum video, perpetua iam Criticis ſollicitudo et quaſi crux conſtituta eſt: niſi Callimachi Πίνακας et Ariſtophanis Grammatici Commentarium longa nocte ſepultos protrahere poſſunt in lucem. Verum heus vos? Ecquid erit praemii, ſi nodum hunc ſoluero? quod quidem ea lege e conditione faciam; vt dehinc mihi cum veſtra natione nullum omnino commercium intercedat. Enimuero ab Antiochenſi et ficulno illo, quicunque eſt, Scholiaſte grauiſſime peccatum eſt, cum in nominibus tum in rebus ipſis Prorſus quot verba, tot errata. Neque

enim agnoſco commentitios iſtos Theomin, Minoem, Auleam; quorum ego loco non dubia coniectura repono Theſpin, Ionem, Aeſchylum: neque Theſpis ea, qua rentur tempeſtate vixit: nam Solonis aequalis a Troicis temporibus longiſſime abfuit, neque Ion Aeſchylo prior fuit: neque primus Aeſchylus Choros tragicos inſtituit: quod contra chorum, qui perpetua ante oratione totam fabulam decantabat, primus diverbiis et perſonis diſtinxit. Sed operae pretium fuerit accuratius haec omnia tractare. Ac de Theſpide quidem minor eſt dubitatio, quia in diſcipulorum cathedris quotidie iſta iactantur:

Ignotum tragicae genus inueniſſe Camoenae
Dicitur, et plauſtris vexiſſe poemata Theſpis

Suidas: Θέσπις ἐδίδαξεν ἐπὶ τῆς πρώτης καὶ ξ ὀλυμπιάδος· μνημονεύηται δὲ τῶν δραμάτων αὐτοῦ. Αθλα Πελιου ἢ Φορβὰς, Ιερεῖς, Ηίθιοι, Πενθεύς. Pentheus fabula a Polluce laudatur lib. VII, c. 12. Τὸ ὄνομα ἐπενδύτης ληπτέον ἐκ τῶν Σοφοκλέους Πλυντριῶν, Πέπλους τενίσαι λινοπλυνεῖς τ' ἐπενδύτας· καὶ Θέσπις δέ που Φησὶν ἐν τῷ Πένθεῖ· Εργω νόμιζε νευρίδας ἔχειν ἐπενδύτην. De quo verſu cum nihil in praeſentia ſuccurrat, quod mihi ſatisfaciat; eius emendationem in aliud tempus differam, Sophocleum illum ſine mora expediam. Neque enim cum Caſaubono, Meurſio et Gatakero κτενίσαι ſubſtituerim; cuius media ſyllaba eſt breuis: verſumque redderet vna ſyllaba breuiorem. Non enim diiambus eſt λινοπλυνεῖς, ſed paeon quartus. Neque Gatakeri νεοπλύντους ἐπενδύτας probauerim; nam ſedes quarta ſpondaeum non admittit; poterat paulo rectius νεοπλύτους. Sed aliud quiddam praetulerim, de quo auſim tibi firmiſſime aſſeuerare:

Πέπλους τε νῆσαι λινοπλυνεῖς τ' ἐπενδύτας.

Diuerſa ab illis, quas Suidas recenſet, fabula habetur in veteri marmore Arundeliano, quod nunc eſt Oxonii. ΑΦ ΟΥ ΘΕΣΠΙΣ Ο ΠΟΙΗΤΗΣ . . . . ΑΧΙ . . . ΟΣ ΕΔΙΔΑΞΕΝ ΑΛ . . . ΣΤΙΝ. Supple ΑΛΚΗΣΤΙΝ, ἄλκηστιν· non ἀλκέστην vt minus recte Editores. Locus eſt illuſtris apud Clementem in Στρωματέων quinto; quem nefas quidem fuerit ſilentio praetermittere; Θέσπις μέν τοι ὁ τραγικὸς διὰ τούτων ἄλλο τι σημαίνεσθαι Φησιν ὧδέ πως γράφων

Ιδε σοι σπένδω κναξβὶ τὸ λευκὸν
Απὸ θηλαμόνων θλίψας κνακῶν·
Ιδε σοι χθύπτην τυρὸν μίξας
Ερυθρῷ μέλιτι, κατὰ τῶν σῶν Πᾶν,
Δικέρως τίθευμαι βωμῶν ἁγίων
Ιδε σοι Βρομίου αἴθοπα Φλεγγμὸν
Λείβω.

Haec narrat Clemens ex Thespide: Ex aliis alia, quae ad eandem rem spectant. Persuasum est hactenus viris eruditis, magnum Symbolicae et aenigmaticae veterum Theologiae vim in barbaris illis vocabulis contineri. Rem igitur haud ingratam facturum me spero, si refregero haec claustra, quae a multis saeculis omnem ad haec sacra aditum praecluserunt. Quod autem Herculem ferunt dixisse, cum in delubro quodam conspexisset simulachrum Adonidis, *Οὐδὲν ἱερὸν ὑπάρχειν*· idem mihi iam vsu venit, hoc adyto recluso. Videlicet erat olim ridicula et puerilis ratio; vt ex quatuor et viginti literis, semel duntaxat positis singulis, barbara quaedam et infaceta verba conficerent, prout cuique libitum fuerit. Clemens hanc appellat *ϛοιχειωτικὴν τῶν παίδων διδασκαλίαν.* Postea certandum erat ingenio, vt sententiam istorum verborum aliquam omnibus vestigiis indagarent; non eam quidem omnino alienam et absonam, sed a propinquo si fieri potuit, et verisimili petitam. Tria profert Clemens exempla eorum *ὑπογραμμῶν παιδικῶν*, quorum vnum hoc est:

Μάρπτε, σφίγξ, κλὼψ, ζβυχθηδόν.

Ita scribi oportere res ipsa clamat; non vt in editis, *μάρπτες* et *ζυγχθηδόν.* Calculum iam pone, et omnes omnino literas Cadmi, Palamedis, Simonidis, in quatuor istis vocabulis invenies, Ecce tibi secundum:

Βέδυ, ζὰμψ, χθὼ, πλῆκτρον, σφίγξ.

Ita legendum, non vt in vulgatis, *ζάμψ* et *χθών*· nam eo pacto et M litera deesset et N bis poneretur. Tamen vt *λάμβδα λάβδα*, sic illud *ζάμψ* auctores Graeci *ζὰψ* scripsisse et pronunciasse videntur; sic etiam *κάψα* dicunt et *κάμψα.* sic *λήψηται* in antiquissimis MSS. scribitur *λήμψεται*, et multa similia. Tertium denique est illud Thespidis:

Κναξζβὶ, χθύπτης, φλεγμὼ, δρόψ.

Male apud Clementem est editum, *φλεγμὸς, δρώψ*· vt liquido constabit, si digitis computans literarum numerum velis inire. Quam mirifice autem Clemens haec omnia quantumvis inepta et ludrica, interpretetur; malim ex ipso quam ex me audias. Aliter paullo haec vltima ab Hesychio proferuntur; nam pro *κναξζβὶ χθύπτης*, *κνὰξ* habet et *ζβὶχ* et *θύπτης.* *Κνὰξ* autem interpretatur *γαλὰ λευκὸν*, *ζβὶχ* (ita lege non *ζαβὶχ*) *λευκὸν* et *θύπτης ὁ τυρός.* Atque huius autoritate inductus Salmasius verba Thespidis ad hunc modum immutare voluit:

Ιδε σοι σπένδω κνὰξ ζβὶχ λευκόν,
et *Ιδε σοι θύπτην τυρὸν μίξας.*

Sed profecto non ea est Hesychii auctoritas; neque plus habet

momenti, quam Clementis et Porphyrii, hominum multis partibus illo doctiorum. Non enim librarii culpa est apud Clementem: neque vlla similitudo veri est χ literam a verbo *κναξζβὶ* fortuito disiunctam fuisse, et tertio post versu repositam. Porphyrii autem hoc *ἀποσπασμάτιον* est ex libro MSto Oxonii:

ΠΟΡΦΥΡΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ.

Περὶ τοῦ Κναξζβὶ, χθύπτης, Φλεγμῶ, δρὼψ ἑρμηνεία. Εν Δελφοῖς εἰς τὸν ναὸν ἐπιγέγραπται τράγος ἰχθύϊ ἐπὶ δελφῖνος ἐπικείμενος. Κνὰξ μὲν γάρ ἐστιν ὁ τράγος κατὰ ἀποκοπὴν τῶν στοιχείων τοῦ κως (lege: κων) καὶ πάλιν ἀφαίρεσιν (imo πρόσθεσιν) τοῦ ξ. κνάκον γὰρ καλεῖται, ὡς καὶ Θεόκριτος ἐν βουκόλοις λέγει· οἷον τράγος καὶ ἰχθὺς, ὁ μὲν Φλεγόμενος, ὁ δὲ δρὼψ ἔψον. Κέγει δὲ ὅπι ὁ τράγος Φλεγόμενός ἐστι πάντοτε ὑπὸ λαγνίας, ὅτι ἐάν τις τὰς ῥῖνας αὐτοῦ ἀποσφαλίσει, (leg. ἀπασφαλίσῃ) διὰ τῶν κεράτων ἀναπνεῖ. Εχει δὲ καὶ ἑτέραν ἑρμηνείαν οὕτως· Τὸ κναξζβὶ γάλα ἐστὶν, τὸ δὲ χθύπτης τυρὸς, δρὼψ δὲ ἄνθρωπος· δρῶπες γὰρ οἱ ἄνθρωποι λέγονται· Καὶ ἕτερα δὲ πλεῖστα τοιαῦτα διὰ τῶν κ δ στοιχείων ἀπαρτίζοντα ἴδιον σκοπὸν εὕρομεν, οἷον· Βέδυ, ζὰψ, χθὼ, πλῆκτρον, σφίγξ. ὅ ἐστιν οὕτως. Βέδυ ἐστιν ἡ ὑγρὰ οὐσία, ζὰψ ἡ πυρώδης οὐσία, χθὼ ἡ γῆ, πλῆκτρον δὲ ὁ ἀὴρ, σφίγξ ἡ τούτων φιλία διὰ τὸ συνεσφίγχθαι. Κλώδιος δὲ ὁ Νεαπολίτης οὕτως ἡρμήνευσε τὸ προκείμενον· ἀὴρ, θάλασσα, γῆ, ἥλιος. Καὶ ἕτεροί τινες φιλόσοφοί τε καὶ ποιηταὶ τοῦτον τὸν σκοπὸν ἡρμήνευσαν.

Non longe a principio sic scribe: *κνάκων γὰρ καλεῖται, ὡς ὁ Θεόκριτος ἐν Βουκολικοῖς λέγει·* Locus est Idyllio tertio:

— — καὶ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μὴ τὺ κορύψῃ.

Illud autem nimis festiuum est, quod aliquando post sequitur, Capras scilicet, si quis iis nares obturet, cornibus spirare. Sed pro *κεράτων* certissime emendandum est *οὐάτων* vel *ὤτων*. Varro de re rustica: *De quibus admirandum illud, quod etiam Archelaus scribit; Capras, non vt reliqua animalia, naribus, sed auribus spiritum ducere solere.* Idem narrant Plinius et Aelianus. Clodius iste Neapolitanus librum composuit aduersus eos, qui carne abstinerent; vt testis est Porphyrius *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων*· neque alius quisquam illius meminit, quod sciam. Idem id facit, minimo *ψευδεπίγραφα* haec esse, sed ex Porphyrio bona vide excerpta.

P. 181. *Καὶ μετὰ τοῦτο Μίνως, καὶ μετὰ Μίνωα Αὐλέας* Dixi meam sententiam: nimirum aut vitio codicis aut memoriae falsum esse Ioannem; et ad hunc modum a prima manu

ſcriptum videri, Καὶ μετὰ τοῦτον Ιων, καὶ μετὰ Ιωνα Αἴσχυλος. Porro iſte Ion poeta fuit Tragicus natione Chius: de quo ideo plura dicemus, quia Theſpide et Aeſchylo aliquanto eſt ignotior; tum autem vt quaſi ſpecimen demus iſtius operis, cuius antea fecimus mentionem, quo Reliquias omnis Graecae poeſeos, Philoſophicae, Epicae, Elegiacae, Dramaticae, Lyricae colligere voluimus. Sed haec fuerunt. Principio autem non iniuria Chius noſter vna cum Aeſchylo memoratur, cui olim amicitia et familiaritate coniunctus fuit; vt ex Plutarcho conſtat in libro qui inſcribitur: Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ. Αἴσχυλος, ait, Ισθμοῖ θεώμενος ἀγῶνα πυκτῶν, ἐπεὶ πληγέντος ἑτέρου τὸ θέατρον ἐξέκραγε, νύξας Ιωνα τὸν χῖον, Ορᾷς, ἔφη οἷον ἡ ἄσκησίς ἐστιν· ὁ πεπληγὼς σιωπᾷ, οἱ θεώμενοι βοῶσι. Iuuenis tamen cum ſene verſatus eſt, et in eo quidem non leuiter peccatum eſt a Ioanne, quod Ionem Aeſchylo vetuſtiorem faciat. Vtinam vero ſupereſſet hodie Batonis Sinopenſis liber. Plura de Ionis aetate, et euidentiora dici poſſent: nunc ſoli in obſcuro lubricoque tramite magis reptamus, quam pedetentim ingredimur. Platonis eſt Dialogus, quo Socrates ſermonem inſtituit cum Ione quodam Epheſio, quem a Chio non eſſe diuerſum opinio eſt Lilii Gyraldi, Iulii Scaligeri, Delrii, et Menagii: quae ſi vera eſt ſententia, non opus eſt vt multa dicamus. Statim enim conſtabit Ionem Aeſchylo fuiſſe natu minorem. Quippe Socrates natus Olymp. LXXVII. anno IV. tantummodo XIII. aetatis annum agebat, cum Aeſchylus ex vita exceſſit, videlicet Olymp. LXXXI. an. I. Callia Athenis Archonte. Sed de Epheſio iſto pugnant aduerſus Gyraldum et Scaligerum eruditiſſimi quidem homines Leo Allatius et Ioannes Ionſius: ille contumeliis fretus, et eo quod nullo auctore primus id dixerit Gyraldus, quodque Epheſius Rhapſodus fuerit, non Tragicus; hic autem acerrimo telo armatus, quia ratio temporum reclamat. ſcilicet Ionem Chium Olymp. LXXII. tragoedias docuiſſe non minus annos viginti priuſquam Socrates naſceretur, Olymp. demum LXXVII, 4. Mihi quidem idem eſt animus, non vnum et eundem fuiſſe Chium et Epheſium: Chius enim et genere et opibus fuit clarus: qui cum Athenis quondam tragoedia ſimul et dithyrambo viciſſet, Chii vini cadum viritim cuique ciuium dedit; vt memorant Athenaeus et Comici enarrator ad Pacem. Luculentae vero diuitiae, quae tam eximiae liberalitati ſufficere potuerunt. Epheſius homo mendicus et circumforaneus cantitando et geſticulando victum inopem quaeritans, vt mos erat Rhapſodis, quos Homerus ſuus miſella ſtipe et eſuritione paſcebat. Ipſe de ſe loquitur apud

Platonem: Δεῖ γάρ με καὶ σφόδρ' αὐτοῖς (τοῖς θεαταῖς) τὸν νοῦν προσέχειν, ὡς ἐὰν μὲν κλαίοντας αὐτοὺς καθίζω, αὐτὸς γελάσομαι ἀργύριον λαμβάνων· ἐὰν δὲ γελῶντας, αὐτὸς κλαύσομαι ἀργύριον ἀπολλύς. Chius in omni literarum genere magnum nomen eſt conſecutus: Epheſius praeter Homerum nihil doctus cantare: ſicut de ſe fatetur; cum a Socrate interrogatus, vtrum Homerum ſolum calleret, an etiam Heſiodum et Archilochum; reſpondit, minime quidem iſtos, ſed Homerum ſolum: atque hoc ſatis eſſe. Et aliquando poſt, Οταν μέν τις, ait, περὶ τοῦ ἄλλου ποιητοῦ διαλέγεται, οὐδὲ προσέχω νοῦν, ἀδυνατῶ τε καὶ ὁτιοῦν συμβαλέσθαι λόγου ἄξιον, ἀλλ' ἀτεχνῶς νυστάζω, et alia plura in hanc ſententiam. Sic igitur perſuaſum habeo, Chio illi et Epheſio patriam, genus, fortunas, ingenium, ſtudia, mores, omnia denique praeter nomen et aetatem diſparia fuiſſe. Et aetatem quidem cum dico, caue cum Ionſio, Menagio, et Gerardo Voſſio ad Olymp. LXXII. Ionem Chium reiicias, qui in erubeſcendum errorem inciderunt inſcii,

Et grauiter magni magno cecidere ibi caſu

ab hominum futiliſſimo Aemilio Porto decepti, qui Suidae verba, Ηρξατο τὰς τραγῳδίας διδάσκων ἐπὶ τῶν πβ Ολυμπιάδος, ita Latina fecit, tanquam ſi Ion Olymp. LXXII. ſcribere coepiſſet. Atqui, o bone, πβ ſunt LXXXII. et Scholiaſtes Comici non numerorum notas, verum integra verba exhibet, ἐπὶ ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ολυμπιάδος. Facile igitur per aetatem licitum eſt, vſum et conſuetudinem Ioni Chio cum Socrate fuiſſe. Quin ipſe in ſuis ſcriptis Socratis mentionem fecit. Diogenes Laert. Ιὼν δὲ ὁ Χῖος καὶ νέον ὄντα τὸν Σωκράτην εἰς Σάμον σὺν Αρχελάῳ ἐπιδημῆσαί φησι. Quid Allatius, maleuolentia et liuor, non homo? quam falſus eſt animi, cum Gyraldum credidit primum in ea opinione fuiſſe? Ecce tibi e tranſuerſo Suidas, iam pridem is in Διθυραμβοδιδάσκαλοι idem cum Gyraldo ſenſerat. Καὶ Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου ἐστι λόγος εἰς αὐτόν. Portus haud praeter ſolitum peruerſe; vt nihil magis: Extat Socratis Philoſophi oratio in ipſum ſcripta. Sed de dialogo Platonis intellexit Lilius; et recte quidem: eo ſolum nomine culpandus, quod errantem ducem ſecutus eſt. Iam vero, cum illud exploratum ſit de Olympiade LXXXII, quis dubitet quin Ionem Aeſchylus anteierit aetate? ſiquidem obiit fere ſeptuagenarius, triennio prius ad minimum quam Ion ad ſtudium Tragicum ſe applicaret. Praeterea, narrat Ion (apud Athenaeum) conueniſſe ſe in inſula Chio Sophoclem poetam, cum Praetor factus naui-

garet in Lesbum; et (apud Plutarchum) memorat solitum esse Periclem iactare se magnificentissime, quod Samios vicisset. Ea vero gesta sunt Olymp. LXXXIV. 4. a morte Aeschyli annis quindecim. Didascaliae veteres in Argumento Hippolyti: Η σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις (imo Τροιζῆνι) ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι πζ´ ἔτει δ´ πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων. Itaque Olymp. LXXXVIII, 4. Ion fabula certauit annis septem viginti posteaquam Aeschylus mortuus est. Denique haec sodes vide ex Aristophanis Pace:

Θε. Οὐκ ἦν ἄρ᾽ οὐδ᾽ ἃ λέγουσι περὶ τὸν ἀέρα,
Ὡς ἀστέρες γινόμεθ᾽, ὅταν τις ἀποθάνῃ,
Τρ. Μάλιστα. Θε. Καὶ τίς ἐστιν ἀστὴρ νῦν ἐκεῖ,
Τρ. Ἴων ὁ Χῖος.

Scholiastes notat Ionem iam mortem obiisse. ὅτι δ᾽ μὲν Ἴων ἤδη τέθνηκε δῆλον. addo, etiam eodem anno quo acta est ea fabula, XIII. videlicet belli Peloponnesiaci, Olymp. XC. 2. vti constat ex ipsa Comoedia, vbi Trygaeus sic Pacem alloquitur:

Μὰ Δί᾽, ἀλλ᾽ ἀπόφηνον ὅλην σαυτὴν
Γενναιοπρεπῶς τοῖσιν ἐρασταῖς
Ἡμῖν, οἳ σοῦ τρυχόμεθ᾽ ἤδη,
Τρία καὶ δέκ᾽ ἔτη.

Iam nusquam habet Malelas, quo apdat illud putidum et inhonestum caput. Tantum abest vt Ion Aeschylo natu fuerit grandior; vt superstes ei fuerit annos solidos XXXVII. Nunc tempus est vt de Ionis scriptis fidem liberemus. Et profecto non immerito propter multiplicem doctrinam a Callimacho laudatus est Ion. Καὶ Καλλίμαχος, ait Suidas, ἐν χωλιάμβοις μέμνηται αὐτοῦ, ὅτι πολλὰ ἔγραψεν· Nam vt Poemata prius recenseamus, deinde quae oratione prosa composuit: Melica Ionis laudantur et Dithyrambica. Schol. Aristophanis, et Suidas: Ἴων διθυράμβων καὶ μελῶν ποιητής. Harpocration: ἔγραψε δὲ μέλη πολλά. Et dithyrambo quidem vicit, cum Atheniensibus viritim Chii cadum distribuit: ex Melicis carminibus extat Odae principium Ἀοῖον ἀμεροφοίταν, Ἀστέρα μείναμεν, ἀελίου λευκοπτέρυγα πρόδρομον. Sic lege apud Scholiastem et Suidam; male in vtroque ἀεροφοίταν, et in altero: λευκῇ πτέρυγι. Paeanes, Hymni, Scholia siue carmina conuiualia. Schol. Aristophan: Elegiaca. Idem et Suidas. Ex Elegis non paucos versus adducit Athenaeus: vt lib. XI. c. 3. Καὶ Ἴων δ᾽ ὁ Χῖός φησι

Χαιρέτω ἡμέτερος βασιλεὺς σωτήρ τε πατήρ τε
Ἡμῖν δὲ κρητῆρ᾽ οἰνοχόοι θέραπες
Κιρνάντων προχύταισιν ἐν ἀργυρέοις· ὁ δὲ χρυσὸς
Οἶνον ἔχων χειρῶν νιζέτω εἰς ἔδαφος·

et quae sequuntur; vbi Causaubonum nequicquam aestuantem videas, vt eliciat ex istis sententiam commodam; nam prius correctionis indigent, quam a quoquam intelligi possint. Non longe aberrabimus a scopo, si sic legerimus

— — — ὁ δ' ἕκαςος
Οἶνον ἔχων χειροῖν ἵζετο εἰς ἔδαφος.

Comoediae; vt Comici Schol. Comoedia; vt Suidas. Epigrammata; Idem Schol. et Anthologia Epigram. Lib. 3. c. 26.

Ιωνος εἰς Εὐριπίδην
Χαῖρε μελαμπέπλοις, Εὐριπίδη, ἐν γυάλοισι
Πιερίας τὸν ἀεὶ νυκτὸς ἔχων θάλαμον
Ισθι δ' ὑπὸ χθονὸς ὢν, ὅτι σοὶ κλέος ἄφθιτον ἔςαι
Ισον Ομηρείαις ἀενάοις χάρισιν.

Sed omnino falsa est et ementita inscriptio: quam ratio temporum refutat et reiicit. Mirificum vero poetam Ionem, qui Euripidem mortuum Epigrammate celebrauerit, ipse iam annos tredecim extinctus. Decessit Ion Olymp. XC. 2. anno belli Peloponnesiaui XIII. Euripides autem et Sophocles eius belli XXVI anno, Olymp. XCIII, 3. vti constat ex Aristophanis Ranis, quae actae sunt eo anno Dionysiis τοῖς κατ' ἀγρους· vt alia argumenta mittam ab eruditis viris occupata. Itaque loco Ιωνος scribendum est fortassis Ιωάννου, vel Βίωνος vel Δίωνος, vt cuique libitum fuerit. Tragoediae numero XII, vt alii volunt XXX. vt alii XL. σχολ. et Suidas. Tituli quidem vndecim a veteribus Grammaticis adhuc seruantur. ΑΓΑ-ΜΕΜΝΟΝ. Idem σχολ. et Athenaeus. Hesychius: Πεδανῷ ὕπνῳ, ἢ πεδανῷ κούφῳ, Ιων Αγαμέμνονι. τινὲς δὲ οὐ βεβαίῳ. leg. ἠπεδανῷ ΑΛΚΜΗΝΗ. Hesych. Pollux X, 23. Εν δὲ τῇ Ιωνος Αλκμήνῃ, ὃ εἰς τὴν τῆς τροφῆς παρασκευὴν ἦν, θυλακίσκη ὠνόμαςαι· Repone ex Cod. Vossiano, ὁ εἰς τὴν τῆς τροφῆς παρασκευὴν θυλακίσκος ὠνόμαςαι· ΑΡ-ΓΕΙΟΙ Hesych. ΜΕΓΑ ΔΡΑΜΑ. Pollux X, 45. Hesych. in Ονοταζομένη, et Μελάγχετον, μεγάλῳ δράματι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, οἷον ἀκμάζουσαν. Lego: Μελαγχαίταν, Ιων Μεγάλῳ δράματι. Homines ἀκμάζοντες aetate florentes capillitio fere nigro sunt, prouecti canescunt. Sed verbum id inuersum est ab Ione, et ad alia tralatum, quae sunt annis et viribus integris: quasi diceretur exempli gratia ἵππος μελαγχαίτας, *equus florenti aetate iuuencus.* ΦΡΟΥΡΟΙ. Schol. Aristoph. Hesych. Athenaeus: ΦΟΙΝΙΞ. Iulius Pollux: Ιων δὲ ἐν Φοίνικι σαφέςερον· Αλλ' ὦ θυρετρῶν τῶνδε κωμῆται θεοί. Enarrator Comici ad Ranas: Τοῦτο τοῦ Ιωνός ἐςιν ἐκ Φοινίκης ἢ καὶ Οἰνέως· Εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος,

πολιῆται. Repone ex certissima coniectura ἐκ Φοίνικος ἢ Καινέως· et versus iste Heroicus est, non alienus a tragoedia.

Εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος, ὦ πολιῆται.

Sic Athenaeus lib. III. et IV. Ιων ἐν Φοίνικι, ἢ Καινεῖ. Itaque est ΦΟΙΝΙΞ Η ΚΑΙΝΕΥΣ et ΦΟΙΝΙΞ ΔΕΥΤΕΡΟΣ. vide Hesychium in Τιμαλφής. Athenaeus fine lib. IV. Εν δὲ τῷ δευτέρῳ Φοίνικι ὁ Ιων Φησιν. Εκτυπον ἄγων βαρὺν αὐλὸν τρέχοντι ῥυθμῷ, οὕτω λέγων τῷ Φρυγίῳ. Non de nihilo est quod Codd. MSSi. constanter exhibent τρέχοντα· ad quorum indicium sic legerim:

— ἐκτύπουν, ἄγων βαρὺν
Αὐλὸν, τρέχοντα ῥυθμόν. —

Vt in Euripidis Rheso:

Πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον.

ΤΕΥΚΡΟΣ. Hesychius: Αἴδροι, αἴδριες, Ιων Τεύκρῳ * Αἰδροφῶντι, αἰδρίων ἀναιρετικῷ. Scribe Ιων, et illud alterum Hesychii peccatum est scutica dignum. Quicunque fuerit interfector iste stultorum, homo sane metuendus, sine dubio trucidasset Hesychium si occasionem hanc nactus fuisset. Vera scriptura est Ανδρειφόντη, ἀνδρῶν ἀναιρετικῷ, ex Homerico isto:

Μηριόνης ἀτάλαντος Ενυαλίῳ ἀνδρειφόντη.

Αμφιβώτης, περιβόητος. Ιων Τεύκρῳ. lego: περιβοήτου. Βώτας, βεβωμένος Herod. inde ἀμφίβωτος. Idem alibi, Αμφιρῶτις, περιβόητος. Iterum tibi, mi Hesychi, a stulticida illo cauendum est; nam cur non ego par pari referam, et barbariam tuam vlciscar nunc demum nato vocabulo? ΟΜΦΑΛΗ. Schol. Aristoph. Harpocration, Hesychius: Εῤῥωπίζομεν, Ιων Ομφάλῃ. τινὲς ῥωπίζειν ἀπέδοσαν τὸ ἀτεχνεύεσθαι, καὶ ἀμαθεύεσθαι (pro ἀμαθαίνειν) κακῶς. Εςι γὰρ ῥῶπος ὁ λεπτὸς καὶ ποικίλος φόρτος, καὶ βέβαιος, καὶ τὰ ἔσω τῶν ῥωπῶν πλέγματα κανᾶ καὶ σῆςρα κυρίως. Lego: ἀτεχνιτεύεσθαι. Et: Εςὶ γὰρ ῥῶπος ὁ λεπτὸς καὶ ποικίλος φόρτος, καὶ γέλγαι, καὶ τὰ ἐκ τῶν ῥωπῶν πλέγματα κανᾶ καὶ σῆςρα κυρίως. Quanto haec meliora quam illa Palmerii! Hesychius alibi: Ερωπιζόμην ἠτεχνητευόμην, ἢ σύμμικτα σχήματα εἶχον. Iterum a librariis deceptus est. Sana lectio est: Εῤῥωπίζομεν, ἠτεχνιτεύομεν, ἢ σύμμικτα χρώματα εἴχομεν. Etymolog. magnum: Εῤῥωπίζομεν, εὔμικτα καὶ συμπεφορημένα ἐποιοῦμεν· quod ferri quidem potest; sed emendatius fortasse profertur ab Eustathio: Φέρεται δὲ καὶ ῥηματορωπίζειν, ὃ δηλοῖ τὸ σύμμικτα καὶ συμπεφυρμένα ποιεῖν. Quod ad βέβαιος attinet, terminatio ΟΣ in libris MSS. minuto apice signatur: illa vero non oppido dissimilis γέλγαι vel

γέλγια et βέβαι. Aliis eſt potius γέλγη numero ſingulari. Euſtathius: Ρῶπος, λεπτὸς καὶ ἀτελὴς (leg. εὐτελὴς) Φόρτος, ὡς καὶ Αἴλιος Διονύσιος λέγει. καὶ ποικίλος· γέλγην δὲ, Φησιν, αὐτὴν ἔλεγον οἱ παλαιοί. Heſych. Γέλγη, ὁ ῥῶπος, καὶ βάμματα, καὶ ἄτρακτοι καὶ κτένες. Photius Patriarcha: Ρῶπος, μηδενὸς ἄξιον. Ρῶπος καὶ γέλγη, ὁ ποικίλος, λεπτὸς Φόρτος. Iam σῆϛρα certiſſima emendatio: ea ſunt Caniſtra virgultis aut iuncis contexta. Heſychius: Σῆϛρα κόσκινα ἢ κύμβαλα. duo verba confundit σῆϛρα et σεῖϛρα, quorum hoc ἀπὸ τοῦ σείειν formatur, illud ἀπὸ τοῦ σήθειν. Achaeus vetuſtus tragicus docuit Omphalen Satyricam: quo de genere perſuaſum prorſus habeo etiam hanc Ionis fuiſſe. Hercules ſeruiuit Omphalae. Genio et Veneri aſſidue litauit: iuſſus et inter ancillarum greges penſa carpere, ſicubi duro et indocto pollice fila rumpebat, e veſtigio hominis caput ſandalium commitigabat. Nihil hic triſte neque tragicum, ludus iocusque omnia. Fauent huic ſententiae fragmenta, quotquot ſuperſunt: quae nihil niſi conuiuia, comeſſationes, et ſymphonias pollicentur. Heſych. Μεσόμφαλοι, Φιάλαι. Etym. Πῖθι Πακτώλου ῥοάς. Pollux: Καὶ τὴν μέλαιναν ϛίμμιν ὀμματογράφον. Athenaeus: Οἶνος οὐκ ἔνι

Εν τῷ σκύφει —

et Ενιαυσίαν γὰρ δεῖ με τὴν ἑορτὴν ἄγειν

Et. Λυδος τε μαγάδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.

et lib. X.

Αλλ' εἶα Λυδαὶ ψάλτριαι, παλαιθέτων
Υμνων ἀοιδοὶ, τὸν ξένον κοσμήσατε.

Ita lege, non: Αλλ' αἱ Λυδαὶ, quod verſus recuſat. Et eodem libro: Ιων δ' Ομφάλῃ ἐμφανίσας τὴν Ηρακλέως ἀδδηφαγίαν ἐπιφέρει· ὑπὸ δὲ τῆς Εὐφημίας

Κατέπινε καὶ τὰ κᾶλα καὶ τοὺς ἄνθρακας

Caſaubonus corrigere conatus eſt τῆς εὐφαγίας. Nollem factum. Neque enim quiſquam ita locutus eſt; neque, ſi fuerit locutus, eo magis conueniret huic loco; quia ſyllaba ſecunda foret breuis. Nihil aptius excogitari poteſt τῆς βουλιμίας· adeo quadrant omnia, ſimilitudo, menſura, ſententia. Libet, illud afferre cum probationis tum boni ominis cauſa;

Εξω τὰν βούλιμον, ἔσω τὰν πλουθυγίειαν.

Atque haec quidem de Omphale ſcripſeram; cum Strabo mihi ad manum non eſſet. Poſteaquam copia facta eſt eum adeundi, delectatus ſum eius ſuffragio confirmari ſententiam meam. Verba ſunt Lib. I. de inſulis, quae continenti quondam adhaerentes, poſtea interfuſo mari auulſae ſunt. **Ιων δὲ περὶ τῆς Εὐβοίας φησὶ ἐν Ομφάλῃ Σατυρεῖς.**

Εὐβοΐδα μὲν γῆν λεπτὸς Εὐρίπου κλύδων
Βοιωτίας ἐχώρισ᾽ ἀκτῆς, ἐκτεμὼν
Πρὸς Κρῆτα πορθμόν.

Locum hunc, ait Casaubonus, deprauatum esse monere possum: emendare non possum sine ope codicum. Ego vero nullis adiutus codicibus; nisi tamen in integrum restituero; nihil deprecor, ne dentatis Criticorum chartis, et canina eloquentia conscindar. Lego autem sic:

Εὐβοΐδα μὲν γῆν λεπτὸς Εὐρίπου κλύδων
Βοιωτίας ἐχώρισ᾽ ἀκτὴν ἐκτεμὼν
Προβλῆτα πορθμῷ

Homerus Od. ε.

Ἀλλ᾽ ἀκταὶ προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε, πάγοι τε.

et hymno in Bacchum:

— Ὡς ἐφάνη παρὰ θῖν᾽ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
Ἀκτῇ ἐπὶ προβλῆτι.

Nec minus recte illud πορθμῷ. Pomp. Mela: Sicilia aliquando continens et agro Brutio adnexa, post freto maris Siculi abscissa est. Idem Casaubonus legit Ὀμφάλῃ Σατυρικῇ, vel Σατυρικῷ, videlicet δράματι· nam Ionis Omphalam, vt Achaei, Satyricam fuisse putat. Postea tamen oblitus est huius loci, cum aureolum illum libellum de Satyrica composuit. Sic enim narrat p. 186. Scripserat et Ion. Chius poeta tragicus Omphalam: sed id drama fuisse Satyricum nusquam lego. Tu revoca in memoriam quae scripsimus supra paullo in hac Epistola, et sine cunctatione lege ἐν Ὀμφάλῃ Σατύροις. Illud etiam notandum, cum numero singulari coniungi Σατύρους· cuius rei exemplum tunc non habuimus. Sic Lycophronis Μενέδημον Σατύροις laudant Athenaeus et Laertius. Iamque etiam in memoriam redeo luculenti loci apud Galenum Comm. I. ad VI. Ἐπιδημιῶν· vbi Sophocles citatur in Σαλαμῖνι Σατύροις. Is ita se habet: Νυνὶ δὲ ἀρκέσει τοῖς γραμματικοῖς ἀκολουθήσαντα, κατὰ τὴν ἐκείνων διάταξιν εἰπεῖν τε περὶ τῶν κατὰ τὴν πέμφιγα σημαινομένων. Δοκεῖ μὲν γὰρ αὐτὴν ἐπὶ τῆς πνοῆς Σοφοκλῆς ἐν Κολχοῖς λέγειν. Ἀπῆξε πέμφιξιν οὐ πέλας Φόρου. (leg.

Ἀπῆξε πέμφιξ Ἰονίου πέλας πόρου.

Vel ad hunc modum, si id minus placet, aeque commoda mutatione

Ἀπῆξε πέμφιξ ἐξ ἕω σελασφόρου)

Sic Aeschylus Prometheo:

Χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχὸς
Σαφῶς ἐπίςασ᾽, Ἰόνιος κληθήσεται,
Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς.

Apollonius Rhodius lib. IV. loquens de Colchis:

Τῷ καὶ ὑπέφθη τούς γε βαλὼν ὑπὲρ αὐχένα γαίης
Κόλπον ἔσω πόντοιο πανέσχατον Ιονίοιο.

Καὶ αὐτὸς ἐν Σαλαμίνη Σατύροις· καὶ ταχ' ἂν κεραύνια πέμφιξι βροντῆς καὶ δυσοσμίας λάβοι. (lege — καὶ ταχ' ἂν Κεραύνια Πέμφιξι βροντῆς καὶ δυσοσμίας βάλοι) Αἰσχύλος δὲ ἐν Προμηθεῖ Δεσμώτῃ (imo vero Λυομένῳ)

Εὐθεῖαν ἕρπε τὴν δὲ· καὶ πρώτιστα μὲν
Βορεάδας ἥξεις πρὸς πνοάς, ἵν' εὐλαβοῦ
Βρέμον καταιγίζοντα, μή σ' ἀναρπάσῃ
Δυσχειμέρῳ πέμφιξι συστρέψας ἄφνω.

Ἐπὶ δὲ τῶν ἀκτίνων αὐτῶν δοκεῖ χρῆσθαι τῷ τοῦ πέμφιγος ὀνόματι Σοφοκλῆς ἐν Κολχοῖς κατὰ τάδε τὰ ἔπη. κἂν ἐθαύμασα τῇδε σκοπῶν πέμφιγι χρυσέαν ἰδών. (lege — Κἄπεθαύμασα Τηλέσκοπον πέμφιγα χρυσείαν ἰδὼν) οὕτω καὶ Αἰσχύλος. Ἐξαντίας οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται, οὔτ' ἀστερον σόμα λητώας κόρης. (lege Αἰσχύλος ἐν Ξαντρίαις.

Ἃς οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται,
Οὔτ' ἀστερωπὸν ὄμμα Λητώας κόρης

Ea fabula citatur in Catalago Dramatum et Scholiis Eumenidum. Pollux X, c. 26. τὰς μέντοι λαμπάδας καὶ Κάμακας εἴρηκεν ἐξαντρίας Αἰσχύλος, MS. codex If. Vossii habet ἐν ξαντρίαις. vt et antea viri docti ex coniectura emendarunt. Porro Aeschylus in his versibus se ipse imitatus est: nam haec habet in Prometheo vincto de Graecis siue Phorcidibus:

Μονόδοντες, ἃς οὔθ' ἥλιος προσδέρκεται
Ἀκτῖσιν, οὔθ' ἡ νύκτερος μήνη ποτέ.

Ἐπὶ δὲ τῆς ῥαγίτιδος (lege ῥανίδος) ὁ αὐτός φησιν ἐν Προμηθεῖ.

Ἐξευλαβοῦ δέ, μήδε προσβάλλῃ σόμα
Πέμφιξ· πικρὰ γὰρ κοὐ διὰ ζώης ἀτμοί.

Καὶ ἐν Πενθεῖ. Μηδ' αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδῳ βάλῃς. Ἐπὶ δὲ τοῦ νέφους δοκεῖ τετάχθαι κατὰ τόδε τὸ ἔπος ἐν Σαλαμίνῃ Σατύροις Σοφοκλεῖ Πέμφιγι πᾶσαν ὀψιαγγέλων πυρὸς (scrib. Πέμφιγι πᾶσαν ὄψιν ἀγγέλῳ πυρός) καὶ παρ' Ἰβύκῳ· Πυκινὰς πέμφιγας πιόμενοι· λέλεκται δὲ οὗτος ὁ λόγος αὐτῷ κατά τινα παραβολὴν ἐπιχειμαζομένων (lege ἐπὶ χειμ.) εἰρημένην, διὸ καὶ τῶν προγνωστικῶν οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς ὄμβρους σταγόνων εἰρῆσθαί φασι τὰς πέμφιγας· ὁ δὲ Καλλίμαχος ὧδε· Μὴ διὰ πεμφίγων * ἐνάγουσιν ἕα· ὁ δὲ Εὐφορίων οὕτως· εἶπε δ' ἄνθη πέμφιγες ἐπιτρύζουσι, θανόντα. Versus est hexametrus, Ἐι πεδαναί, vel Ἠπεδαναὶ πέμφιγες ἐπιτρύζουσι θανόντα· i. e. murmure suo quasi lamentari videntur. Possis etiam legere, ἐπικλύζουσι. Quod

ad Σαλαμῖνα Σατύρους attinet cuius gratia caetera emendauimus; nemo me adduxerit, vt verbum mendo esse vacuum existimem. Aeschylus quidem fecit Σαλαμῖνα, siue Σαλαμινίας· Sophocleae fabulae, quae eo titulo inscripta sit, nemo alius meminit. Ausim pro certo dicere lectionem rectam esse Σαλμωνεῖ Σατύροις. Hesychius bis; Σοφοκλῆς Σαλμωνεῖ.

Quatuor hic inuectus equis, et lampada quassans,
Per Graium populos, mediaeque per Elidi vrbem
Ibat ouans, diuumque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularat equorum.

Hactenus quidem argumentum est Satyris aptum, et conueniens ad hilarem et festum diem. Huc quoque fragmenta illa videntur pertinere; quae verba sunt cuiuspiam qui facete et vrbane irridet iocularem illam Simiam Tonantis:

Καὶ τάχ᾽ ἂν Κεραύνια
Πέμφιξι βροντῆς καὶ δυσοσμίας βάλοι
Forsan et petet Ceraunia
Odore tetro et vi corusca fulminis

Et illud alterum:

Πέμφιγι πᾶσαν ὄψιν ἀγγέλῳ πυρός
Nimbo ora velans nuncio tonitrui

Atque hucusque Sophocles in eo dramate processit: nam quae sequuntur, plane tragica sunt, et lamentabili carmine deploranda:

At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea taedis
Lumina) praecipitemque immani turbine adegit.

Et haec quidem coniectura probabili nituntur: sed extra controuersiam rem statuit Athenaeus lib XI. Καλεῖται δὲ μάνης καὶ τὸ ἐπὶ κοττάβου ἐφεστηκὸς, ἀφ᾽ οὗ (leg. ἐφ᾽ οὗ) τὰς λάταγας ἐν παιδιᾷ ἔπεμπον, ὅσπερ ὁ Σοφοκλῆς ἐν Σαλμωνεῖ χαλκεῖον ἔφη κάρα, λέγων οὕτως.

Τὰ δ᾽ ἐστι κνισμὸς καὶ φιλημάτων ψόφος,
Τῷ καλλικοτταβοῦντι νικητήρια
Τίθημι, καὶ βαλόντι χάλκειον κάρα.

Iam si potes, dubita, an drama Satyricum fuerit necne. Profecto qui potest animum inducere, vt versus proximos autumet in Tragoedia posse dici; auctor ego sum, vt prius quid sit Tragoedia quid Satyri discat, quam de rebus aliquantum a vulgari notitia remotis sententiam ferat.

Vndecima Ionis fabula ΕΥΡΥΤΙΔΑΙ Athenaeus lib XI. Hesych. Ἰήϊος θρῆνον σημαίνει, ὡς Σοφοκλῆς Τρωΐλῳ καὶ Ιων Ερυτίδαις lege Ευρυτιδαις. Αθίκτορας, ἀναπαφους παρθέ-

νους, οἷον Εὐρυτίδες. Pulchre feciſſe ſibi viſus eſt, qui emendauit, οἷον Εὐριπίδης· Tu vero meo periculo repone, Ἀθίκτους κόρας, ἀνεπάφους παρθένους, Ἰων Εὐρυτίδας. Eurytidae autem, ne quis forte neſciat, ſunt Euryti Oechalienſis filii, quos Hercules occidit. Habes Tragoediae argumentum. Non praetermittendus eſt inſignis locus apud Schol. Soph. ad Trachinias. Διαφωνεῖται ὁ τῶν Εὐρυτιδῶν ἀριθμός. Ησίοδος μὲν γὰρ (in Ἠοίαις, vt puto, vel, Ἡρωικῇ γενεαλογίᾳ) τέσσαρας φησιν ἐξ Εὐρύτου καὶ Ἀντιόχης παῖδας οὕτως.

Ἡ δ' ὑποκυσσαμένη καλλίζωνος Στρατονίκη
Εὔρυτον ἐν μεγάροισιν ἐγείνατο φίλτατον υἱόν.
Τοῦ δὲ υἱεῖς ἐγένοντο Δηίωντε, Κλύτιός τε
Τοξεύς τ' ἀντίθεος, ἠδ' Ἴφιτος ὄζος Ἄρηος
Τοὺς δὲ μεθ' ὁπλοτάτην τέκετο ξανθὴν Ἰόλειαν
Ἀντιόχη κρείουσα, παλαιὸν γένος Αὐβολίδαο.

Κρεόφιλος δὲ δύο· Ἀριςοκράτης δὲ τρεῖς, Τοξέα, Κλύτιον Δηίονα. Satis iam pernoſti, qui ſint Ionis Eurytidae. Sed haud plene ſatisfactum eſſet promiſſo noſtro; ſi verſus eos dimitteremus ex manibus, et mendum teterrimum ſilentio diſſimularemus. Principio legendum Ἀντιόπη. Schol. Apollonii: Κλύτιος καὶ Ἴφιτος οἱ τῆς Ἀντιόπης παῖδες. Hyginus: *Clytius et Iphitus Euryti et Antiopes Pylonis filiae filius.* Quae quaſi manu nos ducunt ad caetera corrigenda. Iam enim Hygini auctoritate ſcribo Πύλωνος pro παλαιὸν γένος atque adeo, vt pompam et prooemia miſſa faciam, verſum hunc integrum praeſtabo; ſicut ab Heſiodo profectus eſt:

Ἀντιόπη κρείουσα Πύλωνος Ναυβολίδαο.

Nam cedo mihi vnum, qui Auboli vel Aubolidae meminit. Naubolus vero nemini ignotus eſſe poteſt, qui labris primoribus guſtauit literas humaniores. Apollonius Rhodius:

Τῷ δ' ἐπὶ δὴ θείοιο κίεν Δαναοῖο γενέθλη
Ναύπλιος, ἦ γὰρ ἔην Κλυτονήου Ναυβολίδαο,
Ναύβολος αὖ Λέρνου.

Conueniunt aetas, locus: vt, quanquam de hac re nullum verbum faciant alii ſcriptores, nihil tamen impediat, quo minus Pylon Nauboli filius eſſe potuerit. Denique pro Κρεόφιλος lege Κρεώφυλος· qui poema compoſuit Οἰχαλίας ἅλωσιν: ad quod reſpexit Scholiaſtes. De Creophylo conſulantur Apuleius, Porphyrius, Strabo, Sextus Empiricus, Suidas, Scriptor certaminis Heſiodi et Homeri, Plato Πολιτειῶν X. Photius in Lexico MS. Κρεώφυλος. Πολιτείας ι. ὁ γὰρ Κρεώφυλος, ὦ Σώκρατες, ἴσως ὁ Ὁμήρου ἑταῖρος· τοῦτόν τινες καὶ διδάσκαλον Ὁμήρου λέγουσι γεγονέναι, καὶ ἐςὶν αὐτοῦ ποίημα

Οἰχαλίας ἅλωσις· ἀρχαῖος μὲν οὖν ἐςι, νεώτερος δὲ ἱκανῶς Ὁμήρου. Pausanias Messenicis: Θέσσαλοι δὲ καὶ Εὐβοεῖς λέγουσιν, οἱ μὲν ὡς τὸ Εὐρύτιον πόλις τὸ ἀρχαῖον ἦν, καὶ ἐκαλεῖτο Οἰχαλία· τῷ δὲ Εὐβοέων λόγῳ Κρεώφυλος εν Ἡρακλεία πεποίηκεν ὁμολογοῦντα. Heracleam hanc diuersam esse totam ab Οἰχαλίας ἁλώσει sententia est Ger. Vossii. Aegidius vero Menagius asseueranter affirmat pro ἐν Ἡρακλείᾳ scribendum esse ἐν Οἰχαλίᾳ. Demiror equidem viros excellentes ingenio et doctrina morbo minime desperato medicinam non reperisse: quae, nisi me omnia fallunt, haec est. Τῷ δὲ Εὐβοέων λόγῳ Κρεώφυλος Ἡρακλέα πεποίηκεν ὁμολογοῦντα. Euboeensium autem sententiae Creophylus Herculem induxit conuenienter loquentem. Enim vero pars magna illius poematis fuit Hercules; vt propemodum iam illud audire mihi videas.

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε βίη Ἡρακληείη.

Similis locutio est in istis, quae occasione alia supra adduximus. Ἐν ταῖς Κρησὶν Εὐριπίδης Ἴκαρον μονῳδοῦντα ἐποίησεν, et, Ἐν ταῖς Κρήσσαις Ἀερόπην εἰσήγαγε πορνεύουσαν· neque opus est, vt plures testes excitemus. Sunt qui Οἰχαλίας ἅλωσιν ad Homerum referunt; sicut auctor est Callimachus apud Strabonem et Sextum:

Τοῦ Σαμίου πόνος εἰμὶ, δόμῳ ποτὲ θεῖον Ὅμηρον
• Δεξαμένου κλαίω δ' Εὔρυτον ὅσσ' ἔπαθε
Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν· Ὁμήρειον δὲ καλεῦμαι
Γράμμα· Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.

Suidas in Ὅμηρος· Ἀναφέρεται δὲ εἰς αὐτὸν καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα, Ἀμαζόνια, Ἰλιὰς μικρὰ, Νόςοι, Ἐπικιχλίδες, Ἠθιέπακτος ἤτοι Ἴαμβοι, Σικελίας ἅλωσις. Sed pro Σικελίας sine nulla dubitatione legendum est Οἰχαλίας. Addam illud quoque; quod, si bene Millium meum noui, praetermissum esse grauiter tulisses: nimirum Ἠθιέπακτος esse verbum nihili, et aliquanto inferius sic scribi Ἑπταπάκτιος. Καὶ Ἑπταπάκτιον, ait, καὶ Ἐπικιχλίδας ἐποίησεν. Et prima quidem specie ea coniectura vera videbatur, ἑπτὰ scilicet Ἐπίγονοι. Memineram enim et septem esse Epigonos, et ad Homericorum poematum numerum adscribi. Herodot: IV. Ἀλλ' Ἡσιόδῳ μὲν ἐςι περὶ Ὑπερβορέων εἰρημένα, ἐςι δὲ καὶ Ὁμήρῳ ἐν Ἐπιγόνοισιν, εἰ δὴ τῷ ἐόντι γε Ὅμηρος ταῦτα τὰ ἔπεα ἐποίησε. Sed repudiaui continuo illam sententiam, vbi animaduerti, Epigonos esse ἔπη καὶ οὐκ ἰάμβους, non Senarios, sed hexametros. Scriptor certaminis Homeri et Hesiodi: Ὁ δὲ Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης, περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα· πρῶτον μὲν τὴν Θεβαΐδα ἔπη ζ, ἧς ἡ ἀρχή.

Αργος ἄειδε, θεὰ, πολυδίψιον· ἔνθα ἄνακτες. Εἶτα ἐπειγομένου (lege non dubitanter Επιγόνους) ἔπη ζ ὧν ἡ ἀρχὴ,

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα, μοῦσαι.

Alii et Thebaidem et Epigonos attribuunt Antimacho Colophonio. De illa quidem res est vulgaris: de his testem habeo Scholiastem Aristoph. ad Pacem: Παι. Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα — σχολ. ἀρχὴ τῶν Επιγόνων Αντιμάχου. Verum extra omnem controuersiam rem posuit Ioannes Tzetzes, qui vtriusque scripti simul mentionem facit, in Iliade interpretata allegorice, quae nondum edita est:

Τρία καὶ δέκα γέγραφε μνημόσυνον βιβλία,
Μαργίτην τε, καὶ Αἶγά τε, καὶ τῶν Μυῶν τὴν μάχην
Τὴν Επιγόνων μάχην τε γράφει, καὶ Θηβαΐδα,
Τὴν Οἰχαλίαν, Κέρκωπας, εἰς τοὺς Θεοὺς τε ὕμνους,
Καὶ τοὺς Επτὰ ἐπάκτιεν καὶ τὰς Επικιγκλίδας,
Καὶ Επιγράμματα πολλὰ σὺν Νυμφικοῖς τοῖς ὕμνοις
Καὶ τὴν Οδύσσειαν αὐτὴν μετὰ τῆς Ιλιάδος.

In his etiam Occhaliam habes: Sed aliud exemplar non τοὺς habet, verum τὴν ἑπτὰ ἐπάκτιον. Aut ego plane desipio, aut legendum est:

Καὶ τὸν Επταεπάκτιον καὶ τὰς Επικιχλίδας.

postremam enim vocem non Suidas tantum, sed et Herodotus ita exhibet et Athenaeus lib. 2. et 14., quin etiam apud Suidam illud ἑπταπάκτιον ad hoc exemplum corrigendum est. et pro ἡσθιέπακτος scribendum videtur ἡ ζ ἐπάκτιος, i. e. ἑπταεπάκτιος· nam ζ notat ἑπτά. Sic apud Hesychium: Εννεωρὸς, θέτης· lege θ ἔτης i. e. ἐνναέτης, quia θ significat ἐννέα. et verbo vno interiecto, Εννης, σώφρων, ἀληθὴς, ἀγαθὸς, πατρῷος. Librarii, vt compendium operae faciant, πηρ scribunt pro πατὴρ et pro πατρῷος, πρῷος; quod in hoc loco deprauatum est ex πρᾶος, vide Hes. in Εννής. Caeterum de notatione τῆς Επταεπακτία, vt et illud attingam, facillimum est multa comminisci: proxime tamen, opinor, ad verum accedent, qui Homerum putauerint in opusculo illo lusisse de hominibus quibusdam numero septem, qui ἐπ' ἀκτῆς in littore cibo vel somno curabant corpora, vel aliud quid iocosi et ridiculi faciebant. Homerus ipse in Certamine cum Hesiodo: Ανδράσι ληϊστῆρσιν ἐπ' ἀκτῆς δόρπον ἑλέσθαι. et Odyss. v. τὸν δ' ἄρ' ἐπ' ἀκτῆς εὗρε καθήμενον. Et Herodotus in vita Homeri: Καὶ οὕτως ἀναλαβόντες αὐτὸν ἀνήχθησαν, καὶ ἴσχουσιν ἐπ' ἀκτῆς· οἱ μὲν δὴ ἁλιεῖς πρὸς ἔργον ἐτράπησαν, ὁ δὲ Ομηρος τὴν νύκτα ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ κατέμεινεν.

et aliquanto inferius: καὶ ἀναχθεὶς μετά τινων ἐγχωρίων ἀπηνέχθη εἰς τὴν Ιον· καὶ ὡρμίσθησαν ἐ κατὰ πόλιν, ἀλλ' ἐπ' ἀκτῆς. Atque hanc vel illam rem verisimile est argumentum et occasionem poemati dedisse. Venio ad ea, quae oratione prosa Ion composuit. Nam in eo genere libros edidisse testis est Plutarchus, De fortuna Romanorum: Ιων μὲν ἦν ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς δίχα μέτρε, καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένοις φησὶν, ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην ἐσαν, ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίνεσθαι δημιουργόν. et Suidas in Διθύρ. Εγραψε δὲ κομῳδίας καὶ ἐπιγράμματα καταλογάδην καὶ πρεσβευτικὸν λεγόμενον. Portus vertit barbare: Et Epigrammata oratione soluta. Libenter vero videre vellem nobilia illa epigrammata pedestri sermone facta. Vah! adeone exaruerat penitus benigna illa vena ingenii? et extincta erat prorsus ea mentis inflammatio, sine qua nemo fit bonus poeta? Quid? vnane et generosum Ariusium in cellis euanuerat, quo memorant Ionem bene libenter plerumque esse vsum? enim vero verissimum esse comperit, quod olim dixerat Epicharmus;

Οὐκ ἔνη διθύραμβος, ὄκχ' ὕδωρ πίῃς.

Sed bene est, quod commoda mutatione propulsare possumus hoc dedecus a summo poeta. Sic enim Suidam emendo: ἔγραψε δέ κ. καὶ ἐπιγράμματα καὶ καταλογάδην ΠΡΕΣΒΕΥΤΙΚΟΝ λεγόμενον. Schol. Aristophanis: Εγραψε σκόλια, καὶ ἐλεγεῖα, καὶ καταλογάδην τὸν πρεσβευτικὸν λεγομενον, ὃν νόθον ἀξιᾶσί τινες εἶναι, ἐχὶ αὐτᾶ. Idem Scholiastes: Φαίνεται δὲ αὐτᾶ καὶ κοσμολογικὸς, καὶ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ, καὶ ἄλλα τινά. Deprauatum hunc locum sic corrige: Φαίνεται δὲ αὐτᾶ ΧΙΟΥ ΚΤΙΣΙΣ. Etymologicum magnum: Λόγχας μερίδας Ιωνες λέγουσιν. Ιων ἐν Κίου κτήσει. Ἐκ τῆς Τέω λογχῆς λόγχας ποιεῖν. Certissime legendum est Ιων εν Χίου Κτίσει, Ion in Originibus Chii. Videlicet ipse fuit Chius natione, et insula Teos Chio propinqua est, non Cio. Athenaeus libro X. περὶ δὲ ταύτης τῆς κράσεως Ιων ὁ ποιητὴς ἐν τῷ περὶ Χίου φησὶν, ὅτι εὑρὼν ὁ μάντις Παλαμήδης ἐμαντεύσατο πλοῦν ἔσεσθαι τοῖς Ελλησι πίνουσι τρεῖς πρὸς ἕνα κυάθους. Vnum idemque est scriptum; sed video eos, qui haec perinde ediderunt, quasi essent versus Iambici, non oratio soluta, de mendo autem, quo contaminatus est locus, nihil suspicati sunt. Quorsum enim pertinet illud εὑρὼν? Quid reperit? quod pueri clamitant se in faba reperisse? Ego vero ausim asseuerare sic a doctissimo Grammaticorum fuisse scriptum: Οτι ὁ οἰωνόμαντις Παλαμήδης etc Pausanias in Achaicis Ionis quaedam citat, ex hoc Originum libro, vt quidem coniicio: non tamen vsquequaque seruauit verba auctoris. Ion

enim, vt hominem Chium facere par erat, in prosaicis scriptis Ionica dialecto est vsus. Constat hoc ex superiore loco Etymologici, et Harpocrationis alio, et fragmento alius operis, quod ΕΠΙΔΗΜΙΑΙ inscribitur. Athenaeus XIII. Ιων οὖν ὁ ποιητὴς ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Επιδημίαις γράφει οὕτως· Σοφοκλεῖ τῷ ποιητῇ ἐν Χίῳ συνήντησα. ὅτε ἔπλει εἰς Λέσβον ςρατηγὸς et quae sequuntur. Quanquam enim magnam partem perturbata ibi sunt verba et in communem sermonem immutata: non obscura tamen restant vestigia Ionismi: vt κάρτα δοκέον ἀφαιρέοντα, ἀσσοτέρω, ἔπρησσε, ῥεκλήριος, ἐνωπήθη τῇ ἐπιῤῥαπίσει. Is. Casaubonus ad locum: Ενωπεῖσθαι, ait, si ita scripsit auctor, noue vsurpauit pro δυσωπεῖσθαι. Nempe, quod mireris, existimauit verba Athenaei esse, non Ionis. Atque ἐνωπείσθαι, vox nihili est: ἐνωπήθη vero Ionica, et a νωπεῖσθαι formata. Hesychius: Ενώπηται, τεταπείνωται. Antiquum obtinuit, cum deprauatum illud protulit ex aliorum fide, nihil ipse suspicans vel sollicitus. Lege vero integre νενώπηται, loco mutili istius. Idem alibi: Νενώνηται, πεταπείνωται, καταπέπληκται. Lege hic quoque νενώπηται. Patriarcha Photius in Lexico MS. Νενώπηται, καταπέπληκται καὶ κατεσύγγακεν. Rectissime quidem Photius, vt ex hoc Ionis loco perspicuum est. Quid ego de Athenaei interprete dicam, qui Επιδημίας peregrinationes interpretatur: perinde ac si Αποδημίαι inscriberentur? Verum alibi quoque ἐπιδημιῶν meminit Athenaeus, vt l. III. τῶν δὲ χημῶν μνημονεύει Ιων ὁ Χῖος ἐν Επιδημίαις. Intellige De aduentibus clarorum virorum in Chium, siue: De iis qui in Chio insula commorati sunt. Similiter ac Polemo librum edidit, De Eratosthenis aduentu ad Athenas. Enarrator Comici ad Aues: Πολέμων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Αθήνησιν Ερατοσθένους ἐπιδημίας. Ex Epidemiis petita videntur vel ὑπομνήμασι, quae laudat Plutarchus in vita Periclis; et Cimonis etiam non longe a principio: Ην δὲ καὶ τὴν ἰδέαν οὐ μεμπτὸς, ὥς φησιν Ιων ο ποιητὴς, ἀλλὰ μέγας οὐλῇ καὶ πολλῇ τρίχι κομῶν τὴν κεφαλήν. Quae sine dubio est oratio pedestris, et magis Plutarchi verba, vt suspicor, quam Ionis. Magnus tamen Grotius ad Iambos Tragicos redigere conatus est:

Τήν γὰρ ἰδέαν οὐ μεμπτὸς, ἀλλ' ἔην μέγας
Οὐλῇ τε πολλῇ τε τρίχι τὴν κεφαλὴν κομῶν.

Haeccine autem oratio, tam leues numeri Tragicum quid spirant, et cothurno dignum? Haud vidi magis. Quid illud ibidem, bene multis interiectis? Ο δ' Ιων ἀπομνημονεύει καὶ τὸν λόγον, ᾧ μάλιςα τοὺς Αθηναίους ἐκίνησε (Κίμων) πα-

ϱακαλῶν μήτε τὴν Ελλάδα χωλὴν, μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιϊδεῖν γεγενημένην. Grotius perinde haec accepit, tanquam ſi ex Tragoediae choro deſumpta fuiſſent:

Μήτε τὴν Ελλάδα χωλὴν
Μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα
Περιϊδεῖν γεγενημένην.

Nos puſilli homunculi vix poſſumus carere venia; cum etiam maximi Heroes labuntur identidem et hallucinantur turpiſſime. Scripſit Ion et Philoſophica, vt ΚΟΣΜΟΛΟΓΙΚΟΝ. Schol. Ariſtoph. et, ſi Suidae credimus: De meteoris, et compoſitas ſiue ornatas orationes: *οὗτος*, ait, *ἔγραψε περὶ Μετεώρων καὶ Συνθέτους λόγους.* Quo nihil ineptius vel falſius dici potuit. Imo neque magis contumelioſe, ſi quis *ἐπαριςέρως* et peruerſe interpretari velit de ſermonibus ad fraudem et fallaciam compoſitis, ſecundum illud Aeſchyli in Prometheo.

— Μηδέ μ' οἰκτίσας
Ξύνθαλπε μύθοις ψευδέσι, νόσημα γὰρ
Αἴσχισον εἶναί φημι συνθέτους λόγους.

Error autem ortus eſt ex perperam intellecto loco Scholiaſtae Ariſtoph. ad Pacem. Poetae ſcilicet Dithyrambici verborum amant tralationes *ἐκ τῶν μετεώρων*, ex aſtris, nubibus, aliisque quae in ſublimi fiunt; libenter etiam vocabulis ſeſquipedalibus et coagmentatis vtuntur. Demetrius *περὶ Ερμηνείας· Ληπτέον δὲ καὶ σύνθετα ὀνόματα οὐ τὰ διθυραμβικῶς συγκείμενα, οἷον Θεοπεράτους πλάνας, οὐδὲ Αςρων δορύπυρον ςρατὸν, ἀλλ' ἐοικότα τοῖς ὑπὸ τῆς ἀληθείας συγκειμένοις.* Et Horatii illud: Seu per audaces noua dithyrambos Verba deuoluit. Ipſe Suidas alibi: *Διθυραμβοδιδάσκαλοι περὶ τῶν μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι πολλὰ, καὶ συνθέτους δὲ λέξεις ἐποίουν καὶ ἔλεγον ἐνδιαεριανερινηχέτους· οἷος ἦν Ιων ὁ Χῖος ποιητής.* Omnino vide Ariſtophanem in Pace, eiusque enarratorem. Itaque iam manifeſto compertum et deprehenſum eſt Suidae mendacium. ΤΡΙΑΓΜΟΝ. Locus eſt illuſtris apud Harpocrationem; quem ex vſu fuerit integrum deſcribere. *Ιων. Ισοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς Αντιδόσεως. Ιωνος τοῦ τῆς Τραγῳδίας ποιητοῦ μνημονεύοι ἂν νῦν ὁ ῥήτωρ* (atqui nec in ea oratione nec in reliquis quae nunc extant, eſt vlla mentio Ionis quod ſciam) *ὃς ἦν Χῖος μὲν γένος, υἱὸς δὲ Ορθομένους, ἐπίκλησιν δὲ Ζούθου. ἔγραψε δὲ καὶ μέλη πολλὰ καὶ τραγῳδίας, καὶ φιλοσόφου τι σύγγραμμα τὸν Τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον, ὅσπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν, ὡς Επιγένους. Εν ἐνίοις δὲ καὶ πληθυντικῶς ἐπιγράφεται Τριαγμοὶ, καθὰ Δημήτριος ὁ Σκήψιος καὶ Απολλωνίδης ὁ Νικαεύς· ἀναγράφουσι δὲ ἐν αὐτῷ τάδε. Αρχὴ δέ μοι τοῦ λόγου πάντα*

τρία, καὶ πλέον τοῦδε, πλέον ἔλασσων τούτων τριῶν ἑνὸς, ἑκάςου ἀρετὴ τριάς, σύνεσις καὶ κράτος καὶ τύχη. Male ista percepit Interpres; qui ita vertit: velut ex eo Dem. Sc. et Ap. N. ista commemorant. Ego vero sic interpungendum esse censeo: καθὰ Δ. ὁ Σ. καὶ Α. ο Νικαεὺς, Αναγράφουσι δὲ, nimirum aut Eratosthenes in Descriptionibus temporum, aut potius Callimachus in Tabulis omnis generis librorum. Nam ἀναγράφειν est in tabulas recensere et mittere, in catalogum referre. Ipse Harpocration alibi: Εὔηνος, Δύο ἀναγράφουσιν Εὐήνους ἐλεγείων ποιητὰς, ὁμωνύμους ἀλλήλοις· καθάπερ Ερατοσθένης ἐν τῷ περὶ χρονογραφιῶν. Athenaeus XV. Καὶ τὸν λόγον τοῦτον ἀνέγραψε Καλλίμαχος ἐν τῇ τῶν Ρητορικῶν ἀναγραφῇ, in catalogo librorum Rhetoricorum. Hunc autem morem in Tabulis istis tenebat Callimachus, vt cuiusque libri prima verba describeret; sicut hic fit apud Harpocrationem. Vnum tantummodo exemplum afferam, quia pridem haec ab eruditis sunt occupata. Athen. Lib. VI. τοῦ Χαιρεφῶντος καὶ σύγγραμμα ἀναγράφει Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων πίνακι. γράφων οὕτως· Δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν. Χαιρεφῶν Κυρηβίωνι. εἶθ᾽ ἑξῆς τὴν ἀρχὴν ὑπέθηκεν· Επειδή μοι πολλάκις ἐπέςειλας. Στίχων το ε: καὶ ὁ Κυρηβίων δὲ ὅτι παράσιτος, προείρηται. Ita locus iste corrigendus est. Chaerephon parasitus ad ὁμότεχνον suum Cyrebionem epistolam misit, in qua describit coenam quandam sine dubio opipare apparatam. Χαιρεφῶν Κυρηβίωνι. Επειδή μοι πολλάκις ἐπέςειλας etc. Quod si vulgatam lectionem seruare velis; Χαιρεφῶν, Κυρηβίων. iam non Chaerephontis verba forent, quae Athenaei sententia est; sed Cyrebionis. Illud autem Exordium Τριαγμοῦ nondum a viris doctis emendatum esse demiror; qui, etsi dissimulant et mussant, iuxta id intelligunt, ac si in Ouidii Getica incidissent. Me auctore sic lege: Αρχὴ δέ μοι τοῦ λόγου Πάντα τρία, καὶ οὔτε πλέον οὔτε ἔλασσον τούτων τριῶν Ενὸς ἑκάςου ἀρετὴ, τριάς· σύνεσις, κράτος, καὶ τύχη. Vbi singula quidem verba sunt communia: qui tamen ex ipso Charactere et forma dicendi non sentit Ionismum, nihil sentit. De Epigene vero, quo me vertam nescio, ita res et hinc et inde magnam habet difficultatem. Nam ecce tibi Suidas; qui non Epigenem, sed Orpheum auctorem faciat Τριαγμῶν. Ορφεὺς, inquit, ἔγραψε, Τριαγμοὺς λέγεται δὲ εἶναι Ιωνος τοῦ Τραγικοῦ. Cumque Epigenem video enarrationem Orphei fecisse, Clementi memoratam, Στρωμ. I. Επιγένης ἐν τοῖς περὶ τῶν εἰς Ορφέα ποιήσεως Κέρκωπος εἶναι λέγει τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰς Αδου Κατάβασιν καὶ τὸν Ιερὸν λόγον. (Proclus tamen in

Timaeum Lib 5. ipſum Pythagoram huius auctorem laudat. Α γὰρ, ait, Ορφεὺς δι᾽ ἀποῤῥήτων λόγων μυσικῶς παραδέδωκε, ταῦτα Πυθαγόρας ἐξέμαθεν, ὀργιασθεὶς ἐν Λειβήθροις τοῖς Θρακίοις Αγλαοφάμω τελεστὰ μεταδιδόντος, ἣν περὶ Θεῶν Ορφεὺς σοφίαν παρὰ Καλλιόπης τῆς μητέρος ἐπινύσθη· Ταῦτα γὰρ φησιν ὁ Πυθαγόρας ἐν τῷ Ιερῷ λόγῳ. (Vnde conſtat Ιερὸν, vt alia ſcripta Pythagorica, dialecto Dorica fuiſſe compoſitum) et V. Επιγένης ἐν τῷ περὶ τῆς Ορφέως ποιήσεως τὰ ἰδιάζοντα παρ᾽ Ορφεῖ ἐκτιθέμενός φησι, Κεκρίσι καμπυλόχρωσι, τοῖς ἀρότροις μηνύεσθαι etc. Cum haec, inquam, lego, propemodum adducor in eam opinionem, vt Harpocration hoc exemplo ſcripſerit: ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν, ὡς καὶ Επιγένης. E diuerſo vbi illud venit in mentem, Orphei ipſius et Pythagorae quoque mentionem factam eſſe in illis Τριαγμοῖς, continuo ſententiam eam abiicio, et manifeſti erroris Suidam arguo. Clemens Στρ. I. Ιων δε Χῖος ἐν τριαγμοῖς καὶ Πυθαγόραν εἰς Ορφέα ἀνενεγκεῖν τινα ἱσορεῖ. et Diogenes Laert. Ιων δε ὁ Χῖος ἐν τοῖς Τριαγμοῖς φησιν αὐτὸν (τὸν Πυθαγόραν) ἔνια ποιήσαντα ἀνενεγκεῖν εἰς Ορφέα. Itaque conſtat Suidam alterutrius verba perperam cepiſſe: et praeſtabilius eſt receptam Harpocrationis lectionem ſartam et tectam tueri. Nempe vt ſuſpicor libri Epigenis cum Ionis ſcriptis coniuncti ferebantur. Is enim commentarium fecerat in Ionis Tragoedias; quod ſcias ex Athenaeo lib. XI. cap. V. vt nihil miri ſit, ſi librariorum qui omnia perturbant et miſcent, alii tanquam Ionis Τριαγμοὺς inſcripſerint, alii vt Epigenis.

Pag. 174. Καὶ μετὰ Μίνωα Αυλέας τραγικοὺς χοροὺς δραμάτων συνεγράψατο. Permirum fortaſſe videatur, Milli doctiſſime, tenebrionem illum Auleam pro Aeſchylo a Ioanne dici. Quid autem admirationis habet, cum in memoria quis teneat tot alias hallucinationes hominis? Etiam p. 74 citatur Αυλέας ὁ σοφώτατος de Endymione, quem in monte Cariae Luna conſopiuit, vt eum dormientem oſcularetur. Suſpicor et hic quoque ſignificari Aeſchylum, qui in fabula Caribus ſiue Europa non potuit non eam hiſtoriam attingere. Illud autem quam longe abeſt a vero, quod Aeſchylum narrat primum inſtituiſſe choros tragicos? E diuerſo partes chori, antea quam Aeſchylus tragoedias faceret, erant altero tanto longiores, quam poſt. Sed ea res niſi pluribus verbis explicari non poteſt: tota fere ſcenae ratio et hiſtoria eſt illuſtranda: complures auctorum loci qua corrigendi, qua nouo modo interpretandi: multi errores amouendi iam ipſa vetuſtate cani et venerabiles. Nemo enim vnus ex cohorte eruditorum, qui in eo argumento tant-

opere laborarunt, fcire adhuc potuit, quid Thefpis, quid Aefchylus et Sophocles inuentis addiderunt. Itaque iam odiofa difceptatione patienter carere poffis in praefentia; imo vereor vt citra faftidium epiftolam perlegas etiam abfque ifta concertatione nimirum loquacem. Me quidem et morae pertaefum eft et ineptiarum.

P. 214. Στησίχορος καὶ Βακχυλίδης, οἳ ἦσαν ὀρχήσεως εὑρεταὶ καὶ ποιηταί· Quid narras? nimirum noftra nos opinio fefellit, qui credimus te Antiochiae effe natum. Siquidem auctor eft Lucianus Antiochenfes de faltatoribus optime omnium iudicare potuiffe: te autem cum aliarum omnium, tum huius artis imperitiffimum videmus Rogo te, homo hominum ignauiffime, nunquamne facras fcripturas lectitafti? nonne ibi frequens faltationis mentio diu diuque, antequam Stefichorus nafceretur? quid? ne Homerum quidem per tranfennam afpexifti? iam ergo eum audias licet:

Ορχηστὺς, μολπήτε, τὰ περ τ᾽ ἀναθήματα δαιτός.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστὺν· ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.

Scio tamen, quid in fraudem te impulit; nempe nomen Stefichori, tanquam fi primus ἐστήσατο χόρους· et poemata quaedam Bacchylidis, quae ὑπορχήματα infcripta funt, et a Stobaeo citantur, et Athenaeo lib. XIV. Η δ᾽ ὑπορχηματική ἐστιν, ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χόρος ὀρχεῖται· Φησι γοῦν ὁ Βακχυλίδης. Οὐχ ἕδρας ἔργον οὐδ᾽ ἀμβολᾶς. Locus aliquanto integrior eft apud Dionyfium Halicarnaffenfem. Οὐχ ἕδρας ἔργον, οὐδ᾽ ἀμβολᾶς, ἀλλὰ χρυσαίγιδος. Ιτωνίας χρὴ παρ᾽ εὐδαίδαλον ναὸν ἐλθόντας ἁβρόν τι δεῖξαι. Omnes Cretici praeter vnum pedem qui in Paeonem folutus eft; adeo vt, cum hunc locum lego, coram oculis videre videar ὑπορχουμένους et fubfultantes. Nec tamen princeps et inuentor hyporchematum Bacchylides; fed, vt quibusdam videtur, Pindarus, vt alii volunt Xenodamus. Vide Clementem, Athenaeum, et Plutarchum περὶ Μουσικῆς.

P. 133. Γλαῦκος, ἴσχυρος, Φρόνιμος, εὐσεβής. Atqui, o Malela, tantum abeft, vt fapiens fuerit ifte Glaucus, vt eius nomen in prouerbii confuetudinem venerit, de homine qualis tu es, qui nefcit quid fit in rem fuam; qui permutat

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.

Sed eft potius vt librarii hoc effe facinus exiftimem, (praefertim fi non idem iftud Ισχυρὸς iteraffes) et orationem effe continuandam ad hoc exemplum: Αἰνείας εὐπώγων, γλαυκὸς (caefius) Φρόνιμος, εὐσεβής. Agnofco pium Aeneam; et ita plane Ifaccius Porphyrogenitus.

Illud p. 229. Καὶ κατηνέχθη ὁ Σίμων ἐπὶ τὴν πλατείαν καὶ ἐψόφη[illegible] satis quidem congruenter ad hellenismum vertit interpre[illegible]d non apposite ad sententiam. Quid si interpretemur τὸ ἐψόφησε, vt, quod in N. T. de Iuda Ischariota dictum est, ἐλάκησε μέσος, increpuit medius? Hesychius: Ελακεν, ἐψόφησεν· et Λακεῖν, ψοφῆσαι. Pagina autem 16 sane dormitauit interpres, vt in opere longo et ingrato facile queat somnus obreperr. Αχαΐα, Πεληνὴ, ἡ καλουμένη Πελοπόννησος· Achaea, Pelena, quae et Peloponnesus dicta est. Obsecro, quis istud vel fando audiuit? Scribe Αχαΐα, Πελλήνη· et verte, *Achaea, Pellene, et quae Peloponnesus vocatur.* Πελλήνη est Achaeae vrbs. Vide Geographos. Apollonius Argon. I.

Ασέριος δὲ καὶ Αμφίων Υπερασίου υἷες
Πελλήνης ἀφίκανον Αχαιΐδος.

Vereor ne putidum sit adnotare, Βούττιος, Βόττιος et Βώττιος vitiose dici apud Malelam pro Βρούττιος siue Βρέττιος. Hoc quidem exploratum est, cum eandem plane narrationem ex Brutio afferant Georgius et Hieronymus. Ita p. 200. Θάλης καὶ Κάστωρ καὶ Πολύβιος deprauate pro Θαλλος. Similiter enim Castorem, Thallum et Polybium de rebus Assyriacis vna citat Syncellus. Et adhuc p. 221. Callimachus ἐν Ετησίοις, pro Αιτίοις. Neque enim Αιτίαι, inscribuntur, nequis erret, sed Αἴτια, vt in Epigrammate lib. I. Anthol. cap. LXVII.

Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς,
Αἴτιος, ὁ γράψας Αἴτια, Καλλιμάχου.

Apello ad elegantiorum hominum iudicia, an non melior aliquanto sit lectio, ex coniectura nostra:

Αἴτιος, ὁ γράψας Αἴτια, Καλλίμαχος.

Caeterum homo Malelae germanissimus Fulgentius Planciades, *Ientaculum,* inquit, *gustatio dicitur. Callimachus Intesia: Ientaculum proferre Ioui* Diceres hunc a Ioanne Ετήσια illa mutua petiisse. Illud vero incredibile videatur, Cyrenaeum illum Latine loqui et quidem versu: nam sic lego: Ientaclum proferre Ioui — — Sed minuit admirationem, quod Fulgentius et Mnaseae Εὐρωπίακὰ et Demosthenis Philosophica viderit Latino sermone conscripta. Sicut Ouidianae Ibidis vetus Enarrator putidissimos versus eosque Latinos Eupolidi et (iocularem hominis confidentiam!) Democrito affingit.

Illud praeterea pag. 52. Καθὼς Δήμαρχος ὁ σοφώτατος συνεγράψατο περὶ τοῦ αὐτοῦ Διονύσου, corrupte exhibetur loco Δείναρχος. Nam Georgius eandem historiam memorans: Δείναρχος, ait, ὁ ποιητὴς, οὐχ' ὁ ῥήτωρ. et Hieronymus:

Dinarchus poeta, non Rhetor. De quo in diuersas sententias ierunt viri docti. Verba Demetrii Magnetis in opere περὶ τῶν Ὁμωνύμων apud Dionysium Halic. Δεινάρχοις δὲ ἐντυγχάνομεν τέτταρσιν, ὧν ἐςὶν ὁ μὲν ἐκ τῶν ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν· ὁ δὲ τὰς περὶ Κρήτην συνηχήοχε μυθολογίας· ὁ δὲ πρεσβύτερος μὲν ἀμφοῖν τούτοιν, Δήλιος δὲ τὸ γένος, πεπραγματευμένος τῦτο μὲν ἔπος, τῦτο δὲ πρᾶγμα· τέταρτος δὲ ὁ περὶ Ὁμήρου λόγον συντεθεικώς. Et Gerardus quidem Vossius in praeclaro opere de Historicis, Dinarchus, ait, Delius Cretenses fabulas collegit, vt cognoscimus ex Dionysio Hal. Videtur idem signari ab Eusebio, vbi de Bacchi gestis loquens, ait, Ὡς φησι Δείναρχος ὁ ποιητὴς οὐχ' ὁ ῥήτωρ. Condonamus quidem ei ἁμάρτημα μνημονικόν· neque enim Delius fuit Cretensium fabularum collector, sed secundus iste nescio quis; quem vix est vt existimem eas versibus edidisse, saltem hoc non exploratum est. Scaliger in Graeca Eusebii p. 31. Viderint, ait, eruditi, an tertius Dinarchorum Δήλιος τὸ γένος, πεπραγματευμένος τοῦτο μὲν ἔπος, τοῦτο δὲ πρᾶγμα, sit iste poeta, quem innuit Eusebius. Nam sane mihi ignotus est. Hactenus quidem accedo, vt aut iste sit poeta, de quo Eusebius; aut nullus ex quatuor. Sed amabo, quid sibi vult illud πρᾶγμα? nam, quantum ego video, nulla ei subest sententia neque scientia. Latine sic vertas: Dinarchus genere Delius, qui aliquid dixit, et aliquid fecit: siue, qui aliquid versu dixit, aliquid re ipsa. Profecto non multam in Demetrio perdidimus, si omnia sic dixit. Sed opinor neminem inficias iturum, quin mutatione commoda et illi suus honos, et orationi sua sententia restitui possit, si legamus: πεπραγματευμένος τοῦτο μὲν ἔπος, τοῦτο δὲ γράμμα, id est, qui quaedam Heroico carmine conscripsit, alia oratione prosa: vel, (quia τὸ γράμμα quoduis scripti genus nonnunquam significat) τῦτο δὲ δρᾶμα, qui et poemata Heroica et dramata edidit.

Domninus iste χρονογράφος non aliunde quam a Malela cognosci potest, a quo saepissime ad partes vocatur. Antiochensem fuisse certissimis signis deprehendes, vbi per otium licebit locos istos consulere: probabiliter etiam dixeris, deduxisse eum historiam ab exordio mundi vsque ad Iustiniani tempora. Itaque inclinat animus, vt hunc fuisse Domninum illum existimem, qui ea tempestate fuit Ecclesiae Antiochensis Episcopus. Nam sane sicut hic a Ioanne p. 265. Domnus vocatur: ita istum Patriarcham hi Domnum, illi Domninum appellant. Accedit huc, quod plerique omnes, qui aggressi sunt tempora describere, fuerunt Episcopi; Victor, Prosper, Theophilus, Eusebius, et Georgius Episcopus designatus.

Equidem nescio, vtra res maiorem admirationem attulerit, tot nomina hominum propria a Ioanne corrupta esse, an ea menda a doctissimo interprete dissimulata fuisse et silentio praetermissa: verbi gratia p. 101. et 171. Τυνδάριος pro Τυνδάρεως. Ανδρόγηος 107 pro Ανδρόγεως. Πλησιώνης 121. pro Πληϊόνης; atque ea quidem non mater erat Atlantis, verum vxor. Ιωβάτης 103. pro Ιοβάτης. Μηδίαν τὴν τοῦ Αετοῦ 97. pro Μηδείαν τὴν τοῦ Αἰήτου. Πέλωψ et Πέλωπος 99. et 104. pro Πέλοψ et Πέλοπος. Αμφίωνα 55. pro Αμφίονα. Αἰνειάδες pro Αἰνειάδαι. Ιωκάςη 59. pro Ιοκάςη. Ετεωκλέους 63. pro Ετεοκλέους. Αμφίαρος 63. pro Αμφάραος. Δευκαλίων ὁ υἱὸς Ελενος τοῦ Πήκου, 84. pro Ελληνος. Nec tamen Deucalionis pater erat Hellen, sed filius. Αντιφάντην 145. pro Αντιφάτην. Τηλέφου Regis Latinorum 205. pro Τηλεμάχου, quorum hic Vlyssis et Penelopes filius, ille Herculis et Auges. Duorum verborum similitudine tota historiae ratio est perturbata. Sed propemodum omni fide maiora sunt errata p. 135. vbi Graecorum duces recenset, qui contra Troianos arma ceperunt. Nam vt de numero navium, etsi ea ratio longe vitiosissima est, nihil dicam; ecce tibi Μενέλαος καὶ Λήϊςος, pro Πηνέλαος καὶ Λήϊτος. Homerus:

Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως, καὶ Λήϊτος ἦρχον,
Αρκεσίλαός τε Προθοήνωρ τε Κλόνιός τε

Μέγης ἐκ Δολίχης τῆς Ελλάδος ex Doliche Helladica pro ἐκ Δουλιχίου ἐξεναντίας τῆς Ηλιδος.

Οἱ δ' ἐκ Δουλιχίοιο Εχινάων θ' ἱεράων
Νήσων, αἳ ναίουσι πέρην ἁλὸς Ηλιδος ἄντα,
Τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε Μέγης ἀτάλαντος Αρηϊ.

Αγήνωρ καὶ Τευθίδης. Euge vero, Malela, qui de oppidi nomine Heroem confinxisti. Siquidem in Homero legimus Αγαπήνωρ ἐκ Τεγέης.

Οἱ τ' ἔχον Αρκαδίην καὶ Κυλλήνης ὄρος αἰπυ,
Καὶ Τεγέην εἶχον καὶ Μαντινέην ἐρατεινὴν,
Τῶν ἦρχ' Αγκαίοιο παῖς κρείων Αγαπήνωρ.

Ex Tegea eum profectum esse Epitaphium satis indicat:

Αρχὸς ὅδ' ἐκ Τεγέης Αγαπήνωρ Αγκαίου υἱὸς
Κεῖθ' ὑπ' ἐμοῦ, Ταφίων πελτοφόρων βασιλεύς.

Πρόθωος καὶ Μαγνίτωρ. Enimuero apud Malelam facilius Heroes nascuntur, quam fungi post pluuiam. O fortunatam Antiochiam tanto alumno! Ineptus adeo Homerus, qui pro isto Magnitore gregarios quosdam milites vilissima capita e Magnesia duxit:

Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος Τενθρηδόνος υἱός.

Εὔμενος σὺν νηυσὶν ι α pro Εὔμηλος.

Τῶν ἦρχ' Ἀδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν
Εὔμηλος.

Νηρεὺς ἐκ Μυκήνης, pro Νιρεὺς ἐκ Σύμης.
Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας

Χαλίας ἐκ Τρίκκης σὺν νηυσὶν μ. Ecce tibi iam tertius Heros Chalias, qui a corrupto vocabulo Οἰχαλίας prodiit non aliter ac vermes in putrefcenti cadauere nafcuntur.

Οἳ δ' εἶχον Τρίκκην καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Οἵ τ' ἔχον Οἰχαλίην πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος,

eos ducebant Podalirius et Machaon. Λεοντεὺς καὶ Πολυπήτης, fcribe Πολυποίτης. Ἀμφιγενείας ἐξ Ἰλίου σὺν νηυσὶν μν. Profecto fi Troicis temporibus Malelas vixiffet, non decem annos totos Graeci confumpfiffent in vnius vrbis obfidione: tot iis terrae filios mififfet auxilio. Ἀμφιγενείας et Πτελέου oppidorum meminit Homerus:

Οἵ τε Πύλον τ' ἐνέμοντο καὶ Ἀρήνην ἐρατεινὴν,
Καὶ Κυπαρισσήεντα καὶ Ἀμφιγένειαν ἔναιον,
Καὶ Πτελεὸν καὶ Ἕλος καὶ Δώριον.

Ἀχιλλεὺς ἐκ τοῦ Ἄργους τῆς Ἑλλάδος ex Argis Helladis. Et Argos et Hellas Theffaliae funt vrbes, vt pueri fciunt: fed hic locus fatalis eft ad Malelae hallucinationes.

Νῦν δ' αὐτοὺς (leg. αὖ τοὺς) ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔναιον,
Οἵ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Τῶν αὖ πεντήκοντα νεῶν ἦν ἀρχὸς Ἀχιλλεύς.

Φιλοκτήτης ἐκ Μοθόνης, vitiofe pro Μηθώνης. et Σώρθης, Φίλιππος, Ἀντίφος σὺν νηυσὶν ογ. Quis autem porro mirabitur e cerebello Iouis Mineruam effe natam; cum Antiochenfis hic infulfo fuo capite progeneret abfque ope Vulcani

Ductores Danaum delectos, prima virorum?

Sorthem heroem nominat pro Infula Carpatho, vt et Philippum pro Phidippo.

Οἳ δ' ἄρα Νίσυρόν τ' εἶχον Κράπαθόν τε Κάσον τε
Τῶν δ' αὖ Φήδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην.

Notum eft iam a multis faeculis morem inualuiffe apud Graecos, vt eodem fono efferuntur αι et ε, οι et υ. Tam captiofa pronunciatio mendis infinitis libros oppleuit: vt Mal. p. 47. et 49. τῷ υἱῷ τῆς Αἰχίονος τῷ Πένθει, pro Ἐχίονος. et e diuerfo 49. et 55. ὄρος Κιθερώνιον pro Κιθαιρώνειον et 106. Ἀντέωνι pro Ἀνταίῳ. et alia non pauca extant ex eo genere, fic 212. et 171. τοῦ Ὕακος υἱοῦ τοῦ Ναυπλίου pro Οἴακος. et Σχυνέως 169. pro Σχοινέως. In codicibus manu notatis promifcuus fere eft vocalium horum vfus. Hoc diligenter anim-

aduerſo, deploratiſſimos locos emendabit nullo negotio, qui ingenium et iudicium in numerato habuerit. Plutarchus de Iſide et Oſiride: Εμπεδοκλῆς δὲ τὴν μὲν ἀγαθουργὸν αρχὴν Φηλότητα καὶ Φιλίαν, πολλάκις δὲ ἁρμονίαν καλεῖσθαι μέροπι· τὴν δὲ χείρονα, νεῖκος οὐλόμενον καὶ δῆριν αἱματόεσσαν. Fruſtra hic Plutarchus per annos ducentos criticorum auxilium implorauit. Tu verte αι in ε et lege Αρμονίαν καλεῖ θεμερῶπιν. Poſſum excitare ipſum Empedoclem teſtem huius correctionis, apud Plutarchum περὶ Εὐθυμίας.

Ενθ' ἦσαν Χθονίη τε, καὶ Ηλιόπη ταναῶπις,
Δῆρίς θ' αἱματόεσσα, καὶ Αρμονίη ἱμερῶπις,
Καλλισώ τ', Αισχρήτε, Θόωσά τε Δειναίη τε,
Νημερτής τ' ἐρόεσσα, μελάγκαρπός τ' Ασάφεια.

Vbi libenter legerim Δηναιή τε, vt contraria inter ſe comparentur. Scio nunc quid in animo tute tecum volutes: ſed illud tibi confirmare poſſum, ſyllabam primam verbi ἱμερῶπις eſſe productam atque longam. Primus id repoſuit Henricus Stephanus ex coniectura quantum ego ex re ipſa coniecturam facio. Veteres editiones repraeſentant καὶ ἁρμονίη γε μερῶπις. Itaque et hic legendum eſt ἁρμονίη θεμερῶπις. Heſych. Θεμερῶπις, ἐρασμία, ἀγχόνη. Lege ἐρασμία ἁρμονίη, auctoritate Empedoclis: niſi ſi mauis ἐρασμία αἰσχύνη ex Aeſchyli Prometheo: Εκ δ' ἔπληξέ μοῦ τὴν θεμερῶπιν αἰδῶ. Αἰδὼς eſt αἰσχύνη. Perperam huic lectioni Scholiaſtes, et Etymologici auctor θερμερῶπιν vocem nihili anteponunt, tanquam, θερμαίνουσαν τὴν ὦπα. Atqui eo pacto θερμῶπις eſſet dicendum: neque enim vel fando auditum eſt θέρμερος. Pollux tamen lib. 6. c. 40. τὸ δὲ θερμερύνεσθαι καὶ κιχλιδιᾶν κωμικά. MSi. χλιδιᾶν vel κυχλοιδιᾶν· lege: θεμερύνεσθαι καὶ χλιδᾶν vel χλοιδᾶν vel κυλοιδιᾶν. Heſychius: Θέμερον, σεμνόν, ἀφ' οὗ καὶ τὸ σεμνύνεσθαι, θεμερύνεσθαι. Θεμέρη, βεβαία. σεμνὴ, εὐςαθής. Θεμερόφρονας, συνετοὺς, σώφρονας. Sed vt planiſſime conſtet; opus eſt vt ſtrophen et antiſtrophen inter ſe conferamus: in quibus hi verſus reſpondent ex aduerſo.

Εκ δ' ἔπληξέ μου τὰν θεμερῶπιν αἰδῶ.
Νεοχμοῖς δὲ νόμοις Ζεὺς ἀθέσμως κρατύνει.

Vbi pro ἀθέσμως ex neceſſitate metri conieci legendum eſſe ἀθετῶς. Quam coniecturam firmauit Heſychius, ἀθετῶς, ἀθέσμως, ἢ συγκατατεθειμένως. Αἰσχύλος Προμηθεῖ δεσμώτῃ· lege, οὐ συγκ. Sine conſenſu et approbatione reliquorum deorum. Reſpexit ad hunc locum: neque enim alibi in ea fabula occurrit. Plane iam imperitus ſit oportet, aut ab inuidentia laboret, qui de Θεμερῶπιν contra veniat. Experia-

mur, quid in alteram partem possit haec obseruatio. Hesychius: Εναςρος, ὡςεμένας, ἀχαιὸς ἀλφεσίβοιαι ἀντὶ τοῦ ὑαςὰς γὰρ βακχας ὑάδας ἔλεγον. Prodigiosa plane oratio. Nunc vicissim ε muta in αι et lege. Εναςρος ὥςε Μαινάς. Ἀχαιὸς Ἀλφεσιβοίᾳ· ἀντὶ τοῦ Ὑάς· τὰς γὰρ Βάκχας Ὑάδας ἔλεγον. Agnoscis, opinor, principium senarii ex Achaei fabula Alphesiboea. Similiter οι passim loco υ Hesych. Κοίημα, γέννημα. pro Κύημα; et vice versa Στυχιοῦσι, διατυποῦσι. pro Στοιχειοῦσι. Idem: Στοιχείωσις, διατύπωσις, ἡ πρώτη μάθησις. Itaque Suidas in Lexico diphtongos αι et οι alieno loco proxime ante ε et υ collocauit. Extat in Bibliotheca publica Oxonii liber antiqua manu notatus, continens mille regulas de recta scribendi ratione: quarum XL. docent quando αι scribere oporteat, et quando υ: totidemque vbi οι, et vbi υ. Eum codicem, cum ante inter ἀδεσπότους ferretur, deprehendi ex prooemio versibus senariis scripto literis prae vetustate pene effugientibus obtutum oculorum, Theognoti esse Grammatici, quem laudat aliquoties Etymologici scriptor. Et quidem omnia ibi reperi, quae iste Theognoto accepta retulit. De aetate hominis rescisces ex Proefatione, cuius initium est,

Τῷ δεσπότῃ μου, καὶ σοφῷ σεφηφόρῳ
Λέοντι, τῷ κρατοῦντι πάντων ἐν λόγοις,
Θεύγνωτος εὔγνωτός τις ὡς ὢν οἰκέτης.

Constitueram hic Epistolae finem imponere: sed interuenit amicus meus, aurium conuitio rationem efflagitans, cur Ioannes Malelas mihi dicatur, qui a Vossiorum vtroque, Vsserio, aliisque omnibus qui in hunc vsque diem eius mentionem fecerunt, Malela nominatur. Ego vero inquam, ne in virorum quidem maximorum verba iurauerim: Sed in aliam sententiam, vbi commodum est, quanquam inuitus, meo iure discedo. Roget igitur quispiam: cur Malela potius sit vocitandus? hoc scilicet ab iis responsum feret; apud Constantinum sic appellari, Ιωάννου τοῦ ἐπίκλην Μαλέλα, et apud Damascenum. Ιωάννου τοῦ καὶ Μαλάλα· nusquam alibi commemorari, praeterquam apud Tzetzem Ιωάννης τις Μελέλης. Atqui, si ita res se habet, vulgo et passim reperias τοῦ Σουίδα, τοῦ Θωμᾶ, τοῦ Ἀριςέα, τοῦ Φιλητᾶ, τοῦ Τριόπα, τοῦ Σκόπα, τοῦ Κρατεύα· nec tamen propterea vel Suidas grammaticus dicitur, vel Thomas Apostolus, vel Aristea de LXXII. interpretibus. Ratio videlicet linguae graecae vix aut nullo modo patiatur, vt in A literam virilia nomina casu recto terminentur. Atque ea causa est, cur peregrina virorum no-

mina, quae in A exeunt, a Graecis inflectantur in ας, Γάλβας, Σύλλας, Νουμᾶς, Σενέκας, Αγρίππας. Quod si adeo iam exploratum est nominatiuum Graecum esse Μαλέλας· nolim ego Latine vertens postremam literam abiicere praeter morem et consuetudinem eorum temporum quibus maxime viguit honos et gratia Latini sermonis. Vetustiores quidem, vt auctor est Quintilianus L. I. c. V. Non in A et S literas exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur. Ideoque et apud Coelium legimus: Pelia Cincinnatus. Et apud Messallam: Benefecit Euthia; et apud Ciceronem: Hermagora. Ne miremur, quod ab antiquorum plerisque Aenea et Anchisa sit dictus. Priscianus Lib. V. Apud Graecos in ας desinentia, apud nos in A terminantur: vt Μαρσύας, Σωσίας, Βυῤῥίας, Χαιρέας, Τουρίας, Βαγράδας, Marsya, Sosia, Byrrhia, Chaerea, Turia, Bagrada. Libro autem VI. pag. 681. et 701. plerumque ait et frequenter hoc fieri solere. Et his fortassis auctoribus tueri se posse arbitrentur, qui e contraria parte dicunt. Mihi vero longe videtur secus, sed oportet haud ieiune de hac causa et tanquam in transitu, sed plene copioseque disputare. Principio nulla controuersia est, quin indigena Latinorum sermo nullum habuerit nominatiuum in As cum Genitiuo ἰσοσυλλάβῳ. Quapropter antiquitus, siue Graecus quispiam in Latina ciuitate viueret, siue Graeca scripta in Latinum conuerterentur, eiuscemodi nomina per A plerumque scribere et pronunciare placuit. Atque hoc quidem ex ingenio et consuetudine linguae vernaculae ab iis est factitatum. Comici igitur in Graecis interpretandis eam rationem tenuerunt: Chaerea, Sosia, Byrrhia, Phania, Clinia, Demea, Phaedria, proferentes. Nimirum auribus vulgi ista dabantur. Nec tamen deerant etiam antiqua illa memoria, (pace Quintiliani dixerim) qui ad Graecorum exemplum instituerent loqui: quantum ex eorum reliquiis coniectura consequi possum. Apud Gellium Lib. III. c. 7. verba sunt Catonis Censoris, qui ea tempestate in Rep. floruit, qua Plautus in scena: Leonidas Lacedaemonius laudatur: Plauto tamen in Asinaria seruus dicitur Leonida. Claudius Quadrigarius apud Gellium l. 3. c. 8. Ad nos venit Nicias familiaris tuus. Lucilius apud Donatum:

Ante fores autem et triclini limina quidam
Perditu' Tiresia tussi grandaeuu' gemebat.

Vbi legendum est Tiresias: nisi si syllabam natura breuem propter caesuram produci existimas. Priscianus Lib. VI. Hic Calchas Calchantis, quamuis hic Calchas huius Calchae, antiquissimi declinabant. Sed in his locis fortasse fides Exemplarium suspecta esse possit: in illo Plinii lib. XXXV. cap. X. nullus

datur fuſpicioni locus. Decet non fileri et Ardeatis templi pictorem, praeſertim ciuitate donatum ibi et carmine, quod eſt in ipſa pictura his verſibus:

Dignis digna loca picturis condecorauit
Reginae Iunoni' Supremi coniugi' templum
Marcus Ludius Elotas Aetolia oriundus,
Quem nunc et poſt ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Ea ſunt ſcripta antiquis literis Latinis Elotas eſt Ἑλώτας, εἱλώτης: Gruterus Epigramma hoc profert, tanquam a Boiſſardo viſum in hortis Iulii III. Pontif. Romani:

DIGNE DOCTILOQVEIS PICTVRIS et quae ſequuntur. Sine dubio falſarius aliquis in lapide inſcribendum curauerat, a Plinio id mutuatus. Profecto male operam luſit in verſu primo corrigendo. Editio Veneta anni MCCCCLXXXIII. habet: Dignis digna loco. Lego igitur

Dignis dignu' loco picturis condecorauit.

Lucilius:

Samnis ſpurcus homo vita illa dignu' locoque.

Dignus loco eſt τῶν μέσων· et in bonam vel malam partem capi poteſt. Nihil verius hac emendatione. In eadem eſt editione: Aetolia orundus, longe quidem melius, quam quod in indice Scaligeri eſt: Aetola oriundus. Lucretius lib. 2.

Denique coeleſti ſumus omnes ſemine orundi.

Siue mauis cum vulgatis libris: oriundi; certe triſyllabon ſit neceſſe eſt. Sic igitur vetuſtis illis mos erat, vt interdum quidem in AS, frequentius in A Graeca nomina vellent exire. Poſtea vero, vt ait Quintilianus, recentiores inſtituerunt Graecis nominibus Graecas declinationes potius dare. Proinde hoc inſtitutum tenuerunt

Lucretius.

Id quod Anaxagoras ſibi ſumit.

Varro de R. R. antiqui tamen vt qui maxime, amator ſermonis: Archytas, Hegeſias, Athenagoras, Mnaſeas. et apud Nonium in Scaturex. Iſmenias, Theobogenes fluit Scaturex. lege: Theobagenes Θηβαγενής. Et ſimiliter Cicero, apud quem vulgo occurrunt Archias, Gorgias, Phidias, Cineas, Pruſias, Arceſilas, Charmadas, Critias, Diagoras, Hippias, Lyſias, et ſiqua ſimilia. Nam de Hermagora Ciceronis vereor ne vitioſo codice vſus ſit Quintilianus. Profecto enim omnes omnino, qui nunc ſuperſunt MSS. conſtanter habent: Hermagoras. Sed melius eſt ex ipſis locis experimentum iudicii capere, libro primo De inuentione: Huius conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur: et ibidem: Quod ſi magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem. Repone hic

paulisper; Hermagora inuentor, et Hermagora habuisset: non sentis vocalium concursum vaste hiantem? Ego vero Ciceronem ita scripsisse ne ipsi quidem Ciceroni affirmanti crediderim. Quid dicam de scriptoribus aeui Augustaei? quid de insequentium aetatum? nempe eadem tum consuetudo inualuit, vt in As caderent Graeca nomina. Spero mihi fidem apud te esse; ne necesse habeam infinita hic exempla enumerare. Quod tamen cum exceptione dictum velim; vt quanquam eruditi homines eum, quem dixi, morem seruauerunt; nomina tamen Seruorum, aut quicunque, vt principio dixi, in Latina ciuitate vixere, vulgaris vsus, penes quem ius est loquendi, plerumque immutauerit ad Latinam consuetudinem. Inde est apud Ciceronem, Phania Appii libertus. Frustra enim graecissaret dominus; cum ab omnibus conseruis et notis sine s litera Phania is vocabatur. Sed a Plinio memoratur Phanias physicus: nempe is in Graecia vitam egerat, nullum habuerat Romae dominum aut patronum. Inde illud Horatii: Credat Iudaeus Apella, id est, quiuis Iudaeus: vt locum explanem parum hac memoria intellectum. Iudaei habitabant trans Tiberim, et multo maximam partem erant libertini, vt fatetur Philo in legatione ad Caium. Apella autem Libertinorum est nomen, satis frequens in Inscriptionibus vetustis. Cic. Ep. 25. lib. 7. Ne Apellae quidem liberto tuo dixeris. Itaque Credat Iudaeus Apella, quasi tu dicas; Credat superstitiosus aliquis Iudaeus Transtiberinus. Inde illud alterum; Obeundus Marsya: quo modo etiam loquuntur Ouidius, Lucanus, Silius. Marsya scilicet in Foro collocatus et donatus quasi ciuitate Romana non potuit non in ore vulgi quotidie versari; et praeterea eo nomine fuerunt serui Phryges. In veteri marmore, M. HELVIVS M. L. MARSYA. Vulgi autem auctoritatem libenter hic secuti sunt poetae; cum secundum Graecam pronuntiationem Marsyas in hexametro non staret. Sic Cassius Chaerea tribunus plebis, notissimus ob Caii Caesaris caedem: alter apud Plinium statuarius, qui nunquam credo Italiam viderat; et apud Varronem tertius Atheniensis, qui de Re Rustica scripsit, Chaereas. Ita Persius: (priusquam Cornutus Stoicus versum immutauerat metu Neronis) Auriculas asini Mida rex habet; et ad id exemplum Iustinus: nullam aliam ob caussam, praeterquam quod id nomen frequenter mancipiis est inditum, praesertim ex Phrygia emptis. Terentius Phormione: Puer ad me occurrit Mida. Vetus lapis apud Sponium p. 289. MIDA CVBICVLARIVS. Nequeo tamen coniectura augurari, cur qui Nepoti Perdiccas, Curtio et Iustino et quibusdam aliis Perdicca nominetur. Siquidem apud vtrumque caetera omnia Graeco more proferuntur, Amyntas, Bagoas,

Philotas, Ophellas, Iollas, Gobryas, Alcetas frater Perdiccae. Nullos memini Perdiccas inter Italorum seruos aut libertos: neque quicquam aliud caufae inuenire poffum. Nam cognomenta libertinorum (ea ipfis nomina fuerunt, priusquam manu mitterentur) fi Graece in As caderent, Latinam terminationem pleruinque ceperunt. Non tamen vfquequaque increbuiffe eam confuetudinem ex antiquis Infcriptionibus animaduerti. Nam ecce tibi haec nomina ex Grutero, Reinefio, Sponio. Ἀχιλλᾶς. M. Cornelius Achillas. L. Pontius Achillas. * Ἀλεξᾶς, ὑποκοριςικὸν ab Ἀλέξανδρος. Q. Hortenfius. Q. L. Alexa. Suauettius Alexa. * Ἀνδρέας. C. Quinctius Andrea. * Ἀπελλᾶς (Ἀπολλᾶς apud Athenaeum) ab Ἀπολλόδωρος. T. Claudius Apella. * Αρποκρᾶς ab Αρποκράτης vel Αρποκρατίων. M. Lollius Arpocras. C. Herennius Harpocra. * Ἀρτεμᾶς ab Ἀρτεμίδωρος. C. Caecilius Artemas. Caecilius Dexter et Artimas fratres. Ae. Fl. Artema. L. Laberius Artemas. * Ἀθηναγόρας Vireius Athenagoras. * Κλεόπας in N. Teft. vel fortaffe Κλεοπᾶς a Κλεόπατρος, vel Κλεόφιλος. Ti Cleophas. * Κλεινίας vel Κλινίας. Iuli. Clinias. Q. Pomp. Clinias. * Κτησίας. M. Aur. Ctefias. * Sic Dama apud Perfium, fi Graecum eft a Δαμᾶς vel Δημᾶς quod eft diminutiuum a Δημήτριος. Mettius Damas. * Ἐπαφρᾶς ab Ἐπαφρόδιτος. G. Auillius Epaphra. M. Cornelius Epaphra. C. Curtius Epaphra. C. Iulius Epaphra. P. Nonius Epaphra. C. Pricilius Epaphra. S. Propertius Epaphra. C. Veiacus. C. L. Epaphra. Et e diuerfo: Epaphras poftremum praeftitit officium. * Γλαυκίας. Glaucias Lib. * Γοργίας, Gorgias Lib. L. Abuccius Gorgia, Spon. 288. * Ἡρᾶς ab Ἡρόδωρος. L. Abuccius Hera. M. Petronius Hera. P. Sulpicius Hera. P. Valerius Hera. * Ἡρακλᾶς ab Ἡρακλεόδωρος Clem. Stromat. V. L. Aemilius Heracla. C. Annius Heracla. C. Cammelius Heracla. L. Clodius Heracla. L. Cornificius Heracla. Q. Cornelius Heracla. L. Creperius Heracla. L. Licinius Heracla. F. Longinus Heracla. C. Stiminius Heracla. Q. Petinius Q. L. Heraclas. * Ἑρμᾶς ab Ἑρμόδωρος. Herma accommodatior. L. Aemilius Hermas. P. Annius Herma. C. Caffius Herma. Cornelius Hernia (vitiofe pro Herma) M. Iunius Hernia. (lege Herma) Q. Lollius Herma. M. Mag. Herma. Octauius Herma. C. Quinctius Herma. P. Statius Herma. P. Turannius Herma. Q. Vibius Herma M. Vlpius Aug. Lib. Herma. * Ἑρμαγόρας L. Maecius L. F. Hermagoras. * Ἑρμείας. Aurel. Hermias Aug. Lib. T. Didius Hermias. M. Heluius Hermias C. Iulius Hermia Sex. Pompeius Sex. Hermia. Spon. 221. lege Sex. L. Her. * Λεοντᾶς fortaffe ὑποκοριςικὸν a Λεόντιος. L. Arcius Leontas. M. Herennius. M. L. Leonta. * Λεωνᾶς Artemidorus

pag. 249. Λεωνᾶς ὁ Σύρος ὁ παλαιςής Fabius Leonas. C. Oppius C. L. Leonas. * Μηνᾶς a Μηνόδωρος. D. Lallius Mena. * Μητρᾶς a Μητρόδωρος. C. Fyrmius Metras. * Νικίας M. Annius Nicia. Cluuius A. L. Nicia. A. Plautius Nicia. * Νικήτας. Aur. Niceta. * Ονησᾶς ab Ονησίφορος. Q. Virius Onesas. * Παπίας. C. Marcius C. F. Papia. Munatius Papa (an depravatum loco Papia an a Πάπας) M. Plutius M. L. Papia C. Purellius Papia L. Valerius Papia. * Φιλώτας. A. Annius Philotas. * Φιλᾶς a Φιλόδημος M. Hirrius Phila. * Φιλέας L. Magius Phileas. * Φανίας. Phania apud Terentium et Ciceronem: Fl. Phaneas. M. Tillius M. L. Phanias. * Θευδᾶς vel Θεοδᾶς a Θεόδωρος A. Faesonius Thuda. Q. Veionius Teuda. * Θεωνᾶς Alexandriae episcopus, Theonas apud S. Hieron. Liuius Theona Aug. L. et Liuius Theona ab Epistolis Graec. * Ζάβδας Hierosol. Episcopus. Zabdas S. Hieron. et Zabdae in monumento L. Valerii: Saufeius Sabda. * Ζηνᾶς a Ζηνόδωρος. L. Calpurnius Zena. Enimuero iam percontari eos velim, qui sine S litera, Malela pronunciant, quo auctore didicerint Ioannem hunc Antiochensem captiuum in Italiam abductum seruitutem ibi seruisse; tandem autem, postea quam libertatem receperat, ad historiam scribendam se contulisse? Sin autem; cur obsecro, cum Euandri matre et cascis illis allium abolentibus, aut cum faece Romuli loqui malunt, quam cum Cicerone, et bonis auctoribus Latinitatis? Mihi quidem non longa deliberatio est, vtros imitare velim. Sed haec nimium fortasse studiose atque anxie: nisi quod omnino respondendum fuit iis, a quibus sum prouocatus. Siquidem Gerardus Vossius, qui nescio an ab interprete Damasceni in errorem ipse inductus sit, certe aliis exemplo suo et auctoritate viam ad errationem muniuit, non certo iudicio, sed inconsiderate praeterque morem videtur egisse. Quippe qui nunquam alias abiecerit S: ne tum quidem cum auctores haberet, quos etsi perverse, saltem aliquatinus imitaretur. Apud quem Chaereas vocatur Historicus et Clinias, Marsyas Macedonicarum rerum scriptor et Delphicarum Apellas: nec tamen Chaerea et Clinia in Comoedia, neque Horatii Marsya et Apella tenacissimam eius memoriam fugere potuerunt.

Tantum quod haec scripseram, Milli iucundissime: cum ecce mihi noua res atque improuisa nunciatur, quae de sententiae me meae statu propemodum deiecit. Enim vero quod in superiore causa probanda tantopere desudarem, nihil fuisse; meque in ea disceptatione prorsus ἄσκοπα τετοξευκέναι. Nam apud Constantinum et Damascenum τοῦ Μαλέλα posse nomen indeclinabile esse; neque abhorrere ab vsu Graecorum, vt nomina barbara sine variatione casuum proferantur, τοῦ Αμ-

μοῦν, τοῦ Ανοὺβ, τῷ Ασκοὺμ, τοῦ Βλὰχ, τοῦ Αψικαλ etc. sexcenta dari masculina in A, vt ὁ Σισάρα, ὁ Σάλα, ὁ Φουὰ, ὁ Σίβα in Vet. Test. ὁ Ζαρὰ, ὁ Αβία in Nouo: Syrorum nationem (Syrum autem esse hunc Malelam) amare nomina in A literam exeuntia, Maruta, Barsoma et pleraque omnia: sic et Arabas quoque Abdalla, Mashalla, Taphala, et liqua sunt alia: occurrere denique apud Cantacuzenum Ιωάννης Περάλτα, et apud Theophanem Ιωάννης ὁ ἐπίκλην Ημοῦλα, Ioannes cognomento Hemula, secundum Victorem Tununensem. Ego vero quanquam fortasse praestabilius esset, vt ex amicorum consilio supersederem labore respondendi, libera esse iudicia finerem: constitui tamen deuorare eam molestiam, et eo quidem animo, nullum vt certamen instituam, neque enim temperato calamo res agetur; sed vt semel defungar, nec tacendo committam, vt odiosae mihi de lana caprina lites succrescant in posterum. Dico itaque neque esse illud, de quo viri docti asseuerant, neque posse. Nam ecce tibi Ioannes Tzetzes, qui cum ἰωνικωτέρως πως protulerit Μελέλης, certe secundum me iudicasse videatur. Crebro enim eae syllabae permutantur inter se, Λεωνίδας Λεωνίδης, Ερμᾶς Ερμῆς, Απελλᾶς Απελλῆς, Μαλέλας Μελέλης. Eodem accedit quod in syllaba secunda statuitur accentus, τοῦ Μαλέλα tanquam ab ὁ Μαλέλας, non Μάλελα aut Μαλελὰ vt plerumque assolet in vocabulis peregrinis. Verum illud in primis est admiratione dignum, quod vt de Graeco nomine cognitio habeatur, ἐπ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους et ad barbaras nationes prouocant. Siquidem ex Hunnorum gente sunt Ασκοὺμ et Βλὰχ, de quibus vide ipsum Malelam p. 159 et 170. Verum age, quandoquidem sic agi placet, cedo quos volent arbitros. Stabimus etiam Hunnorum iudicio: neque homines plebeii, sed reges et regibus proximi pronunciabunt. Verba sunt Malelae p. 59. Καὶ ἤνεγκεν ἅμα αὐτοῦ κατὰ Αττιλᾶ. Maxime regum, bona tua venia libenter rogauerim, qui Graece vocaris casu recto. Cur autem occupato molesti sumus? Respondebit pro eo Malelas ibidem: Ωσαύτως δὲ καὶ Αττιλᾶς ἐτελεύτησε. Sic omnes vno ore. Apud Priscum Thracem in Collectaneis Constantini Porphyrogeniti; corrigendus obiter Suidas, qui Πρίσκος ait Πανίτης ἔγραψεν ἱστορίαν Βυζαντικὴν καὶ κατὰ Ατταλον: lege haud cunctanter: Βυζαντιακὴν καὶ κατὰ Αττήλαν vel Αττήλα. apud Priscum, inquam, aliquoties legas Αττήλας καὶ Βλήδας. Is Attilae frater erat, a Iornande Bleta dictus, a Prospero deprauate Bleba, a Theophane Βδέλας· Αττιλᾶς, inquit, Ομουνδίου παῖς ἀποβαλὼν Βδέλαν τὸν πρεσβύτερον ἀδελφόν. Verbum illud diuiduum facito, et scribe

ὁ Μνουδίου παῖς vel fortaſſe Μουνδζίου. Iornandes etiam Mundzuccum nominat, et Sigebertus Mundzuch, perperam vero Nicephorus Calliſtus Νουμίδιον. Quid Attilae patruus, Ρoῦαne declinabile an Ρούας? De hoc ſtatuet idem ille Priſcus; cuius verba ſunt, Ρούα βασιλεύοντος τῶν Οὔννων et παρὰ τὸν Ρoῦαν ἀφικνεῖσθαι. Ita Βάλας dux Hunnorum apud Procopium, Vandalorum Αμμάτας, Gothorum Γρίππας et Βέσσας, et Μόῤῥας et Μαρκίας, et Αλβίλας et Οὔσδριλας. Eant nunc et ab Hunnis malum ſibi mendicent. Apud Malelam reperio p. 210. Τζίττα ςρατηλάτου Ρωμαίων. et 202. κατὰ Σουνίκα καὶ Σίμμα et 111. μετὰ τοῦ ἡνιόχου Καλλιόπα et 165. μετὰ τοῦ Φυλάρχου Αρέθα· plane vt apud Conſtantinum eſt τοῦ ἐπίκλην Μαλέλα. Placetne iam, vt Ioannem ipſum nobis, arbitrum capiamus? aequa, opinor, et honeſta poſtulatio eſt. Sententiam vero is ſuam oſtendit p. 204. ὅςις Τζίττας 203. Σουνίκας δὲ καὶ Σίμμας 110. Καλλιόπας τις ἡνίοχος 166. Αρέθας τις ὁ Φύλαρχος καὶ Γνούφας. Et adhuc dubitent ſi poſſunt, vtrumne qui haec ſcripſerit, vllo modo eſt vt ὁ Μαλέλα vocatus fuerit. Iam Σισάρα et Φουὰ quam inuiti et recuſantes in argumentum ducuntur! Recte quidem factum a LXXII. viris; quod cum vetuſta illa et Ogygia nomina literis Graecis mandarent, ad ſyllabam de ſermone barbaro expreſſerunt. Nam qui annis ante permultis exceſſerant e vita, nulla, credo, iis futura erat conſuetudo cum Graecis. Quod ſi alii iuniores, quibus eadem quae veteribus illis nomina, vſum et commercium cum Graecis habuerunt, ſine dubio eorum nomina declinata ſunt ad normam Graeci ſermonis. Sic Paralip. I. cap. 8. eſt quidam Αvανία, et cap. 12. Βεϱχία, vel, vt in MSo. Regio eſt. Βαϱαχία. Eadem occurrunt nomina in Teſt. Nouo: (Syrus enim interpres et hic et illic Hhananio, Brachio) cum Graeca tamen terminatione. Αvανίας Βαϱαχίας. Similiter antiqui illi Ιακὼβ, Ιωσὴφ, Σαοὺλ perpetuo nominantur. iuniores vero, qui cum Graecis rem habuerunt, Ιάκωβος, Ιώσηπος, Σαῦλος. Quo exemplo etiam Σισάϱας et Σάλας et Φούας eſſent dicti; ſi Antiochiae vixiſſent vel in alia quauis ciuitate Graeca et memoriam rerum geſtarum literis conſignaſſent. Neque vero inficior Syrorum atque Arabum nomina frequenter in A litera terminari: ſeruatam eſſe a Graecis eam terminationem pernego. Abdalla, Maſalla, Taphala. Ita quidem Arabes. Quomodo autem Graeci? Theophanes p. 294. Μουαμὲδ ὁ τοῦ Αβδελᾶ. Perii equidem, in A hoc exit, et contra me facit. Sed nolo eos in laetitiam fruſtra coniicere. Illud enim perincommode intervenit ibidem ὁ Αβδελᾶς υἱὸς et apud Zona-

ram Μασάλμας ὁ τῶν Αράβων ἀρχηγός, apud Malelam Ταφαρᾶς ὁ Φύλαρχος. Eadem mihi de Syriacis nominibus sententia est. Porphyrius apud Eusebium Scaligeri: Πτολεμαῖος δὲ ἀγανακτήσας, ὅτι τῷ Πηλουσίῳ προσέβαλεν ὁ Δημήτριος, ἅτε τῶν κατ' Αἴγυπτον πραγμάτων ἐχόμενος, πέμπει βασιλέα τῆς Ασίας Αλέξανδρον, ὡς υἱὸν Αλεξάνδρου, ὃς διὰ τὸ ὡς ἀγοραςὸς εἶναι τοῦ Πτολεμαίου Ζαβινᾶς ἐπεκλήθη πρὸς τῶν Σύρων. et Iosephus: Αλέξανδρον τὸν Ζεβινᾶν ἐπιλεγόμενον. Et eodem nomine Antiochensis Episcopus Ζεβῖνος Nicephoro, Ζέβεννος Zebennus Eusebio et Hieronymo vocatur. Atqui ἀγοραςὸς emptus Syriace est Zbino vel Zbina. Ita Graece dixeris, Ιωάννης ὁ Αντιοχεύς, ὃς διὰ τὸ φιλολόγος εἶναι Μαλέλας ἐπεκλήθη πρὸς τῶν Σύρων, vel, vt propius Syrorum pronunciationem subsequitur Damascenus ipse Syrus, Μαλάλας. Nam Malolo vel Malala est orator, eloquens, loquax. Non difficile est coniectura assequi, vtram ob causam cognomento illo auctus fuerit Ioannes, Λαλεῖν ἄριςος, ὁ δυνατώτατος λέγειν. Ipse Porphyrius a popularibus suis Syris Malcho siue Malcha vocabatur: Graece vero non Μάλχα, sed Μάλχος. Ita Cepha saxum Κηφᾶς. Thoma gemellus Θωμᾶς, et siqua sunt alia. Mal. p. 41. Αντίοχον τὸν ἐπίκλην Χούζωνα. Mirum ni ex illorum sententia cognomentum Antiochi fuit Chuzona casu recto, vt Malela: cum ambo sint Antiochenses. Quid ergo sibi volunt ista p. 65. Αντίοχον τὸν Χούζωνα τὸν ἔγγονον Αντιόχου τοῦ Χούζωνος? Quod si vsquequaque Syriaca nomina imitari et exprimere debemus, cur, obsecro, Ιωάννης dicitur, non Ιωανὰν Μαλάλα? nam Syris est Iuhhanon, vt LXXII. viris Ιωανάν. Sed ecce tibi Cantacuzenus, qui p. 874. Λατίνων τις, ait, Ιωάννης Περάλτα προσαγορευόμενος. Scias autem in quantas angustias adducti sunt, cum homines χθὲς καὶ πρώην γεγονότας saeculo demum XIV. post Christum natum inueterata iam barbaria, causae suae patronos adoptant. Rem sane lepidam et iocosam. Ioannes hic Antiochensis bene Graece Μαλέλα dici potest, quia Italo cuidam nomen erat Giouanni Peralta. Sic enim Cantacuzenus p. 174. Μάλιςα δὲ Ντζιουὰν Περάλτα ὁ τούτων ἡγεμών. Graecus iste est sermo hodiernus: ita gioſtra Τζοῦςρα, gingiua τζιντζίβα, iecur ντζηγάριον. Vah! quam velim progrediantur longius, atque vna opera probent Ντζιουὰν Μαλέλα dicendum esse: facinus pol magnum et memorabile fecerint. Illud vero durum, quod apud Theophanem est Ιωάννης ὁ ἐπίκλην Ημοῦλα. Nec a Victore solum vocatur Hemula, sed Anastasio etiam, qui Theophanem in Latinum conuertit: a Liberato Diacono Ioannes Mela; nisi fortasse deprauati sunt codi-

ces. Ex Graecis vero ſcriptoribus ſolus Theophanes et ſemel duntaxat cognominis eius mentionem facit: caeteris ſimpliciter Ioannes vocatur, Nicephoro Patriachae, Nicephoro Calliſto; ſicut et Leontio Byzantio, Chronicoque Orientali. Quo magis adducor, vt vitioſum eſſe illud verbum exiſtimem, et iſtum apicem, qui in libris MSS. terminationem ας ſignare ſolet, ab indiligenti librario mutatum eſſe vel praetermiſſum. Praeſertim cum cuncta id genus nomina praeter hoc anum ab ipſo Theophane per ας ſcribi videam; Αρέθας, Αττίλας, Μασάλμας, Αβουλάβας, Κουτζίνας, aliaque quam plurima. Itaque hoc in loco, vt mea fert opinio, facta eſt Theophani iniuria. Nec, quod Anaſtaſius et Victor Aemula Latine nuncupant, non Hemulas; magis id quenquam mouere debet, quam quod Attila a Latinis dicitur, qui Graecis eſt Αττίλας. Nam peregrina eiuſcemodi nomina Graeci Latinique neutri ab alteris, ſed ab ipſis Barbaris vtrique acceperunt. Toto igitur coelo errauit Priſcianus, cum Turia et Bagrada (Africae ſunt flumina) declinari putat a Τουρίας et Βαγράδας. A Graecis quidem Ιόβας, Μικίψας et Βάρκας ſunt dicti, qui a Latinis Iuba, Micipſa, Barca. Nec tamen haec quae proxime nominaui, de Graecia petita ſunt; Sed ex Africa recto itinere deportata ſunt in Italiam. Quid enim, cum illi Αμίλκας, Αννίβας proferunt, hi Hamilcar et Hannibal; non ſigni hoc ſatis eſt, vnde vtraque ſunt accerſita? Nempe hi maſculina nomina Africana in A libenter retinebant; Graecorum aures tanquam abſona et inconcinna repudiabant. Sed vt concedam illud Ημοῦλα a Theophane profectum eſſe: non ego Monachum aliquem aduerſus omnium auctoritatem magiſtrum dicendi capere velim; ſed illum ipſum ad nationis ſuae exemplum, addo etiam ſuum, componere. Vir multiplici doctrinae copia praeditus Euſthatius Theſſalonicenſis Epiſc. accurate diſputans de Homericis illis ἱππήλατα Πηλεύς, et Ερμείας ἀκάκητα etc. non Σισάρα et Σάλα, non Ημοῦλα ad partes vocat; nam Giouanni Peralta qui potuit, priusquam is naſceretur? quod contra ex omni memoria duo duntaxat memorat maſculina Graeca in A, eaque minime a ſe lecta, ſed Eudaemonis fide Peluſiotae; eius opinor, cuius librum de Ortographia Stephanus Byzantius, et Suidas et Etymologici ſcriptor citant. Horum vnum Illyricum eſſe nomen, ex epigrammate quodam: Πατὴρ δ' ἔμ' ἔφυσε κόπαινα, ἤτοι Κοπαίνης. Syraculanum alterum ex Sophrone, ὁ Μύριλλα. Democopum videlicet architectum, cum theatrum exaedificaſſet Syracuſis, populo viritim vnguentum diſtribuiſſe, et ex ea re cognomento vocatum eſſe Myrillam: nempe ἀπὸ τοῦ μύρου Μύριλλαν.

Ego vero Eudaemonem illam iubeo κρόμμυ᾽ ἐσθίειν, vt hominem infortunio mactem: ſiquidem religio erat Peluſiotis cepas guſtare.* Nam profecto de Syracuſiorum dialecto cras credo, hodie nihil. Theocritus Syracuſanus, qui idiomate vernaculo perpetuo eſt vſus (Μοῦσαν δ᾽ ὀθνείην οὔποτ᾽ ἐφειλκυσάμην) annon Σ literam vbique ſeruat, Δαμοίτας, Μενάλκας, Αμύντας, Διοκλείδας? Non Apollo ΔαΦνίτας Syracuſis colebatur? Non Hicetas Syracuſius Philoſophus a Cicerone laudatur in Academicis? non eorum ſermone γαΦάγας lumbricus apud Etymologicon? non diſſimulo apud Heſychium ſcriptum eſſe ΓαΦάτα, σκώληξ· ſed vero duplici errore. Nam excidit Σ litera, vt vſu venire ſolet, cum proxime ſubſequatur altera: Τ autem facillime mutatur in Γ. vt alibi Στένυτρον, εὐρυπωδέςερον, συριγγῶδες, pro Στενυγρὸν, εὐριπῶδες ςενὸν, συριγγῶδες. Ne ipſe quidem Sophron aliter locutus eſt. Athenaeus lib. VII. Καὶ παρὰ ΣώΦρονι ὁ θυννοθήρας. et καρχαρίας aliquanto inferius p. 306. ΣώΦρων, θυννοθηρχῖα δὲ γαςὴρ καρχαρίας ὁ κάτινος δῆσθε. Priora verba, quae Caſaubono moleſtiam creabant, ſic lege: ΣώΦρων Θυννοθήραι. Α δὲ γαςὴρ, id eſt θυννοθήρα. Nimirum iſte liber Θυννοθήρας inſcriptus eſt. Etymolog. in Ηἶα. Ως Φησι ΣώΦρων ἐν Θυννοθήρα. Male alibi ἐν Θυννοθήραις. Quod ſi verum eſt illud de Democopo, vulgi ioco cognomen ſuum adeptus eſſe videatur: quia fortaſſis ea tempeſtate Syracuſis ſcorto cuipiam non ignobili nomen fuerit Myrilla. Nam mulieris id quidem nomen eſſe proprium certiores nos facit poeta neſcio quis inter Lyricos H. Stephani Στρατόκλεις Φίλος κυθήρης, Στρατόκλεις Φίλος Μυρίλλης. Ιδε τὴν Φίλην γυναῖκα, Κομάει, τέθηλε, λάμπει. Ρόδον ἀνθέων ἀνάσσει, Ρόδον ἐν κόραις Μυρίλλα. Quod ad Κόπαινα attinet, etſi non facile fidem habeam, viderit de eo verbo epigrammatis auctor; qui fortaſſe, cum barbarum Illyrium βαρβαρίζοντα induxerit, bene moratum carmen feciſſe videatur. Quod ſi quis Illyriorum exemplo Ιωάννης ὁ Μαλέλα proferre velit; id quidem perinde eſt, tanquam ſi ὁ Κάτο dicens et ὁ Κίκερο, ſe egregie loqui Graece contendat; quia apud Ariſtophanem Caris Cantilena eſt Θρετταvελὸ τὸν κύκλωπα· et Scythae iſtius Attico elegantia:

Ως ἐλαπρὸς ὥσπερ Ψύλλο κατὰ τὸ κώδιο.

et Ω γρᾴδι᾽ ὡς καρίεντό σοι τὸ τυγάτριο,
Κοὐ δύσκολ᾽ ἀλλὰ πρᾶο· ποῦ τὸ γρᾴδιο.

Sed nimium diu, mi Milli, in ligitioſa hac diſputatione te demoratus ſum. Dabis autem veniam neceſſitati; nam poſtea, per me licet, alii vt volent loquentur; non equidem inuideo, neque intercedo. Imo enimuero inuitiſſimus haec ſcripſi,

Ως οὐχ᾽ ὑπάρχων, ἀλλὰ τιμωρούμενος.

medias laudes et fauentium plausus secundo rumore ingredi? Tu vero, vt polliceri de te possum, facies id sedulo; simulatque exibit Nouum tuum Testamentum, iam fere ad vmbilicum vsque perductum: quo in opere, nisi vererer coram in os te laudare, dicerem quam longo interuallo aliorum omnium in eo genere labores post te reliqueris. Ea Typorum elegantia est et magnificentia; ea in Annotationibus eruditio elucet, in Variis Lectionibus industria: quippe etenim ad eam copiam comparandam omnia S. Patrum scripta, omnes antiquas Versiones, et infinitam vim Codd. MSS. curiose excussisti. Enimvero mihi stomachum subinde mouent imperiti quidam homines, et nullo vsu bonarum literarum praediti, qui omnem operam, quae in variis lectionibus colligendis impenditur, aut inutilem esse existimant aut Ecclesiae periculosam. Eorum ego sermones, quanquam indigni sunt quorum vlla ratio habeatur, vno in praesentis exemplo retundam: quo perspicuum erit minuta quaedam et prima vtique specie leuissima posse magnas difficultates expedire. Locus est Cap. IV. Ep. ad Galatas, qui ab incunte fere christianismo vsque ad hanc memoriam doctissimos viros exercuit. 22. Γέγραπται γὰρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν· ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας. 23. Ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κατὰ σάρκα γεγένηται· ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. 24. Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα· αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. 25. Τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. 26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Memini equidem Milli, me non ita pridem a te rogatum, vt de perdifficili hoc loco iudicium meum interponerem, vehementer approbasse sententiam tuam, quam in illa tua Editione posuisti: Neque enim eundem montem et Agarem vocatum esse et Sinam, neque vero vllam vsquam gentium eo nomine notatum esse, neque porro Agarem seruam (si de serua malit quispiam, quam de monte accipere) in eadem Allegoria et Monti respondere posse, et Legi quae ex monte promulgata est: atque his de causis in diuersa consilia itum esse ab antiquis, quorum alii Σινᾶ, sed plures Τὸ γὰρ Ἄγαρ e libris sustulerunt: quae autem nostra et patrum memoria viri magni commentati sunt, tantum abesse vt locum faciant explicatiorem, vt nouis etiam obscuritatibus inuoluant. Qua quidem occasione, ne omnino ἀσύμβολος essem, coniecturam, vt scis extemporalem in medium attuli, quas etiam

tum visa est ad veritatem proxime accedere. Scilicet e regione verbi Σινᾶ adnotasse olim quempiam enarrationis causa, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, Sina iste, quem memorat Apostolus, mons Arabiae est; ea autem verba non multo post, vt saepe vsu venit, de libri margine in orationem ipsam irrepsisse: nam Apostoli quidem ea non esse, sed παρεμβεβλημένα, ex ipso statim vultu et colore totiusque adeo corporis filo cognosci posse; et proinde me paratum esse ὀβελίζειν hunc locum, nisi quid tibi secus videretur. Cum autem tibi valde placere coniecturam meam prae te ferres: atqui, inquam, vt vera ista sit siue opinio siue adeo suspicio nostra, necesse est illud δὲ quod vocem συστοιχεῖ proxime subsequitur, pro superuacaneo auferatur. Dictum ac factum editionem tuam inspicimus, ibique quatuor ad minimum MSS. libros comperimus coniunctionem istam non agnoscere: quod sane non de nihilo est, neque vlla commode ratio reddi potest cur abfuerit; si verba, de quibus haec quaestio est, nunquam non in codicibus extitissent. Tanta res tam tenui indicio patefacta satis refellit voculas imperitorum aut maleuolorum hominum, qui diligentiam istam minutas scripturae varietates sectantem, tanquam obscuram et sollicitam et nimiam in vituperationem adducunt. Quis enim dubitet quin melior multo et apertior fiat sententia, si auctoritate Manuscriptorum expungatur δέ· tum autem Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ de medio discedant; et totus deinde locus sic legatur: Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα· αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. Τὸ δὲ Ἄγαρ συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς· hoc est, Agar autem respondet Hierosolymis, seruiunt enim cum progenie sua. Γὰρ et δὲ locum inter se mutare iussi fide MS. Alexandrini, et aliorum: quin etiam dedita opera Hierosolyma dixi non Ierusalem; vt ex ipsa dictione foret conspicuum, quorsum illud δουλεύει pertineret. Ipsa enim flagitat sententia vt δουλεύει referatur ad Ἱερουσαλήμ. Quod cum ita sit; cur, amabo, Apostolus tali vsus est constructione verborum, qua δουλεύει cum Ἄγαρ necessario conuenire videatur? aut quamobrem τὸ Ἄγαρ genere neutro posuit; quasi vero Ἄγαρ materialiter ac pro voce, non pro ancilla hic vsurpetur? Hactenus opinor prospere mihi coniectura processit, vt mons iste Arabiae omnibus machinis loco mouendus esse videatur: sed male vero me habent hi scrupuli, neque aliud habeo quod dicam aut coniectem; praeterquam ex quo tempore verba ista de margine in orationis textum adscita sunt, sicuti mox con-

iunctionem δὲ quosdam homines intrusisse, ita alia nonnulla mutauisse leuiter et ad commentitiam eam sententiam accommodasse. Nam profecto facile animum induco, vt credam hoc modo scripsisse S. Paulum: Τῇ δὲ Αγαρ συςοιχεῖ ἡ νῦν Ιερουσαλὴμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τέκνων αὐτῆς. Η δὲ ἄνω etc. Agari autem respondet Ierusalem, seruit enim cum liberis suis. Quae vero supra est Ierusalem libera est, quae mater est omnium nostrum: postea vero adulterina ista sese insinuasse hoc exemplo, Τῇ δὲ Αγαρ Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Αραβίᾳ συςοιχεῖ ἡ νῦν Ιερουσαλὴμ. Cum autem haec oratio, vt cernis, in manifestum soloecismum cadat, simile sane vero est, ne dicam necessarium, verba ista τῇ et ἡ sic breui a scribis immutatum iri, quemadmodum hodie vulgo feruntur. Quis enim non incuset imperitiam notariorum librariorumque incuriam, vt S. Hieronimi verbis vtar, qui scribunt, non quod inueniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos? Vale.

INDEX
RERVM PRAECIPVARVM,
QVAE
EPISTOLIS BENTLEIANIS
CONTINENTVR.

A.

Abaridis, Hyperborei aetas 174.
Aelianus refutatus 44, 295. 298.
Aesara Pythagorea 367.
Aeschylus aliquoties emendatur 229, 230, 501, 516.
— emendauit tragoediam 284, 285, 289, 277.
— inuenit scenas 349.
— Eius vitae periculum 464.
— Eius scholiasta notatus 516.
— Quando vita excesserit 494.
Αι et ε eodem sono efferuntur 482, 515.
Aemilius Portus not. 495, 506.
Aesopus an scripserit fabulas 72.
— Eius γελοῖα, — fabulae 73.
— Harum meminit Suidas 74.
— Earum fragmenta quaedam 74.
— De eius vita, quae exstat, iudicium 78.
— Eius deformitas a Planude male ficta 79.
— Eius statua 79.
— Ejus contubernalis pulera Rhodopis 80.
Aesopearum fabularum duplex genus 75.
Αἴτια Callimachi 512.
Agatho tragicus, non comicus 63.
Agathyrsides, Samius historicus per errorem pro Agathargides 334.
Agatharchus primus scenarum pictor 349.
Ἀκούετε λεῴ 261.
Alexandri liberalitas 70.
Alcamenes et Alcander successores Phalaridis 172.
Alexis poeta comicus corrigitur 219.
ΑΛΚΗΣΤΙΣ fabula Thespidis per errorem 281, 282.
Allatii error 55, 495.
Ο τὴν Ἀλκμαιονίδα γράψας 468.
Ἐξ ἁμάξης λαλεῖν quid? 313.
Anapaestorum numerus explanatur 224. cet 474.
Anaxagoras cognitus Themistocli et amicus Periclis 304.
Anaxilaus rex Rhegii et Messinae 233, 234.
— Eius aetas 14.
Antimachus Colophonius 460, 505.
Anyti et Meliti fata post mortem Socratis 53.
Iudaeus Apella 520.
Ἀπήνης, plaustri mulis iuncti, vsus quando et quibus ludis Olympicis 238
Aphepsion f. Apsephion, quan-

do magiſtratus Athenarum 308.
Apollodorus emendatus 469.
Apollonides Nicenus 71.
Ἅπαξ καὶ δίς 229.
Apuleius explanatur 190.
Archelai liberalitas 70.
Archeſtrati Syracuſii aetas 200.
— verſus corriguntur 200.
Archilochus emend. 317.
Archilochius verſus idem qui Saturnius 273, 274.
Ariſtippi epiſtola ad Arcten filiam etc. 55.
— Attice partim, partim dorice ſcripſit 55.
Ariſtolochius verſus per errorem 274.
Ariſtophanes Com. emend. 297, 298, 299, 318, 319, 471.
— explanatur 317, 320.
— Eius ſcholiaſta notatur 469, 471, 478.
— — emend. 496, 497, 498, 506.
— Eius Ranae, quando actae 497.
Ariſtophanes Grammat. emend. 465.
Ariſtoteles corrig. 297, 358.
Ariſtotelis non eſt liber περὶ εὐγενείας 57.
Ariſtoxenus, ὁ Μουσικός 366.
ΑΣ terminationem vbi ferunt Latini in Graecis vertendis, vbi mutent 517. cet.
Aſandraſtus nomen vitioſum 239.
Aſtypalaea, nulla Cretae ciuitas 329. cet.
— vna e Sporadibus 331.
Αςυπαλαία, non Αςυπάλη 332.
Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε, θνητὸς ὤν. a quo dictum 19, 20, 257.
Athenaeus corrig. 200, 219, 279, 280, 317, 319, 351, 459, 497, 498, 499, 502, 506, 509, 527.
— explanatur 214, 217, 361.
defenditur 219, 220, 221.
Attius poeta tragicus emend. 474, 475.
Atoſſa, Perſarum regina, inventrix epiſtolarum 450.
— cometa a Xerxe filio 450.
— eius aetas 450.
Ἀττελεβώδης 200.
Attica dialectus, qualis initio et temporis progreſſu fuerit 326. cet. 372.
— et Ionica ab initio eadem fuit 25, 374.
— recens 373. cet.
Attici ſoloeciſmi 327.
Auctor Vit. Arati emend. 71.
Auctores nonnulli Veteribus incogniti 436.
Auleas, commenticius tragicus, pro Aeſchylo. 490, 510.
Auri penuria antiquitus in Graecia. 448.

B.

Bacchus Ζαγρεύς 161.
Βέδυ. ζάμψ, χθώ, πλῆκτρον, σφίγξ 492.
Berenice, ciuitas, vnde nomen traxerit. 56.
Βόττιος, Βέττιος, Βώττιος apud Maleam pro Βρέττιος. 512.

C.

Callimachus corrig. et explic. Praef. 116. 117.
Camerarius notatur 528.
Carcinus tragicus 278.

Casaubonus errat 11, 12, 459, 497, 491, 500, 527.
Castalia 161.
Καθαρμοὶ 365.
Ceo, insula Ionica 335.
Censorinus de Metris corrig. 273, 274.
Κεπ. syllaba neque Graeca neque Latina 528.
ΚεπΦαττελεβώδης 200.
Cephisophon actor fabularum Euripidis 64.
—— Euripidem iniuria affi-cit 64.
Charondas, legislator, quando vixerit 354.
—— non Thurius 355.
—— quibus leges tulerit 355.
—— huius nomine inscriptus liber Legg. post tempora Ptolomaei commenticius 343. cet. 351. cet.
—— Leges quaedam verae 356, 357, 358.
—— Leges metro scriptae et cantatae 361.
Chorus tragicus, comicus, cyclicus; in singulos qui sumtus. 352.
Cicero emend. 475.
Circinatio 420.
Clemens Alexandrinus corrig. 180, 492.
—— —— errat 339.
—— —— deceptus fabula Thespidi falso adscripta 282.
Clodius Neapolitanus 493.
Cluuerii error 14.
Κναξζβι, χθύπτης, Φλεγμώ, δρόψ. 282, 283, 492.
Commenticiorum oper. exempla 156, 157, 441, 442, 452.
Comoedia quando inuenta 259, 265.
Comoedia initio ex tempore edita 258.
—— huius praemia, quaenam initio 264, 265.
Cratinus, comicus poeta 278.
Creophylus poeta scripsit Οἰχαλίας ἅλωσιν 156, 503, 504.
Κωμῳδία initio commune nomen et comoediae et tragoediae 325.
Conon quando muros Athenarum restaurauerit 52.
Κόσμος, mundus a Pythagora primum appellatus 347.
Κύκλιος χορός dithyrambus 320.
Κύλικες Αντιγονίδες κ. Σιλευκίδες 12.
Cylonis conspiratio in Pythagoreos, quando? 191, 192.

D.

Damascius περὶ ἀρχῶν MS. emend. 454, 455.
Δαίμων ἕτερος, a quo dictum 209. cet. 20.
Δαμαρέτιον νόμισμα 411.
Δαρέτιος χρυσὸς mendosum pro: δαμαρέτιος 412.
Δεκάλιτρον 412.
Δεκὰς, quid? 421.
Demarchus apud Mal. pro Dinarcho 512.
Demetrii Phalarei Λόγων Αἰσωπείων Συναγωγαὶ 74.
Demetrii Comici fabula Σικελία 484.
Demologus vitiose pro: Dinolochus 413.
Dinarchus poeta 512 et 513.
Dinolochus Siculus, poeta comicus 413.
Dio, cur Chrysostomus? 153.

Diodorus Siculus corrig. 308, 362, 363.
—— —— deceptus commenticiis Zaleuci legibus 343 cet.
—— —— deceptus commenticiis Charondae legibus 352.
Diodori Aspendii aetas 200.
Diog. Laërtius corr. 188, 179.
—— —— explanatur 190, 197.
Dionysius Halic. corrig. 447, 513.
—— —— defend. 183, 184.
Domninus Chron. 513.
Dioscorides, poeta, corrig. 277.
—— huius epigrammata edita et correcta 277, 265.
Δὶς καὶ τρὶς 229.
Dodwelli de aetate et epistolis Phalarid. opinio 163.
—— Eius opinio de aduentu Abaridis in Graecia 174, 175.
Dolon inuentor comoediae per errorem 264.
Dorica dialectus Siculorum 22. cet.
Drachma Attica et Aeginetica 344.

E.

Ἐκλακτισμός 299.
Ἐλεγεῖον 431.
Emmenidae quinam? 165.
Empedocles corrig. 188, 516.
—— Eius Φυσικὰ et Καθαρμοὶ 365.
Empedocles, Diodorus, etc. Dorienses, cur patriam dialectum non adhibuerint 27.
Ennius emend. 488.
Ἔφεβοι, qui vocati 178.
Epicum carmen 364.
Epicharmus inuentor comoediae 259, 260.
—— huius aetas 259, 260.
—— corrig. 213, 214, 215.
Epigenes Sicyonius, inuentor tragoediae habitus 279. cet.
Epigenes citatus ab Athenaeo, non Sicyonius sed Atheniensis, poeta comicus 279. 280.
—— eius aetas 279.
Ἐπίγονοι Homeri poema, vel Antimachi Colophonii 504, 505.
Epigramma falso inscriptum 506. emend. 512.
Epimenidis Cretensis aetas 172.
—— eius fragmentum corrig. 335.
Ἐπίσκηψις instituta a Charonda 358, 359.
Epistolae Senecae, Phalaridis, etc. sunt declamatiunculae 154.
Ἑπταεπάκτιος Homeri poema 504, 505, 506.
Erasmus notatur 470.
Ἡρικεπαῖος deus orphicus 454, 455, 528.
Erotianus emend. 473.
Etymolog. M. not. 517.
—— emend. 498, 506, 527.
Eubulus poeta comicus explanatur 217.
Eudaemon Pelusiota notatur 527.
Εὐνομεῖν 342.
Euphorion emend. 501.
Euripides aliquoties emend. 230, 231, 465.
—— eius Danaë 464.
—— Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος 468.
—— Sthenoboea emend. 469.
—— Κρῆτες 471, 476. et Hippolytus διεσκευασμένος 479.
—— Iphigenia in Tauris emend. 487.
—— Eius in Tragoediis per-

peram ponuntur Pasiphae 470. et Europa 489.
—— Palamedes 53. et Phoenissae quando actae 268.
—— Eius cenotaphium 421.
—— Eius mors 53, 68.
—— Cur Athenas reliquerit 64, 65.
—— Apud Archelaum vixit 62.
—— Archelai dona non accipit 63, 69.
—— Apud Archelaum pro duobus Pellaeis intercedit 66.
—— Eius mater et filii 70.
—— Eius scholiasta emend. 469.
Eusebius refutatur 59.
Euseboneora per errorem pro: Ἐυσεβῶν χῶρα 252.
Eustathius emend. 498.
—— vsus est Excerptis ex Athenaeo tantum 223, 224.
F.
Fabulae Aesopeae a Babrio scriptae 75.
—— —— a Gabria scriptae 75.
—— —— a Planude scriptae 77.
Fauorinus explicatur 50.
Festus Pompeius corrig. 215, 216.
—— —— explan. 216.
—— —— defend. 398, 399, 400.
Fluuii ταυρόμορφοι 438.
Fortunatianus Atilius corrig. 273, 274.
Fulgentius Planc. not. et emend. 512.
G.
Galenus emend. 500, 501.
Gatakerus not. 491.
Gellius corrig. 446.
—— explan. 196.
Gelo quando regnarit 44.
—— quo die vicerit Carthaginienses 45.
Γεφυρίζειν quid? 313.
Gillus Tarentinus quis? 190.
Grotius not. 464, 470, 472, 473, 507, 508.
Gruteri inscriptiones not. et emend. 519, 521.
Gyraldus not. 494.
H.
Halesa Siciliae oppidum 9. 209. cet.
Hamartolus emend. 489.
Ημιλίτριον 412.
Harpocration emend. 508, 509, 510.
Hecataeus Abderita de Iudaeis a Iudaeo quodam Hellenista confictus 463, 530.
Hephaestion explan. 165.
Heracleum poculum per errorem 213. cet.
Ηλικία quid sit apud Clement. Alex. 180.
Ηρακλεῖον poculum, quo vectus Hercules 213. cet.
Ηρακλεωτικὸν σκύφος 215, 216.
Hercules quomodo pictus 21.
Heraclides Ponticus tragoedias edidit sub nomine Thespidis 281. cet.
Herodotus explanatur 315.
Hermippi error 50.
Heroes cur malefici potius quam benefici? 220.
Hesiodus emend. 503.
Hesiodi et Homeri certamen emend. 504.
Hesychius correctus 299, 465, 468, 479, 480, 483, 485, 497, 498, 499, 502, 507, 516, 517, 527, 531.

Hesychii hallucinationes 55, 481, 482, 483, 484, 485. 486, 487, 492, 497, 498, 499, 507, 520.
In Hesychio παρεμβεβλημένα quaedam 480, 481, 482, 484, 485.
Ἐξᾶς 416, 417, 419, 420.
Hiero quando regnare coeperit 44.
Hieroclis dictum in Epicurum emend. 416.
Himera post dicta Thermae 426.
Hippiae tyranni Atheniensium mors 300.
Homerus emendatus 514. 515.
—— Quando ipsi templa dicata fuerint 425.
Horatius explicatur 520.

I.

Iamblichus reprehend. 174, 175, 189, 200, 201.
—— corrig. 188, 192, 199.
Ioannes Malelas. vide Malelas.
Ionis Chii poetae tragici aetas et scripta 494 cet.
Ion Rhapsodus apud Platonem alius a Chio 494. 495.
Ionsius not. 495.
Isaeus orator corrig. 353, 358.
Isocratis sententia de Polycratis Oratione in Socratem 51.

L.

Laqueo collum circumdato legem suadere, vbi, quando, et cur vsitatum fuerit 342.
Λέγεται, quid? 217, 218.
Legislatores plerique fuerunt mediocris conditionis 429.
Leontis Salaminii mors 49.
Lesbus Aeolia insula 335.
Lex Atheniensis de duabus vxoribus simul habendis 56. cet.
Libanius explicatur 48.
Liberatus Diaconus emend. 525.
Linguae mutantur 27, 28.
Literarum elementa XXIV. 283.
Λιτρα 412.
Locrorum in Italia dialectus 349, 350.
—— —— leges 339, 340, 342, 343.
Logotheta (Theodorus Metoch.) quando mortuus 159.
Logotheta (Simeon Metaphrast.) quando vixerit 159.
Λοκρικὸν ᾆσμα corrig. 351.
Λύγος ἔργα σκίη a quo dict. 255. cet. 18. 19.
Lucianus epistolarum Phalaridis auctor male habitus 34.
Lucretius emend. 487, 488.
Lysias explan. et corrig. 374, 375.
—— huius ex orationibus vna quando habita 374.
Lysis Epaminondae magister, non discipulus Pythagorae 194, 195, 196.
Λυδοὶ διασκευασμένοι 479.

M.

Macedones loco Φ vtuntur β. 56.
Macrobius corrig. 213.
Magnetis Comici fabulae 479.
Malelas f. Malalas in casu recto; non Malela 517, 518. cet.
—— emendatus 454, 456, 457, 462, 464, 465, 488, 490, 511, 512.
—— explicatus 470, 471, 489, 511.
—— castigatus 466, 479, 487, 488, 489, 510, 511, 512, 513, 514, 515.

Marmor Arundelianum quando inscriptum 276.
— — notatur 168, 169.
— — explanatur 170, 171.
— — Ipsi vera scriptura restituitur 262, 263, 264, 282. cet.
— — explanatur et defenditur 286, 287.
Μάρπτε, σφὶγξ, κλὼψ, ζβυχθηδόν 492.
Martianus Capella emend. 531.
Μηδὲν ἁμαρτεῖν θεῷ, a quo dictum 447.
Menagius notatur 495, 504.
Melanchrus, Lesbi tyrannus 165.
Melissus philosophus, familiaris Themistoclis 309.
Melatus tragicus an exstiterit 64.
Messina vrbs Siciliae, quando sic nominata 235-242.
Meursius not. 486, 491.
Μῆτις, deus Orphicus 454, 455.
Minos commenticius Trag. pro Ione 490.
Mos conducendi medicos olim toti ciuitati 449.
Μόσχος, vitulus, praemium τῆς Κιθαρῳδίας 321.
Mucianus Licinius, deceptus opere ficto 452.

N.

Naeuius corrig. 273, 274. conuertit latine Danaën Eurip. et Sophocl. 464.
Νεοσμίλευτα γράμματα 277.
Νεστορὶς, Nestoris poculum descript. ab Homero 214.
Νομῳδὸς 361.
Nicias poeta emend. 470.
Nonius Marcellus emend. 475, 519.
Nonnus, Comment. in Gregor. Nazianz. alius ac Nonnus poeta 160.
—— ab aliis nominatus *Maximus* 161.
Nossis poetria corrig. 350.
—— Eius tria epigrammata ante non edita 350, 351.
—— Locra 350.
—— Eius aetas, mater, filia 350.
Νοῦμμος 415.
Νωπεῖθαι, vox Ionica 507.

O.

O valuit olim vtrumque et Ω et ω. 283.
Ocellus Lucanus scripsit dorice. 25.
Οι et υ inter se permutantur 415, 416, 417.
Olim E valuit vtrumque et ε et η 283.
Omphale Ionis Chii fab. satyrica 500.
Oracula subdititia Gr. philosorum ex MSto hic edita et emend. 458, 459, 460, 461.
Orpheus emend. 454, 456, 457.
Otanes Magus 461.
Οὐγκία 417.

P.

S. Paulum iniuria quidam affecerunt 157.
S. Pauli locus in Ep. ad Galatas emend. et explic. 533, 534.
Παιδεραστὴς et παιδικὰ 388.
Pausanias inuisum reddit Theopompum vniuersae Graeciae 156.
—— quae de Anaxilao et Messina tradit, refutantur 233. cet.
—— emend. 504, 506.
Pausaniae conspiratio et mors 45. cet.

Pearsonius quid statuat de epistolis Socratis 60.
Pecuniae nomina a Siculis ad Romanos peruenerunt 418.
Πεντικοντάλιτρον 411.
Πεντούγκιον 415.
Perictyone, Pythagorea. commentum 366, 367.
— mater Platonis 367.
Phaedo, quando magistratus fuerit Athenis 308.
Phalaridis aetas 162, 174, 202, 203.
— Siculus natiuitate 328, 329.
— filium comedit 438, 439.
— Eius taurus 437, 438.
— Ipse in tauro concrematus 253, 254.
— Epistolae a quo commemoratae 7, 159, 160.
Φάνης deus Orphicus 454, 455.
Φιλόσοφον quis primus dixerit 21, 271. cet.
Philosophi plures venerunt ad Dionysium tyr. 60.
Philosophorum quorundam vita athletica 179.
Phintia ciuitas Siciliae, quando condita 9, 203. cet.
— vbi sita 9, 204, 205.
Phintiae, tyranni Agrigentinorum aetas 207.
ΦΙΝΤΙΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ in nummo, explanatur 207. cet.
Phormis, inuentor Comoediae, Gelonis Syracusani amicus 260.
Photius in Biblioth. corr. 367.
— Eius Lexicon Gr., MS. 466, 469, 482, 499, 503, 507. emend. 466, 479.
Phrynichi poetae tragici aetas 292, 293.
Phrynichus μελοποιὸς et ὀρχηστικός. 296, 297.
— h. nominis vnicus tragicus poëta 294, 300.
Phrynichus poeta comicus 295.
Phrynichus dux Atheniensis 295.
Πίναξ πτυκτός. 451.
Πίτυος δίκην ἐκτρίβειν, a quo dictum 15, 246.
Pisistrati aetas 301.
Plinius emend. 477, 519.
Plato notatur 49, 182, 279, 306.
— explanatur 182, 306.
— Eius fundus 55.
Plutarchus not. 46, 303, 305.
— corrig. 308, 464, 469, 470, 516.
— deceptus ab Heraclide Pontico 284, 285.
Poculum vitreum 13.
Pollux emend. 285, 299, 358, 412, 413, 414, 417, 465, 469, 482, 486, 491, 497, 501, 516.
— explan. 397.
— deceptus conficta tragoedia 285, 286.
Polycratis Sophistae Oratio in Socratem, scripta ingenii exercendi causa 50.
Polycratis Samiorum tyranni aetas 184, 185.
Πομπεύειν 313.
Proclus in Timaeum Plat. corr. 445. probatur 460.
Porphyrius emend. 473.
— Eius fragmentum de Κυζζβὶ etc. ex MS. editum et emend. 492.
Priscianus not. 526.
Priscus Thrax de bello cum Attila 523.

Proclus in Parmenidem MS. 455.
Prolepsis 17, 18.
Προδιδόναι ante dare. noue dictum 28.
Πρόνοια, prouidentia diuina. a quo dicta 445, 446.
Prosper in Chronico emend. 523.
Προτρέπειν accusare, noue dictum 28, 38.
Ψ olim exprimibatur per ΠΣ. 283.
Πτήσσειν quid? 298.
Ptolomaeorum et Attalicorum tempore libri adulterati 4, 155, 156.
Pythagorae pueritia, mors et varia tempora vitae, cet. 163-202.
— Eius successores 198.
— Quando fuerit in Sicilia 174.
— Eius Πενταστία 187,
— Eius lex, Φωνῇ χρῆσθαι πατρώᾳ 26.
— Eius filii ex Theano suscepti 188.

Q.

Quintilianus notatur 518. 519.

R.

Romana nomina pecuniae sumta a Siculis 417, 418, 419.
Iulius Rufinianus emend. 488.

S.

Sabidius Pollio — non Sabirius Pollo — scriptor epistolar. Eurip. 61.
Salmasius not. 492.
Σαλμωνεὺς, Sophoclis fabula satyrica 502.
Sannyrionis, poetae comici, aetas 266.
Sara, Pythagorea, per errorem 367.
Σάτυροι pro Fabula Satyrica 465, 500, 501.
Saturnius versus 273. cet.
Scaliger (Iof.) not. 470, 474, 513, 519.
Scaliger (Iul.) not. 494.
Scholiasta Aristophanis interpolatus 158, 159.
— — reprehend. 295, 297. 298, 321, 73,
Scholiasta in Pindar. corrig. 167, 234, 238.
Scylax corrig. 231, 232.
Sicula pecunia 393—424.
Siculi vnde orti 23.
Simonidis epigramma explan. 170, 171.
— epigrammata duo edita et correcta 320, 321, 411, 412.
— pueritia et mors 19, 170, 171, 172.
— victoriae 321.
Socratis, eiusque discipulor. epistolae quando prodierint 42.
— recusat venire ad Archelaum ibid.
— h. epistolas non vidit Athenaeus 48.
— Ante eius mortem Phaedrus mortuus 49.
— Quando interfectus sit 52.
— Ei. discipuli post ipsius mortem Athenas relinquunt 54.
— Eius vxores duae 56.
— Quando natus 494.
Solinus emend. 477.
Solonis mors 302.
— tabulae et in iis lingua 374. 375.
Sophistae vel Atticos soloecismos imitati 374. cet.
— difficiliora argumenta et paradoxa amant 51.

Sophocles ter correctus 230. item 491, 500, 501, 502.
— Eius locus commenticius 462, 528, 529.
— Quando coeperit scribere tragoedias 293.
— in insula Chio 67.
— Eius scholiasta bis emend. 503. et explicat. 528.
Sophronis Liber Θυννοθῆρας 527.
Stephanus Byzantin. explanatur 360.
(Henr.)Stephanus notatur 516.
Stesichori aetas 168, 169.
— h. statua et templum 30.
— venit in Graeciam lucri causa 173, 169.
Stobaeus corrig. 334, 356, 357.
— explan. 367.
— Prooemium Legg. Zaleuci apud eum commenticium 342.
Στοιχεῖον, elementum, vox Platonica 445.
Strabo emend. 499, 500.
— explan. 361.
Suidas corrig. 255, 281, 360, 412, 63, 496, 504, 505, 506, 510, 523.
— reprehend. 185, 295, 298, 360, 495, 503, 508.
— h. aetas 150.
Susario inuentor comoediae 260—266.
— eius iambici versus corriguntur 261.
— huius nulla fabula edita scripto 261.
Sybaritanum bellum 191. cet.
Syncellus corrig. 178.

T.

Tabula annorum Mosen inter et Salomonem 180.
Tabula annorum Pythagorae 176, 177.
— aetatis et Phalaridis et Thespidis 301.
— pecuniae Siculae 408.
Τάλαντον Siculum 398, 408, 415.
— — cur adeo exigua pecunia 409.
Talenti Siculi et Attici discrimen 29.
Ταυρομένιον, Sicil. oppidum quando condit. 250-254.
— antea Naxos vocat. 16.
Ταυρος Phalarid. fueritne? 437.
— taurus, praemium dithyrambi 321.
Noui Testamenti editio gemina Millii. 532, 533.
Τετρας 416. cet.
Tetrans 418.
Thales apud Malelam pro Thallo 512.
Thales Milesius et Thales Cretensis 340.
Θευερῶπις 512.
Themistoclis epistolae, quando primum typis descriptae 41.
— Eius de epistolis, veterum silentium ibid.
— Ipsi ciuitates a rege quae datae 41.
— Prohibet certamine Hieronis equos 43.
— Eius exilium 45.
Theocritus corrig. 402.
Theodoretus refutatur 59.
Theognoti Canones de Orthographia MS. Gr. 517.
Theodosii Epitoma τῆς καθόλου Herodiani MS. 484.
Theomis tragicus falso appellatus pro Thespide 490, 491.
Theophanes emend. 523, 526.

Theophrastus explan. et corrig. 356.
— emend. 477.
Θῆρας κλονεῖν quid? 11.
Thericles, figulus Corinth. 10. cet. 221.
— h. aetas 216, 217.
Thericlea pocula a quo inuenta 218, 219.
Thersias f. Thersander primus vicit ἀπήνῃ ludis Olympicis 239.
Thesei sepulcrum Athenis 307. cet.
Thespis emend. 491, 492.
— inuentor tragoediae 264, 276. cet.
— h. aetas 305.
— ὀρχηστικός. 297, 298.
— huius nulla fabula scripto edita 281. cet.
— huic adscripta fabulae commenticiae ibid.
Thurii, ciuitas Italiae quando condita 353.
— h. ciues a quibus deducti 359.
— horum legislator 355, 356.
— Eorum leges 356.
Tragoedia, quando inuenta 273-325.
— huius argumentum initio Bacchus et Satyri 284.
— h. pompa 352, 354.
Τραγῳδία, nunquam dicta comoedia 322.
— vox Thespide non antiquior 314, 315.
ΤΡΙΑΓΜΟΙ Ionis liber vel Epigenis vel Orphei 508, 509.
Tribus litteris τ, π, κ, quibus adspirabatur, olim addebatur scribendis semper τὸ H. 283.
Τριάς 416, 418, 419, 420.
Τρυγῳδία comoedia, nunquam tragoedia 317, 318.
Θυγατὴρ, ancilla, noue dicta 28.
Tzetzes (Ioannes) corr. 321.
— Eius Interpretatio Homeri allegorica MS. emend. 505.

V.

Varro emend. 520.
Vibius Sequester corr. 252.
Vitruuius explan. 420.
Vossius (Gerard.) not. 488, 495, 504, 513, 522.

X.

Ξ per ΚΣ olim exprimebatur 283.
Xenocles poeta tragicus 274.
Xenocrates Alexandri donum recusat 66.
Xenophontis in Aristippum odium 54.
— scripsit Memor. Socr. in Scillunte 54.
— h. epistolae an omnes adsint 59.

Z.

Z per ΔΣ exprimatur olim 283.
Zaleucus Locrus suspectus 337.
— h. aetas 339. 340.
— non Pythagoreus 337.
— h. liber legg. qui exstitit post tempora Ptolomaei, commenticius 342-351.
Zancle et Messana eadem ciuitas 13.

F I N I S.

